
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
30 B
5

K.5.



Digitized by Google

Digitized by Google

Claudius Salmasius

Digitized by Google

VI. 10. 21.

DE TRANSSVBSTANTIATIONE LIBER

SIMPLICIO VERINO
Auctore.

AD
IVSTVM PACIVM

Contra
H. GROTIVM.

HAGIOPOLI,
Typis THEODORI EVDOXI.

Anno cIↄ Iↄ c xlvi.

Digitized by Google

Digitized by Google

SIMPLICIVS VERINVS
AD
IVSTVM PACIVM.

NON carui ſuſpicione, Iuſte Paci, minime te his contentum fore quæ de Euchariſtia in priore Epiſtola ſcripſi; ſed etiam credidi te deſideraturum tibi reddi, quæ præcipuam in hoc articulo coortæ nos inter & Pontificios diſſenſionis cauſam conſtituunt. De Tranſſubſtantiatione nimirum ut vocant, & ſacrificio Miſſæ. Videram tum etiam de his duobus capitibus tractationem ad negotium conciliationis recte inſtituendum eſſe admodum neceſſariam, præcipue cum in libro ſuo poſtumo ſcribat Grotius Petronium Cardinalem in Epiſtola ad Regem Angliæ dicere, ſi agnoſcatur realis Chriſti præſentia in Euchariſtia, & Sacrificii veritas, de cæteris facilem fore conventionem. Sed cum jam animadverterem me egreſſum eſſe juſtæ epiſtolæ terminos, longiore diſputatione ſuper his rebus abſtinere volui, ne laciniam extendendo vitium majus committerem. Immo, inquis, quoniam ſemel modum excedendo jam plus ſatis inſaniveras, poteras nihili facere id quod adhuc

in ampliorem excreviſſet modum. Non ſum in eadem tecum ſententia. Vulgo dicimus ſuccinctiores ſtultitias eſſe meliores. Eſt aliqua prodire cum venia tenus, cum ultra non detur evagari ſine crimine. Vt aliquid eſt τοῦ καλοῦ καλλίον, ut dicunt proverbio ſuo Græci, ita dari poteſt quod ſit indecoro fœdius. Epiſtola quo fuiſſet prolixior, tanto etiam ab epiſtolari lege longius abiiſſet. Qui duas habiturus ſis pro una, dum tuo ſatisfactum ſit deſiderio, nihil tua id ut puto judicabis intereſſe. Ad me quod attinet multum refert ne homines dicant me neſcire epiſtolas ſcribere, ſi grandes libros ſub titulo parum convenienti publicarim. Omnibus igitur ſatisfaciendum. Et quamvis tituli inſcriptionem à me non exigerent quibus tractatum ipſum adprobarem, ne tamen in ſtultorum aut ineptorum reprehenſiones incidam, malui hunc Librum eſſe quam Epiſtolam. Nunc materiam ingrediamur. De Tranſſubſtantiatione ergo primum exequemur, tum deinde de ſacrificio Miſſæ agemus. Realitatem nos quoque, ut hoc utar verbo, agnoſcimus, ſed non eandem quam Pontificii, nec cum eodem modo. Mere corporalem & carnalem illi ponunt, nos tantummodo Spiritalem, quæ nec ipſa minus eſt realis nec minoris efficaciæ quam quæ ab illis ſtatuitur, immo etiam magis, quatenus ſpiritalia ad ſalutem non ſolum animæ, ſed etiam corporis & vitam æternam conſequen-

ſequendam ſola conferunt, non quæ carnis ſunt. Ideo Chriſtus cum in Synagoga Capernaitarum dixiſſet non habituros vitam æternam in ſe niſi qui manducaſſent carnem ejus & ſanguinem bibiſſent, & plerique ad litteram id acciperent, diſcipulique etiam nonnulli duritiem ejus ſermonis quaſi impoſſibilis ſe non poſſe concoquere faterentur, & ab eo recederent, quomodo id intellexiſſet ipſe Chriſtus eos docuit: *Spiritus eſt*, dicendo, *qui vivificat, caro non prodeſt quicquam. Verba quæ ego loquutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt.* Ergo vita & ſalus ex Spiritu non ex carne. Tametſi quis carnem Chriſti veram ederet, niſi Spiritus vim ei vivificam, & ſalutis vitæ operatricē adderet, nihil eſſet. Quæcumque enim ore ſumuntur, dentibus conteruntur, & in ventriculum dimittuntur, partim digeſta in ſuccum corporis eunt, partim cum excrementis abeunt. Sic in ſalutari lavacro, totum Spiritus conficit, nihil aqua proficit. Ea corpus perluit atque effluit, non vero mentem lavat nec peccatis purgat, ſed gratia per Spiritum ex vi ſacramēti indita id facit. Realitas igitur quam in ſacramentis corporis & ſanguinis Dominici ſibi imaginantur cum tota ſit corporalis, non eam habere poteſt efficaciam & virtutem quam ſpiritalis tribuit gratia, quæ pani addita facit per fidem ut ille corpus Chriſti ſumenti ſit, atque ut vinum ſanguis. Sed quo modo? Spiritaliter, non corporaliter, nec car-

naliter. Hoc igitur explicandum & in hoc conſiſtendum ut doceamus ſpiritalia hæc duo eſſe ſacramenta,ut Baptiſmum ita & Euchariſtiam. Sed de Euchariſtia jam agimus. Grotius more conciliatoribus uſitato,quæ facere magis ad fucatã concordiam videntur proponit,non quæ in rei ſunt veritate. Veteres omnes ait multo longius procedere quam nos, mutationem quippe fieri in hoc Sacramento agnoſcere,acceſſionem gratiæ, concorporationem realem noſtram cum Chriſti corpore, naturalem corporis veritatem, ut & Hilarius loquitur. Hæc nos etiam agnoſcimus libenter & vera eſſe confitemur. Etiam quæ ſubjungit ex Synodo Tridentina, Sacramentum hoc eſſe *ſpiritualem animarum cibum*. Itẽ ex gloſſa juris Canonici,*manducandum non carne & dentibus, ſed interno ſpiritus affectu.* Item ex Bernardo, *in ſacramento hoc nobis exhiberi veram corporis ſubſtantiam, ſed ſpiritaliter.* Hæc omnia etiam Proteſtantes in confeſſionibus fidei dixêre, & diſertis æque expreſſiſque verbis. Sed non hæc quæſtio eſt an mutatio fiat in hoc ſacramento, verum an quam dicunt fieri Pontificii eadem ſit cum ea quam veteres Patres agnoſcunt. Hoc debuit demonſtrare Grotius,& quæ controverſiam faciunt explicare, non de quibus minime pugnatur, fallacibus & flexiloquis verbis adumbrare. Nam ſi nihil eſſet in ea controverſia quæ nos à Pontificiis dividit,præter illa quæ poſuit,facillimæ res eſſet com-

compoſitionis. Verum quippe corpus & verum ſanguinem ſumi in Euchariſtia omnes aſſerunt, non inane ſignum panis & vini. Magnam itaque eam mutationem in ſigno intercedere neceſſe eſt, qua non merum panem nec vinum accipi credimus, ſed rem etiam ſignificatam ſymbolis, veram nēpe Chriſti carnem & verum ejus ſanguinem. Quomodo procedat hæc mutatio, & qua in re fiat, & an ejuſdem ſit generis cum ea quam ſibi fingunt Pontificii, videndum. Quam denique Patres ipſi mutationem qua Græci qua Latini teneant, & an conciliari poſſit cū hodierna Romana. Nam ſi vetus Eccleſia eam fieri credidit, quam nova hodie ac Pontificia credit, moroſi ſumus, qui non recipimus doctrinam omni tempore in Eccleſia conſtanter receptam; nec unitatem optare patimur aut univerſitati accedere, ſed propria ſemita malumus ire quam via communi. Sin vero conſtiterit inter hanc novam mutationem & illam veterum tantum diſtare, ut priſca opinio, tanquam veriſſima doctrina nihil noxiæ importarit in fidem & pietatem; ex nova autem perſuaſione tanta ſacramenti conſequuta ſit profanatio, & idololatriæ propior cultus inde extiterit, non male facimus quod reconciliari nolumus cum tam perverſæ doctrinæ ſectatoribus. Patres cum loquuntur de hoc Sacramento, ut de re nota, interdum obſcure verba faciunt & ambigue. Dum enim Chriſti dictum exaggerant,

Hoc eſt corpus meum, ſic interdum ſermonis exceſſu efferuntur, ut panem in corpus reapſe mutatum videantur velle. Verum iidem in eodem ſcripto ita ſe deinde clare explicant, ut ea evertant quę prius dixerint. Obſcura autem ex apertis exponenda ſunt, non quæ clara videntur ex obſcurioribus interpretanda. Si qui vero obiter tantum ut in tranſitu naturam ſacramenti ſic attigerunt, ut videantur ſuffragari Pontificiis, hi ex aliis auctoribus ejuſdē ævi qui rem diſertius declararunt explanandi ſunt. Conſenſus autem Patrum doctrinæ circa hoc ſacramentum non ex uno aut altero auctore in tranſcurſu rem tunc vulgatam ſignante, ſed ex omnibus vel ex majore parte in unam ſententiam, verbis clariſſimis enunciatam, conſpirante deprehendendus eſt. Planum quod dico faciam appoſito & obvio exemplo. Cyrillus Hieroſolymitanus in Catecheſi quarta myſtagogica de corpore & ſanguine Chriſti, panem qui apparet non eſſe panem diſerte dicit, quamvis ex guſtu ita videatur, ſed eſſe corpus Chriſti. Similiter neque vinum quod conſpicitur, eſſe vinum ſicut guſtus videtur perſuadere, ſed ſanguinem Chriſti. Ταῦτα μαθὼν καὶ πληροφορηθείς, ὡς ὁ φαινόμενος ἄρτος, οὐκ ἄρτος ἐστίν. εἰ καὶ γεύσει αἰσθητός, ἀλλὰ σῶμα Χριστοῦ καὶ ὁ φαινόμενος οἶνος οὐκ οἶνος· εἰ καὶ ἡ γεῦσις τοῦτο βούλεται, ἀλλὰ αἷμα Χριστοῦ. Idem initio hujus Catecheſeos ita dubitantes an panis ſit corpus, & vinum ſanguis repercutit, ut dicat Chriſtum qui in Cana Galilææ

lilææ aquam in vinum mutaverit, æque facile mutare videri potuiſſe vinum ſacramenti in ſanguinem ſuum, & panem in corpus ſuum. Non hoc quippe miraculũ difficilius eſſe fidei ad credendum quam illud alterum. Omni autem credulitate perſuaſos nos eſſe debere quod Chriſti corpori & ſanguini communicamus, cum de pane & calice participamus. Iungantur hæc invicem & connectantur. Panis in corpus mutatur, vinum in ſanguinem: Non eſt panis quod videtur & guſtu ſentitur, ſed corpus Chriſti: Non eſt ſanguis ſicut oculis & guſtui objicitur, ſed ſanguis Chriſti. Quis non ex his rem ſe factam habere putaret Pontificius mutationem inde adſtruendã affirmabundus ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis? Non ita eſt & vanam ſumpſit fiduciam. Aliter ſenſit Cyrillus ac ſententiam ſuam in eadẽ & ſequente Catecheſi explicat. In illa dicit nos ejus panis participes fieri ut ſpiritalis, *μεταλαμβάνων αὐτοῦ ὡς πνευματικοῦ.* Qui ſpiritalem panem aut ſanguinem ſacramenti appellat, excludit omnem corporalem & carnalem intellectum, & negat omnino realem inter ſe ſubſtantiarum permutationem. Idem *πνευματικὸν ἄρτον* appellat in eadem Catecheſi. *τὸν πνευματικὸν ἄρτον δεῦρο καλεῖ τὴν σωτήριον καὶ μακαριοποιὸν κλῆσιν.* Et alio loco ibidem verba Chriſti quibus manducationem carnis ſuæ præcipit ſalutem volentibus, Spiritaliter id eſſe intelligendum admonet, eoſque

qui non ſic intellexiſſent ſcandalizatos retro abiiſſe & à magiſtro receſſiſſe, ἐκεῖνοι μὴ ἀκηκοότες πνευματικῶς τῶν λεγομένων σκανδαλισθέντες ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω, νομίζοντες ὅτι ἐπὶ σαρκοφαγίαν αὐτοὺς προτρέπεται. *Exiſtimantes quod ad carnis manducationem ipſos invitaret.* Patres Baptiſmum vocant πνευματικὸν λουτρὸν, *ſpiritale lavacrum.* Nemo ex his aquam Baptiſmi ſpiritalem in ſanguinem Chriſti mutari, aut ſuam ſubſtantiam & naturã quocunq; modo deperdere in aliam tranſeundo putavit. Sic autẽ vocatur in Nicæno Canone & alibi. Dicit idem Cyrillus in eadẽ Catecheſi in figura panis nobis dari corpus, & in figura vini ſanguinem, ἐν τύπῳ γὰρ ἄρτου δίδοταί σοι τὸ σῶμα, καὶ ἐν τύπῳ οἴνου δίδοταί σοι τὸ αἷμα. Si panis exuta propria ſubſtantia indueret ſubſtantiam corporis Chriſti, non amplius ejus figura dici poſſet, cujus figura eſt, ubi nempe idipſum exiſtere inciperet. Idem de vino. Cum enim ſignum tranſmutatur in rem ſignificatam, deſinit eſſe ſignum, & fit illud quod antea ſignificabat. Vnde & illi qui crediderunt panem & vinum Euchariſtiæ in corpus & ſanguinem Chriſti ſubſtantiæ demutatione converti, negarunt panem & vinum eſſe τύπον vel ἀντίτυπον corporis & ſanguinis Chriſti, ut Theophylactus in Marcum ad illa verba Chriſti, τοῦτο δέ ἐστι τὸ σῶμά μου· τοῦτο γὰρ inquit, ὃ νῦν λαμβάνετε, οὐ γὰρ ἀντίτυπος κυριακοῦ σώματός ἐστιν ὁ ἄρτος ἀλλ᾽ εἰς αὐτὸ ἐκεῖνο μεταβάλλεται τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. Καὶ ὁ Κύριος γὰρ λέγει ὁ ἄρτος ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μου ἐστί. οὐκ εἶπεν ἀντίτυπός ἐστι τῆς σαρκός μου. *Non enim figura*

corpo-

corporis Dominici eſt panis, ſed in illud ipſum convertitur corpus Chriſti. Namque Dominus dicit panis quem vobis dabo caro mea eſt, non dixit, figura eſt carnis meæ. Atqui veteres Patres Græci Latinique τύπον & ἀντίτυπον, figuram corporis & ſanguinis Dominici panem & vinum eſſe unanimiter dixere. Non igitur eam mutationem panis & vini in Euchariſtia fieri intellexere quam Theophylactus, qui negat panem eſſe ἀντίτυπον corporis Chriſti. Idem tamen paulo poſt eandem illam agnoſcit quam Patres Græci antiqui agnovere panis tranſmutationem in virtutem corporis Dominici, εἰς δύναμιν. ſicut infra docebimus. Ipſe etiam Cyrillus in Catecheſi quinta panem & vinum quæ in Euchariſtia ſumuntur, eſſe ἀντίτυπα corporis & ſanguinis Chriſti ſcribit: γευόμενοι γὰρ οὐκ ἄρτου καὶ οἴνου κελεύονται γεύσασθαι, ἀλλὰ ἀντιτύπου σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ. *Guſtantes enim de eo, præcipiuntur nõ de pane & vino guſtare, ſed de figura corporis & ſanguinis Chriſti.* Poſtremo idem Cyrillus cum in quarta Catecheſi dicit non eſſe panem qui videtur & apparet, nec tanquam panem ſimplicem eſſe ſpectandum quamvis guſtus ita eſſe ſuggerat, de Chriſmate quo ungebantur ſacro lavacro tincti paria plane affirmat in Catecheſi, atque iiſdem prorſus verbis. Non debere putari ſimplex eſſe Chriſma vel unguentum quod videtur. Nam ut panis, inquit, poſt invocationem Spiritus Sancti non amplius ſimplex eſt panis, ſed corpus Chriſti, ita & hoc

ſacrum

ſacrum unguentum poſt invocationem vel precationem non eſt amplius ſimplex unguentum, atque ut aliquis diceret, commune, ſed Chriſti donũ, & per Spiritus Sancti præſentiam Deitatis ejus operativum exiſtit. Ἀλλ' ὅρα μὴ ὑπονοήσῃς ἐκεῖνο τὸ μύρον ψιλὸν εἶναι. ὥσπερ καὶ ὁ ἄρτος τῆς εὐχαριστίας μετὰ τὴν ἐπίκλησιν τοῦ ἁγίου πνεύματος οὐκ ἔτι ἄρτος λιτὸς, ἀλλὰ σῶμα Χριστοῦ, οὕτω καὶ τὸ ἅγιον τοῦτο μύρον οὐκ ἔτι ψιλὸν, οὐδ' ὡς ἂν εἴποι τις κοινὸν μετ' ἐπίκλησιν, ἀλλὰ Χριστοῦ χάρισμα καὶ πνεύματος ἁγίου παρουσίᾳ τῆς αὐτοῦ θεότητος ἐνεργητικὸν γινόμενον. Dionyſius quoque Pſeudareopagita tradere ait prædeceſſores ſuos & Doctores ejuſdem ordinis, dignitatis & efficaciæ eſſe hoc ſacramentum cũ Euchariſtiæ ſacramento, iiſdemque ut plurimũ cum eo figuris myſticis, adminiſtrationibus & cõſecrationibus plane cõſtare. διὸ καὶ ταύτην οἱ θεῖοι καθηγεμόνες ἡμῶν ὡς ὁμοταγῆ καὶ ταυτουργὸν τῇ τῆς συνάξεως ἱερᾷ τελεστηρίᾳ ταῖς αὐταῖς εἰκόσιν, ὡς τὰ πολλὰ καὶ μυστικαῖς διακοσμήσεσι καὶ ἱερουργίαις διεξάζαντο. Nec dubitat ideo paulo poſt ſacrũ illud unguentum ipſiſſimum eſſe Ieſum Chriſtum pronuntiare, πεπείσμεθα δὲ εἶναι θεαρχικώτατον Ἰησοῦν ὑπερουσίως εὐώδη, νοηταῖς διαδόσεσι τὸ νοερὸν ἡμῶν ἀποπληροῦντα θείας ἡδονῆς. Talem ergo intervenire in hoc ſacramento neceſſe eſt ex Patrum opinione mutationem qualis in Euchariſtiæ pane & vino intercedit. Atqui unguentum illud ſacrum non mutatur in perſonam Chriſti, nec ergo panis in corpus ejus, nec vinum in ſanguinem. Non eſt commune oleum, nec eſt communis panis, nec commune vinum, quia *ſanctificatis elementis*, ut de unctio-

unctione chriſmatis dicit auctor vetus, *jam non propria natura præbet effectum, ſed virtus divina potentius operatur, ſed adeſt virtus ſigno & ſpiritus ſacramento.* Eadem de Euchariſtia & Baptiſmo ſcripſere. Ita Patres cum quid durius & cum exceſſu ſermonis de veritate ſubſtantiali corporis Chriſti & panis in illud tranſmutatione dixere, id ipſum poſtea ipſimet clarius aut explicando emolliunt, aut ex aliis auctoribus ejuſdem ſæculi explicandi ſunt, ut infra oſtendemus. Etiam Lutheri ſectatores haud minus quam Pontificii carnalem ex bene lectis ſed male intellectis locis Patrum, immo & male lectis quia non bene intellectis, ſuam de Conſubſtantiatione opinionem confecerunt. Cum enim legerent apud Patres panem non amittere ſubſtantiam ſuam, ſed remanere panem etiam poſt benedictionem, & tamen corpus eoſdem æſtimare vere eſſe Chriſti quod ſumitur in Euchariſtia, quoſdam etiam dicere ex Græcis τῷ ὄντι vel ὄντως, nonnullos affirmare panem & vinum ad ſubſtantiam divinam tranſire Spiritu divino perficiente, ex his & ſimilibus loquutionibus duas diverſas ſubſtãtias in una ſede junctas hærere quarum altera alteram includeret, ut capſa major minorem, imaginati ſunt. Sub involucro quippe panis ſubſtantiam ſuam retinentis corporis Dominici ſubſtantiam latere credunt. Intra vini ergo liquorem ſubſtantialem, alius liquor æque ſubſtantialis non mixtus ſed ſeparatim

tim incluſus abſconditur. Quod merum eſt συν-ουσιαστῶν monſtrum, nec minus mirum quam illud μετουσιαστῶν, de ſubjecto quod habet alterius ſubjecti accidētia, quæ ſuam amiſerunt ſubſtantiam, ut in altera & aliena inhærerent. Sed quicquid dicāt faciantve, velint nolint, haud aliter ſe poſſunt explicare, quin ex eorum hypotheſi concludatur corpus Chriſti ſpiritaliter tantum eſſe in Euchariſtia. Primum quid velint neſciunt. Dici enim poſſe ajunt Chriſti corpus eſſe in Euchariſtia verè, realiter & ſubſtantialiter, ſed non corporaliter. Quinimmo idem dicit Bellarminus quod etiam dici queat eſſe ſpiritaliter, ut ſcribit Bernardus in hoc ſacramento exhiberi nobis veram corporis ſubſtantiam ſed *ſpiritaliter, non carnaliter.* Mox tamen addit non videri ſibi nimis frequentandum eſſe hoc verbum *ſpiritaliter.* Nec minoris eſſe periculi ſi ſæpius quis utatur in hoc ſacramento, voce *corporaliter.* Quid igitur faciendum? aut quomodo in ſacramento erit Chriſtus, ſi neq; corporaliter neque ſpiritaliter tuto dici queat eum ibi eſſe? Concilium Tridentinum definit vere quidem realiter & ſubſtantialiter ſub ſpecie rerum *ſenſibilium idem contineri, non tamen juxta modum exiſtendi naturalem, ſed ſacramentaliter.* Quomodo intelligunt illud *ſacramentaliter?* An plane ut eſt in hoc ſacramento? Hoc nihil eſſet dicere. Quærendum enim ſemper relinqueretur quomodo ſit in hoc ſacramento, & quid illud ſignificet?

cet?

cet? Æterna ſic eſſet petitio ἐσὶν ἀρχῆ. Sed illud omnino referendum in genere ad formam & naturam modumque reliquorum ſacramentorum. Tria ſunt quæ veteres ejuſdem ordinis ſtatuunt, Baptiſmũ, Chriſma & Euchariſtiam. Ergo cum Chriſtus eſſe dicitur in Euchariſtia ſacramentaliter id ita accipiendum ut in reliquis ſacramentis eſſe creditur, nempe Spiritaliter,& per præſentiam Spiritus Sancti. An aliter eſt in Baptiſmo? An aliter eſſe dixerunt eum Patres in Chriſmate unctionis? Nullo modo. Nam eadem verba & eoſdem loquendi modos de his tribus Sacramentis uſurpant Patres, poſt precationem quæ ſuper materiam horum ſacramentorum adhibita eſt, non eſſe amplius ſimplicem aquam, neque ſimplex unguentum neque ſimplicem panem. Ergo cum in aqua Baptiſmi nulla fiat mutatio ſubſtantiæ,neq;in oleo Chriſmatis,ſic neq; in pane & vino Euchariſtiæ ullam fieri cenſendum eſt. Sic panem conſtat & vinum in ſubſtãtia ſua ſumti, corpus & ſanguinem in ſpiritu, qui præſentia ſua cum faciat ut nobis ſit corpus Chriſti panis ille,& ſanguis calix ille,non minorẽ efficaciam habet gratiæ,nec minus realem minuſq; adeo ſubſtantialẽ quam ſi carnẽ ipſam Chriſti manducaremus, aut ſanguinem biberemus. Nam ut ipſe dixit Chriſtus, caro nihil juvat, ſed Spiritus eſt qui vivificat. Non vivificat autem niſi vere ac realiter. Nec minus proinde dici poſſe Chriſti ſumi in ſacra-

cra-

cramento, vere, realiter, & ſubſtantialiter, dummodo addatur ſed ſpiritaliter, ſed ſacramentaliter, ut in aliis nimirum ſacramentis ſolet, ita & in hoc. Nam certum eſt non ſumi carnaliter. Præterea cum modum exprimere volunt quo Chriſtus in Euchariſtia exiſtit, eum imprudentes exprimunt qui mere eſt ſpiritalis, non enim convenit corporali, quatenus nec ſenſibus ibi percipitur, nec movetur, nec continetur localiter. In qualibet particula vel puncti inſtar obtinente eum indiviſibilem & totum contineri affirmant. Qui modus exiſtendi nulli corpori naturali convenit, ſed ſoli ſpiritali. Vt enim in atomo hæreat ſine ſitu ac diſpoſitione partium, ſine loco, atque ut atomum & ipſum ſit totum, ne Chriſti quidẽ corpus unquam habuit aut habet nunc, ſive ſpectetur quale fuit cum in terris ageret, & hoc ipſum ſacramentum inſtitueret, ſive cum in cruce pependit, ſive cũ in ſepulchro jacuit, ſive ut nunc eſt in cœlo ad dextram patris. Egregie Bertramus in libro de corpore & ſanguine Domini: *Quæ à ſe differunt, idem non ſunt. Corpus Chriſti quod mortuum eſt, & reſurrexit & immortale factum, jam non moritur & mors illi non dominabitur in æternum, eſt jam non paſſibile. Hoc autem quod in Eccleſia celebratur temporale eſt, non æternum, corruptibile eſt non incorruptum, in via eſt non in patria. Differunt igitur à ſe, quapropter non ſunt idem. Quod ſi non ſunt idem, quomodo verum corpus dicitur & verus ſanguis Chriſti?*

Chriſti ſpiritus eſt in ſacramento, non corpus. Corporis itaque ſpiritalis eſt ita exiſtere, non naturalis & locum occupantis. Poſtremo cum nec guſtu ſentiatur tale corpus, nec videatur, nec tangatur, nec ulli ſenſui ſubjaceat, cum nulla ſui parte αἰσθητὸν ſit, omnimodo νοητὸν eſſe credi debet, intelligibile totum, non ſenſibile. Et hoc quoque ſpiritali exiſtentiæ convenit, non corporali. Denique phantaſtica eſt & fanatica plane opinio, quæ unicam tenuis & exigui cruſtuli ſubſtantiam convertit in ſubſtantias innumeras totidem Chriſti corporum quot ſunt atomi in cruſtulo. Non poſſe porro aliter ineſſe intelligi Chriſtum in Euchariſtia niſi ſpiritaliter, ipſe Chriſtus abunde oſtendit inſtituendi modo. Diviſit enim panem à calice & ſeorſim panem & calicem benedicendo & tradendo, quaſi duo ex utraque ſpecie ſacramenta conſtituit ſeparata, unum in Cœna inſtituendo, alterum extra Cœnam. Panem quippe cum adhuc cœnaret ſacramentum corporis ſui fecit, calicem in ſanguinis ſui teſtamentum novum ſacravit poſtquam cœnaſſet, ſicut in Epiſtola oſtendimus. Tempore itaque ea diſcrevit, non in continenti dedit, nec ſimul conjunxit eorum communicationem. Si igitur in pane dando & dicendo *hoc eſt corpus meum*, voluiſſet panem illum quem dabat converti in corporis ſui ſubſtantiam, ut de ſolida panis ſubſtantia corpus ſuum factum eſſe intelligebat, ita

ſolidam corporis ſui ſubſtantiam de pane converſam intelligere debuit. Nam totum ex toto fieri & totum in totum mutari oportuit. Ergo panem totum in corpus totum, id eſt, cum ſanguine ſuo, tranſmutari par fuit, non in corpus exſangue. At idem ſpeciem à pane multum diverſam accepit, nempe vinum, in quo ſacramentum ſanguinis ſui ſanciret, qui ſanguis tamen partem corporis facit. Vinum & panis non duæ ſunt partes unius ſubſtantiæ, ut caro & ſanguis unam conſtituunt corporis ſubſtantiam. Cur igitur ſub tam diverſis elementis ac ſpeciebus ſeparatim & diverſo tempore ſacramenta conſtituit duarum partium unius ſui corporis, carnis nimirum & ſanguinis? Cur illas partes diſtraxit cum in corpore uno naturaliter cohæreant & conſtent? Nonne potuerat, ut ſatius etiam fuerat, totum corpus cum ſanguine ſuo in pane à ſe benedicto ſacrare, & converſionem ex pane ſolido, in corpus ſolidum & ſanguine ſuo plenum inſtituere? Chriſtum ita debuiſſe facere arguunt qui inſtitutionem ejus corrigunt, & lapidem non ad amuſſim dirigere, ſed amuſſim ad lapidem accommodare ſatagunt. Sic recte quidem illi, & ex argumento fabulæ quam docent calicis ſacramentum detraxere. Nihil eſt enim quod æque eorum hypotheſi adverſetur quam Chriſti inſtitutum ſub duobus diverſis & toto genere differentibus ſymbolis ſeparatim corporis

poris & ſanguinis ſui ſacramēta ſancientis. Hoc quippe faciendo nullo modo cogitaſſe videtur de pane quem dabat in corporis ſui integram ſubſtantiam mutando, cum ſeorſim & calicem daret cujus ſimiliter ſubſtātia in ſanguinis ſubſtantiam foret convertenda. Quod non convenit corpori naturali & viventi, ut caro ejus & ſanguis ſeparentur invicem niſi cum cæde plaga ei infligitur, ſolvens id quod continuum eſt, ex quo ſanguis effunditur atque effluit morſque conſequitur. Et ſane Chriſtus non ſimpliciter corporis ſui, quale tunc habebat cum ſacramentum ejus inſtitueret, ſymbolum in pane tradidit diſcipulis, nec ejus figuram quod in cœlo habiturus erat poſt reſurrectionem, ſed illius ipſius quale in morte crucis & in paſſione fuit futurum, cum ſanguine ſuo per plagam lateris perforati effuſo caruit. Ideo ut hanc mortem ſuam tanquam hoſtiæ quæ pro nobis immolabatur præfiguraret, & memoriam ejus concelebrandam ſuis uſque ad conſummationem ſæculorum traderet; duas panis & vini ſpecies elegit quas totidem figuras & ſymbola eſſe vellet, unū corporis ſui, alterum ſanguinis, ut in cruce fuere ſeparata, & per quorum ſeparationem mortem paſſus eſt. Non igitur in pane ſimpliciter corporis ſacramentum conſtituit, ſed in pane fracto, id eſt, qui frangitur ut manducetur, ut mos fuit tunc Iudæorum. Nec in vino abſolute ſanguinis ſui figuram tradidit,

ſed in vino quod effunditur in calicem ut bibatur. Sic enim hæc duo, panis fractus & vinum effuſum, corpus ejus in cruce fractum & ſanguinem effuſum denotabant & figurabant. Hoc igitur pane quem dabat corpus ſuum κλώμενον ſignificari dixit, illo calice quem tradebat ſanguinem ſuum ἐκχυνόμενον. Mortis ſuæ commemorationē his duobus ſignis & ſacramentis commemorari tantum voluit, τοῦτο ποιεῖτε εἰς ἐμὴν ἀνάμνησιν. Quod explicavit Paulus his verbis, quæ dicto Chriſti ſubjecit, *quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem hunc bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Quæ mors non contigit ſine corporis fractione, & ſine ſanguinis effuſione. Ideo pane, ut dixi, fracto ad edendum, & vino effuſo ad bibendum ejus memoriam ſanxit celebrandam à fidelibus. Quæ omnia ſine ulla converſione miraculoſa ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis intelligenda ſunt. Non enim Chriſtus miraculum in his ſacramentis inſtituendis edere conſtituit quod miracula omnia ſuperaret; ſed ſimpliciter cum Paſcha ſuum ederet cum diſcipulis more Iudaico, mortis ſuæ paſſionem, quæ ſequenti die erat eventura in corpore fracto & ſanguine effuſo, in panis & vini illius fracti & manducati, hujus effuſi & exhauſti ſymbolis, ſanxit in poſterum commemorandam & concelebrandam. Quando igitur panem tradens dixit, *Hoc*

eſt

Digitized by Google

eſt corpus meum, nihil aliud intelligere voluit, quam, hæc eſt figura corporis mei. Atque ita veteres Patres intellexere, ut Tertullianus & alii interpretantur, ſicut alibi dicetur. Signum enim ſæpe tranſit in nomen rei ſignificatæ. Ita agnus Paſchalis paſſim dicitur Paſcha quia immolabatur in ſignum tranſitus angeli qui domos Iſraëlitarum præteribat. Hinc πάσχα θύειν in Sacra Scriptura pro agnum immolare, qui figura erat τὸ πάσχα. Cum dicit Chriſtus apud Iohannem ſe eſſe panem qui è cœlo deſcendit, haud magis hoc dicto cenſendum eſt tranſire naturam Chriſti in naturam panis, quam converti ſubſtantiam panis in ſubſtantiam corporis ejus, ubi dixit de pane, *Hoc eſt corpus meum.* Ita Chriſtus eſt petra. Quomodo petra aut quæ? πνευματικὴ, ſpiritalis, ut eam vocat Paulus. Ita panis eſt πνευματικὸς, Paſcha noſtrum πνευματικὸν, ita vitis eſt πνευματική. Auguſtinus Tractatu LXXXI. in Iohannem. *Sic dicitur vitis per ſimilitudinem non per proprietatem, quemadmodum dicitur ovis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & cætera ejuſmodi. Quæ magis ipſa ſunt vera ex quibus ducuntur eſſe ſimilitudines, non proprietates.* Inter illa cætera etiam panis ita dicitur corpus Chriſti per ſimilitudinem non proprie, & ſic magis panis eſt verus unde ducitur ſimilitudo corporis non proprietas, quam corpus. Nam panis in Euchariſtia corpus eſt πνευματικὸν, *corpus ſpiritale*, ut illud dicit eſſe Ambroſius, ideoque συμβο-

συμβολικὸν, τυπικὸν, & μυστικόν. Sed & *panis ſpiritalis* paſſim vocatur, ut Hieronymo in Malachiam: *Panis ſpiritalis quem conficit Doctor.* Panis autem ſpiritalis dicitur ratione corporis ſpiritalis, quod ſpiritaliter repræſentat. Cum igitur & panis ſit ſpiritalis Euchariſtiæ, & corpus ſpiritale Chriſti quod eo repræſentatur, nihil ibi carnale eſt ubi utrumque ſpiritale eſt, nec ſubſtantiæ hujus in ſubſtantiam illius ulla ſit corporea commutatio, ubi totum agitur per Spiritum Sanctum & ejus operationem negotium. Chriſtum de cœlo deſcēdere in panem Euchariſtiæ cum à Sacerdote per precem myſticam ſanctificatur, dicunt Patres. Numquid corporaliter deſcendit, & non ſpiritaliter? Immo ſpiritus Chriſti eſt qui deſcendit, non corpus. Hieronymus in Sophoniam, *Sacerdotes quoque qui dant baptiſmum, & ad Euchariſtiam Domini imprecantur adventum.* Alii Spiritum Sanctum deſcendere dicunt & ἐπιφοιτᾷν, & illabi ſpeciebus panis & vini in menſa ſacra appoſitis, ut fiant corpus & ſanguis Chriſti. Nam cum precabantur ut mitteret ad hoc SpiritumSanctum: Cyrillus Catech. v. παρακαλοῦμεν τὸν φιλάνθρωπον θεὸν τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐξαποστεῖλαι ἐπὶ τὰ προκείμενα, ἵνα ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον σῶμα Χριστοῦ, τὸν δὲ οἶνον αἷμα Χριστοῦ. *Et precemur amantem hominum Deum, ut demittat Spiritum Sanctum in propoſitas ſpecies, ut faciat panem quidem corpus Chriſti, vinū autem ſanguinem Chriſti.* Ita hunc deſcenſum Spiritus ἐπιφοίτησιν τοῦ ἁγίου

πνεύ-

πνεύματος Græci Patres paſſim ſolent appellare. Quem & Chriſti adventum Hieronymus loco ſuprà citato nuncupat, quia Chriſtus in Spiritu ſuo deſcendere cenſetur, non corpore ipſo. Ambroſius lib. I. de Spiritu Sancto cap. X. *Sic ergo venit ſpiritus quemadmodum venit Pater. Dixit enim Filius; Ego & Pater veniemus & manſionem apud eum faciemus. Numquid corporaliter Pater venit? Sic ergo ſpiritus venit. In quo cum venit, & Patris & Filii plena præſentia eſt.* Præſentia itaque Spiritus Sancti præſentem etiam ſiſtit Chriſtum, & Deitatis ejus ἐνεργητικὸς eſt, ut ait Cyrillus de Chriſmate, alii de Baptiſmate quod etiam erat ἀντίτυπον, hoc eſt, ſignum Chriſti paſſionis, ut veteres affirmant, & Paulus aſſerit eos qui baptizantur in Chriſtum, in mortem ejus baptizari. Vnde & ter mergitabant eos ad ſignificandam triduanamChriſti in ſepulchro moram. Nulla tamen fit in baptiſmo aquæ ſalutaris mutatio, ſed gratiæ ſpiritalis ad eam adjunctio. Quod ſimiliter & in hoc ſacramento contingere veteres omnes uno ore dixere, ut infra plenius explicabitur. Nõ igitur præſentia Spiritus aliter de pane corpus Chriſti facere potuit & de vino ſanguinem, quam πνευματικῶς, nẽpe gratia adjecta ſpiritali & divina quæ non mutaret ſubſtantiam ſpecierum, ſed iis adderet quod non habebant, ſpiritalem corporis & ſanguinis Dominici vim & virtutem. Cum enim, ut diximus, panis non ſimpliciter figura

ſit corporis integri Chriſti; ut hominis in terris adhuc viventis conſiderati, aut poſt reſurrectionem in cœlum recepti, ſed corporis in cruce fixi fractique & quod ſanguinem pro nobis ibi effuſum amiſit, cui & figuram ſeorſim vinum in ſacramento datum eſſe voluit, non poteſt talis ſubſtantiarum fingi invicem converſio ſignorum in res ſignificatas, qualem Pontificii imaginantur. Diverſa quippe ſigna ſunt & genere diſtantia quæ unum corpus & integrum non ſignificant, ſed fractum & in duas partes diviſum, hinc corporis ſine ſanguine, hinc ſanguinis à corpore ſeparati, ut in hoſtia eſt immolata, qualem ſe pro nobis Deo Patri in cruce obtulit Chriſtus. Non igitur panis exhibet corpus Chriſti quale nunc eſt in cœlo localiter exiſtens, & cum ſanguine ſuo, neque quale fuit cum hunc ipſum panem daret in ſacramentum corporis ſui. Nec enim, ut dictum eſt, poteſt dari realis & ſubſtantialis converſio duarum diverſarum ſubſtantiarum in unius alterius ſubſtantiæ duas partes, in eodem corpore unitate continui conjunctas, ut ſunt caro & ſanguis in corpore hominis viventis. Sin vero eæ partes morte disjungantur, ut in hoſtia mactata, multo minus duæ illæ ſubſtantiæ genere toto differentes in duas has partes unius corporis morte diviſas poſſint realiter & ſubſtantialiter converti. In Chriſti corpore morte ejus & paſſione ita ſeparatæ ſunt. Earum antitypa conſti-

conſtituit panem & vinum, quibus ſacramenta corporis ſui & ſanguinis inſtituit. Antitypum non dicitur niſi relatione ad archetypum. Eſt enim hæc vox τῶν πρός τι. Non enim poteſt intelligi ἀντίτυπον niſi relative ad aliquid cujus ἀντίτυπον dicatur. Illud eſt ἀρχέτυπον. Vt duo ergo in Euchariſtiæ ſacramento ſunt ἀντίτυπα panis & vinum, ita etiam duo eſſe oportet ἀρχέτυπα ad quæ referuntur. Ea ſunt corpus Chriſti & ſanguis. Corpus eſt ἀρχέτυπον panis, & ſanguis ἀρχέτυπον vini. Rurſum panis eſt ἀντίτυπον corporis Dominici, & vinum ἀντίτυπον ejuſdem ſanguinis. Vt ſeparata ſunt ἀντίτυπα non conjuncta, ita etiam ἀρχέτυπα, quorum ἀντίτυπα ſimiliter debent ſejuncta & ſeparata conſiderari. Non enim duo diverſa inter ſe ἀντίτυπα poſſunt unius ἀρχετύπου naturam & ſubſtantiam exprimere. Fuere autem illa ἀρχέτυπα ſeparata in ſola Chriſti morte & paſſione. Ergo ea ἀντίτυπα ad mortem ſuam ſignificandam, & memoriam ejus celebrandam à Chriſto inſtituta fuiſſe liquet. In paſſione ejus ſemel ſic ſanguis & corpus invicem diviſa fuere, ut ſanguis ſeorſim è corpore abierit, & corpus ſine ſanguine manſerit. Ideo duo quoque ἀντίτυπα conſtituit ſeparata duorum illorum ἀρχετύπων etiam ſeparatorum per mortem ſuam, cujus recordationem eſſe faciendam in illis ſymbolis & antitypis uſque ad conſummationem ſæculorum in cœna ſua Paſchali ſanxit. Non igitur corpus unum &

integrum Chriſti, quaſi idem ἀρχέτυπον, quale fuit cum in terris ageret, aut quale fuit poſt reſurrectionem cum vitam cum ſanguine recepit, & quale nunc in cœlo localiter exiſtit, ea duo ἀντίτυπα repræſentant, ſed quale erat in cruce pro nobis immolatum cum corpus ejus in duas partes, ut hoſtia vera, diviſum eſt, in ſanguinem & carnẽ ſanguine carentem. Hoc ſemel inquam accidit in crucis paſſione, nunc non eſt, & Chriſtus jam reſumpto cum vita ſanguine in cœlo vivit integro & uno ac membrorũ circumcæſura finito corpore & locũ certum occupante qui quantitati ejus naturali convenit. Non igitur hujus corporis integri & unius ἀντίτυπα eſſe poſſunt panis & vinũ, quæ in Euchariſtia fidelibus dantur. Nam nec vitam in terris ejus denotant, nec reſurrectionem, nec manſionem in cœlo, ſed ſolam paſſionem & mortem. Quomodo itaque verum eſſe poteſt quod docent Pontificii, & inter hos Cardinalis Petronius, nempe corpus Chriſti quod eſt in pane ita unum idemque eſſe cum eo quod eſt in cœlo, ut exemplum idem eſt atque unum cum ſua originali & authentica ſcriptura, ideoque ἀντίτυπα à Patribus vocata eſſe ſacramenta corporis Chriſti, metaphora ducta à ſcribis librariis qui exemplaria deſcribunt ex archetypo quæ idem quod ipſum plane continent. Ita ergo ſacramenta corporis dici ἀντίτυπα corporis, quia paria prorſum ſint ipſi corpori naturali, viſi-

bili

bili & palpabili, & de eſſentia ejus tantundem habeant quantum ipſum. Quantum hæc à ratione recta & veritate diſſideant, doceamus. Demus illis interim ἀντίτυπα dici tralatione ducta à ſcribis, & exemplaribus librorum ex archetypo deſcriptis. Primum non corporis ſolius in Euchariſtia antitypum unum nobis datur, ſed duo ἀντίτυπα corporis & ſanguinis ſeorſim & ſeparatim conſiderati, ut neceſſe eſt ad mortem & paſſionem Chriſti ſignificandam, cujus rei gratia inſtituta ſunt. At corpus quod in cœlo eſt non ſeorſim ſuam carnem habet & ſeorſim ſanguinem. Non igitur hæc duo corporis & ſanguinis Dominici quæ ſeparatim à Chriſto diſcipulis data ſunt, & ſeparatim quoque à fidelibus in Eccleſia primitiva ſumi ſolebant, poſſunt una & eadem eſſe cum illo corpore Chriſti quod eſt in cœlo, & totum integrumque nec ſuo ſanguine vacuum exiſtit. Deinde tametſi hoc daretur, unum tantum eſſe in cœna Dominica corporis Chriſti ἀντίτυπον, & ſanguinis ἀντίτυπον prorſus removeretur, ut ab ipſis remotum eſt, ne ſic quidem corpus ἀντιτύπου quod in ſacramento datur unum eſſet cum corpore ἀρχετύπου quod in cælo eſt, ad illud inſtar quo ſcriptum ἀντίτυπον unum eſt cum archetypo & authentico. Nulla quippe ſimilitudo talis eſt hujus & illius ſcripturæ, ut unitatem utriuſque poſſit conficere. Plus adhuc dicam, ne ſimilitudinem quidem tantam habere poſſe cor-

pus

pus quod fingunt in ἀντιτύπῳ ſacramentali eſſe, cum archetypo corporis cœleſtis, quanta eſt inter ſcripturam principalem & tam quæ inde exemplata eſt. Non ſolum enim idem ſermo totidem verbis in utroque debet contineri, ſed etiam iiſdem characteribus & litteris exprimi. Si enim ſcriptura variet & Hebraicis litteris oratio Græca in exemplari exaretur, quæ in authentica Græco ſermone pariter & charactere conſcripta ſit, non poteſt dici hoc exemplar eſſe ἀντίτυπον, vel ἀντίγραφον illius archetypi. Rurſus ſi Græcus contextus archetypi converſus ſit in Hebraicam dialectum, & Græcis characteribus deſcribatur in exemplari, non pro ἀντιτύπῳ erit habendum hoc exemplar illius archetypi. Per omnia igitur apographum cum autographo convenire debet, ut apographum cenſeatur ex autographo ductum, & ſermo non ſolum in utroque pariare ſed etiam ſcriptura. Idem de imagine dicendum. Ἀπόγραφος imago ſi lineamentis vultus & corporis diſcrepet ab archetypo, non poteſt videri eſſe ejus ἀπόγραφος. Si rurſus figuræ lineamenta eadem habeat ſed in reliquis ſit diſparata, ut in veſte, capitis tegmine, calceis, & alio cultu habituque, ne ſic quidem ἀντίτυπον τοῦ πρωτοτύπου ſimilitudine reſpõdebit, ſed nec πρωτοτύπου illius dicetur eſſe ἀντίτυπον. Finge originalẽ picturam imaginem oris aliam habere quam ea quæ dicatur ἀπόγραφος, ſed veſtimentis iiſdem eſſe excultam,

aut

aut contra eundem vultum præferre ſed alium veſtitum, quam quæ inde efficta ſit, neutra poterit dici eſſe ἀντίτυπος vel ἰσότυπος primitivæ illius & principalis iconis, cum altera vultus lineamentis differat, altera ornamentorum habitu. Pone vero omni parte exemplatam imaginem vel ſtatuam reſpondere ſimilitudine ei ex qua expreſſa eſt, vel etiam ipſi perſonæ ad quam exprimendam & repræſentandam facta eſt, ne ſic quidẽ unitate ſubſtantiarum inter ſe continebuntur prototypum & antitypum. Niſi quis dixerit nummos à talium artifice ſimulatos eoſdem & unos eſſe ſubſtantialiter cum illo nummo antiquo quem imitantur. Relatione non ſubſtantiæ unitate eadem ſunt ἀντίτυπα cum prototypis vel archetypis, quamvis ſimilia ex omni parte configurata ſint. Non enim ἀντίτυπα dicuntur aut intelligũtur niſi ratione & reſpectu τῶν πρωτοτύπων, quorum ſunt ἀντίτυπα. At corpus Chriſti quale eſſe in antitypo hariolantur, ne unum quidem eſſe poteſt cum archetypo quod in cœlo eſt, ea unitate qua ſcriptura vel pictura exemplata eadem videri poteſt cum principali vel originali forma. Nihil enim ſimile intercedit. Corpus Chriſti in cœlo eſt, unum exiſtit, continuum, circumſcriptum, cum extenſione & ſitu locali, cum magnitudine ſibi convenienti: ut in antitypo ſacramenti fingitur eſſe, nulla habet lineamenta membrorum expreſſa, nullam extimam eorum circumcæſuram, nullum

nullum occupat locum, nullam habet quantitatem extenſivam, in puncto totum eſt atque indiviſibile. Nulla ergo unitas ſubſtantialis ac realis poteſt eſſe hujus corporis imaginarii cum illo vero quod cœlo continetur, ne talis quidem qualis intercedit inter ſcripturam codicis authentici, & exemplaris inde exſcripti. Sed neq; ἀντίτυπα corporis & ſanguinis à Patribus eo ſenſu appellata ſunt quo volunt, quaſi paricula & exempla corporis archetypi cum quo eadem & una eſſe ea contendunt. Vox ἀντίτυπον ea notione idem prorſus ſignificat ac τύπος, & σύμβολον, quibus vocibus etiam uſi ſunt patres ad id exprimendum. Hinc Tertullianus, *Hoc eſt corpus meum*, interpretatur, figura corporis mei. Et Græci Patres paſſim τύποι eſſe dicunt panem corporis Dominici, & vinũ eſſe τύπον ſanguinis. Σύμβολα porro eadem ubique nominãt. Ἀντίτυπον autem ſubſtantive idem omnino eſt cum τύπῳ. Nam quædam vocabula ſunt quæ adjecta præpoſitione non mutant ſignificationem, ut πολίτης & συμπολίτης idem, συμπατριώτης & πατριώτης. Latini etiam poſteriores *concivem* dixêre, qui civis ſimpliciter antiquis ac purius loquentibus. Ita τὸ ἀντίτυπον idem ſonat quod τύπος, eſtque id quod pro τύπῳ eſt, vel quo aliquid contra repræſentatur. Sic vulgo *contra imitari* dicitur pro imitari, ita ἀντίλυτρον poſuerunt pro ſimplici λύτρῳ. Ita etiã ἀντίμιμον pro mimo apud Socratẽ. Sic ἀντίζηλος pro zelotypo, & verbum ἀντιζηλοῦν pro

pro ζηλῶν. Heſychius, ἀντίτυπον, τύπος. Sic legendum. Optimæ Gloſſæ: Ἀντίτυπον, *Exemplum*, *exemplar*, *inſtar*. Etiam *exemplum* Latini poſuêre pro typo quo aliquid ſignificatur & repræſentatur. Sed & *inſtar* figura eſt iiſdem. Certe apud Paulum ἀντίτυπα non ſunt exemplaria ex authentico traducta per ſcripturam imitando expreſſam, ſed τύποι. In Epiſtola ad Hebræos cap. IX. verſ. XIII. ubi χειροποίητα ἅγια dicit eſſe ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, intelligens nimirum ſanctuarium cœli ipſius eſſe ἀντίτυπον; cœlum enim ipſum intravit Chriſtus, non ſancta ſanctorum manufacta, ut Pontifex maximus. Non ea autem eſt ſimilitudo ſanctuarii cum cœlo quæ eſt ſcripturæ antitypæ cum archetypa. Vetus quidem interpres ibi reddidit, *Non enim in manufacta ſancta Ieſus intravit, exemplaria virorum*: ſed *exemplaria* non ſemper idem ſignificant quod ἀντίγραφα, cum ea voce omnis figura & imago & inſtar deſignetur. Atque inde etiam ἀντίγραφον vel liber eodem exemplo ſcriptus, nomen exemplaris meruit à ſimilitudine cum archetypo ex quo deſcriptus eſt. Horatius: *ad exemplar Siculi properare Epicharmi*. Non ibi eſt ἀντίγραφον, ſed ὁμοίωμα & inſtar. Petrus in Epiſtola I. cap. III. verſ. XXI. Baptiſmum dicit eſſe ἀντίτυπον arcæ à Noë conſtructæ, qua paucæ animæ ſervatæ ſunt per aquam, ὃ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα. In Codice vetuſtiſſimo qui à Thecla conſcriptus

fertur

fertur legi ajunt. O ϗ ἡμᾶς ἀντίτυπον νυῦ σώζει βάπτισμα. Illud O in antiquiſſimis libris Græcis & unciali charactere ſcriptis, ut ille codex eſt, pro ου ponitur. Nec dubium eſt veram illius loci eſſe lectionem, οὗ ϗ ἡμᾶς ἀντίτυπον σώζει βάπτισμα. In veteris ſcyphi inſcriptione apud Athenæum, ΔΙΟΝΥΣΟ ſcriptum fuit pro Διονύσου. Ita è contrario pro O littera interdum ſcribebant ου diphtongum. Vtrumque notat Athenæus. Arcæ & baptiſmatis cum hoc illius ſit ἀντίτυπον, non tanta eſt ſimilitudo, πολλοῦ γε ϗ δεῖ, quanta inter ſcripturam exemplaris, & autographi. Antitypa alia ſunt proximioris ſimilitudinis, alia remotioris, prout nimirum natura eſt rerum quarum ἀντίτυπα formantur, aut voluntas fert ejus qui rē aliquam alterius ſtatuit eſſe ἀντίτυπον. Nam & hoc ab arbitrio dependet. Qui imaginem ἀπόγραφον pingit ut quam ſimillima ſit architypæ vel oris figuræ quam repræſentare conatur, efficere ſtudet. Non eſt ἀντίτυπον exemplar niſi fideliter reddat & exprimat ſcripturam codicis authentici originalem. At cum veteres Patres panem & vinum ἀντίτυπα vocarunt corporis & ſanguinis Dominici, non eam proximam ſimilitudinem reſpexerunt quæ eſt inter picturam ſcripturamve archetypam & antitypam, ſed eam quam Chriſtus ipſe conſtituit, & qualis eſſe per naturam rei ſignificantis & ſignificatæ eſſe poteſt inter panem & corpus humanum, inter vinum & ſanguinem. Nam

non

non tantum panis & vini naturam per ſe proprietatemque ſpectavit in inſtituendis corporis & ſanguinis ſui ſacramentis Chriſtus, aut aliam earum ſpecierum ſimilitudinem propiorem cum corpore & ſanguine ſuo; ſed è re nata inter cœnandum reſpexit modum quo panis frangitur ut edatur, quo vinum effunditur in calicem ut bibatur. Ab ea panis fractione & vini effuſione cum mortis & paſſionis ſuæ commemorationem Eccleſiæ tradere vellet concelebrandam, quia corpore fracto & ſanguine effuſo deberet contingere, panis fracti in cœna & vini effuſi eam ſymbolica ſimilitudine conſignavit. Idque ſignanter expreſſit in dando pane poſtquam eum fregiſſet, τῦτο μού ἐςι τὸ σῶμα ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, & in calice tradendo, τῦτο τὸ ποτήριον αἷμα μȣ ἐςὶν ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Alia tamen re cernitur etiam ſimilitudo panis & corporis Chriſti, quia ut ille nutrit corpus, ita iſtud animæ noſtræ eſt alimentum. Evertunt plane inſtitutum & propoſitum Chriſti, quo recordationem mortis ſuæ celebrari ſanxit panis fracti & vini effuſi ſignificatione, qui corpus ejus in antitypis eo modo, quo imaginantur, exiſtens, unum & idem eſſe cum eo quod in cœlo eſt, volunt, ut eſt ſcriptura antitypa eadem atque una cum archetypa. Non ea, ut dixi, notio eſt vocis τ̃ ἀντιτύπων, qua uſi ſunt Patres ad corporis & ſanguinis Chriſti ſymbola deſignanda, qualia in Euchariſtia fidelibus

C porri-

porriguntur; ſed eam vocem mutuati ſunt ab Apoſtolis, cum Paulus ſanctuarium manufactum dixit eſſe ἀντίτυπον cœli, & Petrus arcæ Noaci ἀντίτυπον Baptiſma. Quæ ἀντίτυπα appellarunt eadem etiam σύμβολα vocata ab iiſdem conſtat. Vt aliquid ſit ſymbolum alicujus rei non ſimilitudo talis qualis eſt ſcripturæ authenticæ & exemplaris id efficit, quia plerunque nulla exiſtit figuræ affinitas inter rem ſignificatam per ſymbolum, & quæ ſignificatur, ſed ſola voluntas pro ſymbolo id eſſe ſtatuentium ſpectanda eſt. Σύμβολον idem quod ſignum vel σημεῖον. Inter emptorem & venditorem emptionis ſymbolum apud Græcos nummus fuit dimidiatus. Inter hoſpites apud Græcos unde filii agnoſcerent inter parentes ſuos jura olim hoſpitalitatis fuiſſe, ſymbola quædam & notæ receptæ fuere. In ipſis Græcorum myſteriis σύμβολα peculiaria locum habuere, quibus ſeſe invicem myſtæ illorum ſacrorum internoſcerent. Arnobius lib. v. *Ipſa denique ſymbola quæ rogati ſacrorum in acceptionibus reſpondetis: jejunavi, atque ebibi cyceonem, ex ciſta ſumpſi, & in calathum miſi.* Habet ex Clemente in Admonitione ad gentes, τὰ σύμβολα τῆς μυήσεως ταύτης, ἐκ τυμπάνου ἔφαγον, ἐκ κυμβάλου ἔπιον, ἐκερνοφόρησα, ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυον. Teſſeræ frumentariæ quæ dabantur civibus Romanis ad frumentum ex publico accipiendum etiam σύμβολα fuêre, & Græci ita reddunt. Hoc ſenſu accepta

σύμ-

σύμβολα non eadem ſunt cum ἀντιτύποις. Interdum enim & in ſacramentis ea notione vocem illam uſurparunt, ut in Liturgia Ægyptiaca, cum panis & vinum offerebatur ad altare, dicebat Sacerdos, *Offero tibi, Domine, ſymbola redemptionis noſtræ*. In Ægyptiaco eſt Νισύμβολον, id eſt, σύμβολα. Pro eo dici non poſſet, ἀντίτυπα *redemptionis noſtræ*. Panis quidem & vinum ſymbola ſunt & arræ teſſeræque redemptionis noſtræ, & ſimul ἀντίτυπα ſive figuræ corporis & ſanguinis Dominici. Symbola, inquam, ſunt ſimul redemptionis, & ſymbola corporis & ſanguinis, quia vox σύμβολον utrumque ſignificat. Nam & Græci Patres σύμβολα σώματος & αἵματος panem & vinum eſſe dixerunt, ut ἀντίτυπα. Theodoretus, ut alios omittam, σύμβολον & τύπον dixit in Dialogo I. Τινὸς ἡ γῆ σύμβολον τε καὶ τύπον τὴν παναγίαν προφὴν, τοῦ θεότητος τοῦ δεσπότου Χριστοῦ, ἢ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος. Vbi σύμβολον & τύπον in parallelo & pro eodem poſuit. In Græcorum quoque myſteriis σύμβολον ita accipiebatur, non tantum eo ſenſu quem ſupra notavimus. Hinc apud Iuſtinum in Apologia II. Καὶ παρὰ παντὶ τῶν νομιζομένων παρ' ὑμῖν θεῶν ὄφις σύμβολον μέγα καὶ μυστήριον ἀναγράφεται. Vbi σύμβολον & μυστήριον ita junguntur ut apud Theodoretum, loco ante citato, σύμβολον & τύπος. Nam μυστήριον nihil aliud eſt quam τύπος ſacer vel ſymbolum rei ſacræ, hoc eſt, ſacramentum. Sic Paulus de matrimonio, id eſt, conjunctione maris & fœminæ μυστήριον

 eſſe

eſſe *μέγα* dixit in Chriſto & Eccleſia, magnũ ſacramentum, Chriſti nempe & Eccleſię unitatis. Theodoretus, quæ alibi σύμβολα σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ appellavit, in Dial. III. cui titulus Ἀπαθής. eadem vocat ἀντίτυπα, his verbis: εἰ δὲ ἡ σὰρξ εἰς θεότητος μετεβλήθη φύσιν, τοῦ δὴ χάριν μεταλαμβάνουσι τὰ ἀντίτυπα τοῦ σώματος· περιττὸς γὰρ ὁ τύπος ἀνῃρημένης τῆς ἀληθείας. *Si caro converſa eſt in divinitatis naturam, qua gratia participant antitypa corporis: Superfluus enim typus ubi veritas tollitur.* Vbi τύπον & ἀντίτυπον in eadem ſignificatione poſuit, niſi quod generalior eſt vox τύπος, & tam rei futuræ quam præteritæ figuram ſignificat. Ἀντίτυπον vero typus eſt rei præteritæ & jam factæ. Nunquam enim quidquam ἀντίτυπον ejus quod futurum eſt dicitur, ſed ejus quod factum eſt, vel quod jam extat. Eſt enim rei contra oppoſitæ τύπος. Sic panis ἀντίτυπον corporis Dominici & calix ſanguinis, atque etiam τύπος, quia vox hæc generalior. Idem prorſus eſt & σύμβολον. Sic enim ſupra σύμβολον & τύπον pro eodem ſumpſit, ut hic ἀντίτυπον & τύπον. Vetus tamen auctor apud Photium Stephanus cognomento Gobarus, diſtinguere videtur τύπον ab ἀντιτύπῳ his verbis; ὅτι ὁ χαλκοῦς ὄφις ὃν ὕψωσεν ὁ Μωσῆς τύπος ἦν τοῦ δεσπότου, καὶ ὅτι οὐχὶ τύπος ἀλλ' ἀντίτυπος. Diſputabat ibi utrum æneus ſerpens quem erexiſſet Moſes ad ſanandos qui à ſerpentibus morſi eſſent, foret τύπος Chriſti an ἀντίτυπος. Τύπος per umbram magis & quaſi per nebulam obſcurius

rem

rem figurat: ἀντίτυπον vero clarioris eſt ad veritatem ſignificandam expreſſionis. Ideo ſerpens ille erectus in ligno, qui ad ſe adſpicientes ſanabat, revera ἀντίτυπον potius fuit quam τύπος Chriſti, in crucem ad nos à morte æterna ſervandos ſubrecti. Non adumbrabat igitur tanquam typus ſerpens ille æneus Chriſtum, ſed clare repræſentabat. Veteres tamen, ut ſupra oſtendimus, non agnoſcunt differentiam inter τύπον & ἀντίτυπον. Nec poſſum aliam comminiſci quam quæ ſupra nobis notata eſt, ut τύπος ſit rei futuræ pariter & præteritæ, ἀντίτυπον tantum præteritæ. Nunquam enim veteres uſurparunt ἀντίτυπον de præterito. Arca Noaci τύπος eſt baptiſmi non ἀντίτυπον. At Baptiſma ἀντίτυπον eſt arcæ Noaci, ut Petro dicitur. Vt autem ἀντίτυπον à τύπῳ diſtinguit Gobarus non alibi id diſcrimen apud veteres reperio, niſi quis velit ἀντίτυπον adjective aliud ſignificare, quam τὸ ἀντίτυπον ſubſtantive. Serpentem enim æneum in deſerto erectum Chriſti τύπον fuiſſe alii auctores ſcribunt. Ἀντίτυπον ſubſtantive idem tum fuerit quod τύπος, ut ἀντίλυτρον idem quod λύτρον. Ita panis corporis Dominici ἀντίτυπον & τύπος etiam dicitur. At ἀντίτυπος idem quod ἰσότυπος ſimilis formæ & modi, ut ἀντίθεος idem quod ἰσόθεος, ſimilis Deo. Ita ἀντίτυπος γραφὴ, eſt ἰσότυπος iiſdem characteribus expreſſa, & ἀντίτυπον βιβλίον. Sed hoc diſcrimen neglexere antiquiores.

 Nam

Nam prout eſt natura rei cujus altera eſt ἀντίτυ-
πος, ita expreſſiore aut minus expreſſa adum-
bratione ſignatur. Sed ne ſic quidem accepta
vox ἀντίτυπος conveniret ſerpenti æneo, ut ty-
pus Chriſti in crucem ſublati eſſe videretur.
Non enim de futuræ rei typo hæc dictio ἀντίτυ-
πος accipitur, ut jam ſupra docuimus, ne qui-
dem ſi de ſcriptura aut pictura ſumatur. Ad
rem quippe quæ fuit exigitur, aut quæ adhuc
extat, cui ſimilis facta eſt, ut imago ad arche-
typum, aut apographum imaginis ad protogra-
phum, aut ſcriptura exemplaris ad authenti-
cam codicem. Symbolum quoque nunquam
uſurpatum eſt niſi de ſigno rei quæ eſt aut fuit,
nuſquam de futura. Pſeudoclemens ἀντίτυπα &
σύμβολα appellat corporis Chriſti ac ſanguinis
panem & vinum. Idem alio loco εὐχαριστίαν
adjective ἀντίτυπον corporis Chriſti eſſe dicit
eodem ſenſu, Lib. VI. cap. XXIX. καὶ τὴν ἀντίτυ-
πον τοῦ βασιλείου σώματος Χριστοῦ δεκτὴν εὐχαριστίαν προσφέ-
ρετε ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ὑμῶν. Et Petrus in loco
quem paulo ante citavimus ex Epiſtola ejus
priore, ἀντίτυπον βάπτισμα eſſe dixit Arcæ à
Noaco conſtructæ. Theodoretus porro quam
longe ſit ab eorum ſententia, qui panem & vi-
num, quæ ſymbola ſunt & ἀντίτυπα, ut ipſe vo-
cat corporis & ſanguinis Dominici, in cor-
pus & ſanguinem ſubſtantialiter converti cre-
dunt, locus ille ſupra allatus, abunde declarat.
Diſputat ibi contra eos hæreticos qui affirma-
bant

bant Chriſti carnem in naturam divinam fuiſſe converſam, & qui nihilominus Euchariſtiæ in Eccleſia participes fiebant, & communicabant corpori & ſanguini Dominico ſub ἀντιτύποις utriuſque, id eſt, pane & vino. Stulte eos facere arguit, & contra ſuam ipſorum opinionem, quam hoc facto everſum ibant. Quid enim, inquit, opus illis ἀντίτυπα corporis Chriſti in cœna ſumere Dominica, id eſt, panem & vinum, cum nullum agnoſcant corpus in Chriſto, nullum ſanguinem? Cum velint naturam ejus humanam in divinam prorſus eſſe converſam, & ab eadem abſorptã? περιττὸς, inquit, ὁ τύπος τῆς ἀληθείας ἀνῃρημένης. Sublata veritate corporis Chriſti, typus ejus qui in pane & vino carnis & ſanguinis ἀντίτυπον cenſetur, prorſus eſt ſupervacaneus. Conſtat ex his Theodoretum non agnoſcere veritatem corporis & ſanguinis Dominici in Euchariſtia, id eſt, realem & ſubſtantialem Chriſti præſentiam, cum ſolis ἀντιτύποις nos dicat communicare, & ἀντίτυπα appellet etiam poſt conſecrationem, cum nimirum communicantes fideles eorum participes fiunt. τί τῶν ἀντιτύπων μεταλαμβάνουσι, cur de antitypis participãt illi hæretici, cum rẽ ipſam non agnoſcant cujus panis & vinum ſunt ἀντίτυπα, quæ in cœna ſumuntur à fidelibus? Cæterum cũ hoc loco Theodoretus ἀντίτυπα appellet etiam poſt conſecrationem, ut & in ipſo momento, quo & participantur, ita etiam ſymbola vocavit. Nam & in Dialogo

ſecundo ita Orthodoxus interrogat Eraniſten, εἰπὲ τοίνυν τὰ μυστικὰ σύμβολα παρὰ τῶν ἱερωμένων τῷ θεῷ τίνων ἐστὶ σύμβολα; Reſpondet Eraniſtes, τοῦ δεσποτικοῦ σώματός τε καὶ αἵματος. Et paulo poſt ait, εἰ τοίνυν τοῦ ὄντος σώματος ἀντίτυπά ἐστι τὰ θεῖα μυστήρια, σῶμα ἐστὶ καὶ νῦν τοῦ δεσπότου τὸ σῶμα. Clemens quoque in Conſtitutionibus Apoſtolicis, non verus quidem hoc nomine, ſed vetus autor, miſere multis locis interpolatus à veteribus pariter ac recentioribus, σύμβολα & ἀντίτυπα appellat etiam tum cum dantur fidelibus in communione Euchariſtiæ. Sic enim lib. VII. c. XXIII. hæc ejus verba ſcribenda ſunt, ἀντὶ θυσίας τῆς δι' αἱμάτων, λογικὴν καὶ ἀναίμακτον καὶ τὴν μυστικήν, ἥτις εἰς τὸν θάνατον τοῦ κυρίου διὰ συμβόλων ἐπιτελεῖται τοῦ σώματος αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος. *Pro ſacrificio cruento inſtituit rationale incruentum & myſticum quod in mortem Dominicam celebratur, per ſymbola corporis & ſanguinis ipſius.* Mirifice interpolatus eſt locus à Turriano, contra veteris ſcripturæ fidem, & peſſima etiam fide ita Latine redditus, *Pro ſacrificio cruento rationale & incruentum ac illud myſticum ſacrificium corporis & ſanguinis Domini, quod in ſymbolum mortis ejus celebratur.* Nihil tale in Græcis. Non enim dicit illud ſacrificium in ſymbolum mortis Chriſti celebrari, ſed in mortem Chriſti, hoc eſt, ad ejus commemorationem per ſymbola corporis ejus & ſanguinis, id eſt, per panem & vinum, quæ ſymbola ſunt corporis & ſanguinis celebrandum. Alio loco ἀντίτυπα appellat,

&

& celebrari ipſa ſcribit in Euchariſtia, lib. VII. cap. XXVI. Ἔτι εὐχαριστοῦμεν πάτερ ἡμῶν ὑπὲρ τοῦ τιμίου αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἐκχυθέντος ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ τοῦ τιμίου σώματος, οὗ καὶ ἀντίτυπα ταῦτα ἐπιτελοῦμεν αὐτοῦ διαταξαμένου ἡμῖν καταγγέλλειν αὐτοῦ θάνατον. *Adhuc tibi gratias agimus, Pater noſter pro ſanguine Ieſu Chriſti pro nobis effuſo, & pro pretioſo corpore quorum hæc antitypa celebramus ex inſtituto ejus, quo mortem ejus adnuntiaremus.* Notabis ἀντίτυπα corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia ἐπιτελεῖσθαι, ita ab eo dici, ut ab aliis ἐπιτελεῖσθαι μυστήρια paſſim dicuntur. Sed & lib. V. cap. XIII. Chriſtũ dediſſe ait diſcipulis ſuis, τὰ ἀντίτυπα corporis & ſanguinis ſui, παραδοὺς τε ἡμῖν τὰ ἀντίτυπα τοῦ τιμίου σώματος αὐτοῦ καὶ αἵματος, Ἰούδα μὴ συμπαρόντος ἡμῖν, *Et cum tradidiſſet nobis antitypa pretioſi corporis ſui & ſanguinis, abſente Iuda.* Vulgo vel ex gloſſa, vel ex interpolatione legitur, τὰ ἀντίτυπα μυστήρια. Quod ineptum eſt. Certe alii auctores dicere ſolent; μυστήρια τοῦ σώματος καὶ αἵματος, *ſacramenta corporis & ſanguinis.* Sed nuſquam legere eſt μυστήρια ἀντίτυπα. Immo ἀντίτυπα eadẽ prorſus cũ myſteriis, niſi quod μυστήρια ſunt μυστικὰ & ſacra ἀντίτυπα. At cum appellantur ἀντίτυπα & σύμβολα corporis & ſanguinis Chriſti, per hoc ſatis intelligitur ea eſſe ſacra antitypa vel ſymbola, id eſt, myſteria, vel ſacramenta. Nam rei ſanctæ ſymbola, ſunt vere myſteria, id eſt, argumenta vel monimenta ſacrata, uno verbo *ſacramenta*. Auguſtinus in Epiſtolis:

Signa cum ad res divinas pertinent ſacramenta vocantur. Nam ut paulo ante notabamus, *ſacramentum* nihil eſt aliud quam rei ſacræ, vel ſacrum ſignum, quod Græcis μυστήριον. Ita μύστης Latine dictus eſt *ſacrarius* vel *ſacraneus*. Vnde in veteribus inſcriptionibus, *ſacrarius Iunonis*, id eſt, μύστης. *Sacranea Deæ Cereris*, id eſt, antiſtita. Hinc & *conſacraneus*, συμμύστης. Ita *ſacrati* dicuntur μεμυημένοι. Tertullianus in Apologetico, *Hodie iſtic Bellonæ ſacratos ſanguis de femore proſciſſo in palmulam exceptus & eſui datus ſignat.* Sic locus ille legendus. *Bellonæ ſacrati*, οἱ μεμυημένοι. In veteri inſcriptione, *ſacrata apud Eleuſinam Deo Baccho, Cereri.* ἡ μεμυημένη: Item in alia, *Sacrata apud Lernam Deo Libero Cereri & Coræ.* Apud Prudentium: *Aut cur ſacrandus accipit ſphragitides.* Sacrandus, ὁ μυηθησόμενος. Inde ergo *ſacramentum*, τὸ μυστήριον, τὸ ἱερὸν σύμβολον, τὸ θεῖον. Dionyſius Pſeudareopagita ſacramenta ſive myſteria Dominica, appellat ἱερῶς προκείμενα σύμβολα, & θεῖα σύμβολα. Τῶν πολλῶν, inquit, εἰς μόνα τὰ θεῖα σύμβολα παρακυψάντων. Idem paulo ante, καὶ ἐπὶ τὰς ἱερὰς θεουργίας ὁ ἱεράρχης ὑμνήσας ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων. Inde *ſacramentum* & *rem ſacramenti* diſtinguit Auctor vetus libri de Cœna, & per *ſacramentum* intelligit ſacrum ſymbolum, ſive ſignum corporis Chriſti, τὸ μυστήριον: per *rem ſacramenti*, Chriſtum ipſum qui ſacramento ſignificatur. Idem ergo

go eſt, τῶν μυστηρίων μεταδοῦναι, τῶν μυστηρίων μεταλαμβάνειν, & τῶν ἀντιτύπων, vel συμβόλων. Item τὰ μυστήρια ἐπιτελεῖσθαι; & τὰ ἀντίτυπα ἐπιτελεῖσθαι, ut apud Clementem. Sic *ſacramenta percipere, participare, celebrare*, pro eodem apud Latinos Patres. Vbi autem ſymbola ſunt & ſigna, ibi res eſſe non poteſt in veritate & eſſentia cujus illa ſigna ſunt, vel ſacramenta, vel myſteria. Nam cum res adeſt ipſa, ſigna abeſſe oportet: ſi ſigna adſint & ſymbola, rei veritas abeſt. Non enim ſimul eſſe poſſunt in eodem ſubjecto. Omnis religio myſteria ſua habuit, quibus tanquam ſacris ſignis ac ſymbolis ex materia terreſtri comparatis, res divinæ demonſtrarentur, & ab hominibus apprehenderentur. Nec enim Deus poteſt hominibus inſinuari niſi per terrena ſymbola, quibus divinitatis ſuæ ac numinis præſentiam quodammodo iis, qui aliter eam haud poſſunt capere nec ſuſtinere, accōmodet. Καθάπερ, inquit vetus auctor ex Patribus, οὐκ ἔστιν ἄνευ μεσότητος, οὔτε ὕλης παχυτέρας τοῦ πυρὸς λαβέσθαι, οὕτω καὶ τῶν θείων οὐδὲν ἐστὶ λαβεῖν ἄνευ συμβόλων ὑλικῶν τε καὶ προσφόρων τοῖς δεχομένοις. *Quemadmodum ignis capi non poteſt abſque aliquo inſtrumento & materia craſſiore media, ſic nec divinorum quidquam apprehendere poſſumus abſque ſymbolis materialibus, & ſuſcipienti accommodis.* Ea σύμβολα vocat σωματικά, ἀσωμάτων λογικῶν καὶ νοητῶν. Ea corporalia ſymbola ubi ad rem divinam ſignificandam ſanctificatione aptata ſunt, deſinunt eſſe uſus communis, ut panis &

vinum,

vinum, quæ exinde incipiunt dici, atque exiſtere *ſacramenta*, ac μυστήρια, ſive ſacra ſymbola. Οὕτω δὴ καὶ ἁγιάζεσθαι τὸν πέπτον, ἢ τὸν ἄρτον, ἢ τὸν οἶνον, ἃ τῷ θεῷ φαμένῳ ἀφορίζεσθαι, καὶ πρὸς μηδεμίαν κοινὴν ὑποφέρεται χρῆσιν. Hinc Patres dicunt panem ita ſanctificatum, non amplius eſſe panem communem & vinum ſimiliter. Symbola hæc σωματικὰ & ὑλικὰ non perdunt id quod erant in ſubſtantia, & acquirunt id quod non erant per ſanctificationē. Hoc eſt ut loquitur alter, τὸ χεῖρον χωρῆσαι καὶ τὸν ἁγιασμὸν προσλαμβάνουσι. Hoc in myſteriis gentium non minus locum habuit quam in ſacris Iudæorum atque etiam Chriſtianorum. Summa religionis Chriſtianæ in paſſione ac morte Chriſti conſiſtit, qua generi humano vitam peperit æternam. Ea mors ſacrificium fuit pro redemptione noſtra, qua ſanguinem in cruce, tanquam victima profudit, quo nos reconciliavit Deo Patri, διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ, inquit Paulus ad Colloſſenſes. Hujus ſacrificii memoriam celebrari in Euchariſtia Patres omnes conſentiunt, quam ideo ſacrificium & ipſam appellant, quia ſit θυσίας ἀνάμνησις, ut Græci Patres dicunt. Cum ſit ergo hoc ſacrificium ἀναμνηστικὸν, quare ſit ex ipſa Chriſti Euchariſtiæ inſtitutione inſtruimur, qui panem fractum in cœna ultima dedit diſcipulis in ſymbolum corporis ſui frangendi, & vinum effuſum in ſymbolum ſanguinis effundendi, ut duobus his ſymbolis celebrarent ἀνάμνησιν, id eſt, comme-

memorationem paſſionis ſuæ, ſive ſacrificii corporis ſui quod pro nobis offerebat. Τοῦτο ποιεῖτε εἰς ἐμὴν ἀνάμνησιν. Ea commemoratio debuit fieri duobus illis ſymbolis quæ ſignabant ejus mortem, qua tanquam victima pro hominum genere immolari debuit. Non hęc poſſunt ſeparari, ut ſi memoria ſacrificii recolatur, qua ſe ipſum obtulit Chriſtus holocauſtum pro peccatis noſtris, ſimul etiam hæc memoria celebretur per duo illa ſymbola quibus ille mortem ſuam, id eſt, ſacrificium corporis ſui, ſignari voluit. Auguſtinus de Fide ad Petrum Diaconum, cap. XVIII. *In iſto ſacrificio Eucbariſtiæ, gratiarum actio & commemoratio eſt carnis Chriſti quam pro nobis obtulit, & ſanguinis quem pro nobis idem effudit.* Similia alibi apud eum reperies & apud alios Patres qua Græcos qua Latinos. Idem in Quæſtionibus libro LXXXIII. cap. LXI. *Seipſum obtulit holocauſtum pro peccatis noſtris, & ejus ſacrificii ſimilitudinem celebrandam in ſuæ paſſionis memoriam commendavit.* Hæc divelli invicem non poſſunt. Si ſimilitudo ſacrificii, in quo Chriſtus immolatus eſt, celebranda eſt, ſicut eam in memoriam paſſionis ſuæ celebrandam commendavit, debet omnino ea commemoratio fieri per ea ſymbola quæ ad eam faciendam tradidit. Hæc ſimul ire debent, ſine quibus nec ἀναμνήσεις mortis & ſacrificii corporis Chriſti conſtare poteſt. Vt ſacrificium ipſum verum cum factum eſt,

non

non fuit ſine corporis fractione, & ſine ſanguinis effuſione in cruce; ita ſimilitudo illius ſacrificii, & memoria non poteſt conſiſtere ſine ſymbolis, quibus & corporis ſui fractionem, & ſanguinis effuſionem in illo vero crucis ſacrificio factam conſignavit. Hæc ſunt panis & vinum, quorum ille corpus fractum, hoc vero ſanguinem effuſum in memoria illius ſacrificii celebranda denotant & χαρακτηρίζουσι, vel τυποῦσι. Cum autem alicujus rei memoria celebratur aliqua ſimilitudine ejus actionis, quæ olim geſta eſt, ea omnimodo debet referri ad illud tempus quo facta eſt, & ad modum ipſum quo facta. Alioquin niſi conveniat celebratio actionis cujus memoria ſuſcipitur celebranda cum ipſa actione, tẽporis & modi quo geſta eſt ſimilitudine, non recte conſtat ejus commemoratio. Euchariſtia gratiarum eſt actio & commemoratio ſacrificii, quo pro nobis oblatus eſt Chriſtus. Panis & vinum ſymbola ſunt & ſigna, quibus ea commemoratio celebratur. Commemoratio porro ipſa ſacrificii ſemel facti, ſicut modum & rem exprimit cujus ſimilitudinem repræſentat, ejuſque recordationem renovat, nec ad aliud tempus referri poteſt; ita ſymbola quibus ea ἀνάμνησις recolitur, non rem aliam, nec alium modum, nec aliud tempus referre debent, quam quæ geſta eſt, & quomodo, & quo tempore. Nam ea quæ fit ἀνάμνησις, Chriſti carnis pro nobis fractæ & ſanguinis pro

nobis

nobis effuſi, non fieri poteſt niſi per ea ſymbola, quibus eam inſtituit celebrandam ipſe Chriſtus. Vt autem Euchariſtia, quæ ſacrificii eſt illius veri & ſemel facti rememoratio, quamvis ſacrificium & ipſa appelletur, non poteſt tamen unum eſſe ſacrificium cum eo quod ſemel in veritate factum eſt: ita nec ſymbola ipſa quibus ea commemoratio inſtauratur non poſſunt una eſſe & eadem cum ipſa carne Chriſti, & cum ipſo ſanguine, quæ in ſubſtantia oblata ſunt, cum ſacrificium ejus corporis in cruce peractum eſt. Quanta eſt differentia inter ſimilitudinem rei & rem ipſam, inter commemorationem actionis & actionem, tantum intereſt inter ſacrificium corporis Chriſti activum, & ſacrificium ejus commemorativum, id eſt, inter paſſionem Chriſti, & paſſionis ejus ſimulacrum, quod in Euchariſtia repræſentatur. Ergo per eandem conſequentiæ neceſſitatem, tantum diſtat inter ſymbola corporis & ſanguinis, id eſt, panem & vinum, quibus ea ſacrificii memoria & ſimilitudo perficitur, & inter corpus ipſum & ſanguinem, quantum eſt diſcrimen ſacrificii, quod revera factum eſt, & ejus quo illius veri recordatio commemoratur. Tam falſo igitur Pontificii utrumque ſacrificium unum idemque eſſe contendunt, cum alterum ſit ἐξιλαστικὸν, alterum ἀναμνηστικὸν, quam falſo ſymbola ipſa quibus celebratur ἀναμνηστικὸν, una eſſe putant cum corpore & ſanguine Chri-

ſti,

ſti, qui in cœlo eſt. Quod quomodo procedere poſſit nulla ratione unquam oſtenderint. Sacrificium iſtud commemorativum non poteſt referri niſi ad illud ipſum verum quod in cruce ſemel peractum eſt, ad cujus ſimilitudinem & imaginem celebrandum eſt inſtitutum. Nec ergo ſymbola ipſa quibus inſtauratur ea ſimilitudo & memoria illius ſacrificii & paſſionis Chriſti, jam poſſunt referri, neque ad tempus aliud quam quo factum eſt ejuſmodi ſacrificium, neq; ad alium Chriſti ſtatum, quam qualem in paſſione habuit, qua ſe in ſacrificium obtulit. In ea paſſione & ſacrificio, corpus ejus, ut victimæ, carnem & ſanguinem ſeorſum habuit, ſanguine effuſo, & carne fracta. Cujus mortis ſuæ ſymbola duo vel ſigna, quibus ejus memoria celebraretur, eſſe voluit, panem fractum & vinum effuſum. Ergo vinum in calicem effuſum, quod tradidit Chriſtus diſcipulis ſuis bibendum εἰς ἀνάμνησιν ſuæ paſſionis, non poteſt eſſe ſymbolum niſi ſanguinis, quem in cruce pro nobis effudit, & ejus ſanguinis, qui à corpore ejus per effuſionem eſt ſegregatus. Vbi hodie ille ſanguis à corpore Chriſti ſeparatus? An in cœlo ſic habet? Quomodo ergo poteſt verum eſſe, quod aſſerunt, antitypa corporis & ſanguinis una eſſe & eadem cum corpore quod in cœlo eſt, pari modo quo ſcriptura exemplaris una eſt cū authentica & idiographa? An celebrant illi commemorationem paſſio-

paſſionis Chriſti, qui aliud corpus in ejus ſymbolo panis cogitavit, quam fractum & crucifixum, & alium ſanguinem, quam in cruce profuſum. Separatæ tum illæ duæ partes corporis Chriſti fuere cum paſſus eſt. Ita & ſeparata nunc eſſe & ſeparatim dari debent in Euchariſtia duo ſymbola, quibus eam commemorationem celebrandam ipſe inſtituit, ut recte illa ἀνάμνησις, quam fieri voluit, conſtet. Minus ideo probo eorum morem qui calicem prius præbebant in adminiſtrandis his ſacramentis quam panē, ex male intellectis verbis Lucæ adducti, & quod Paulus aliique veterum interdum calicem prius nominent, quam panis ſacramentum. Ex ordine inſtitutionis panem, tanquam fracti in cruce corporis ſymbolum, prius tradidit Chriſtus, quia corpus in cruce prius clavis fractum fuit, quam ſanguis effuſus. Qui calicis mentionem præpoſuerunt pani, quod ea eſſet nobilior pars & potior ſacramēti, id reſpexerunt, & qua ſola tota paſſio ejus, & ſacrificii pro nobis oblatio per ſanguinem crucis, ut ait Paulus, deſignata eſt & comprehenſa. An illius ſanguinis ſymbolum, id eſt, vinum in veram ſanguinis Dominici ſubſtantiam, quæ nunc in Chriſti corpore ſeorſim à carne non habetur, tranſire poſſit viderint, qui monſtroſiorē omnibus monſtris nobis commenti ſunt Tranſſubſtantiationem. Sanguinis in cruce tantum effuſi hoc ſymbolum eſt, non corpore

Chriſti incluſi. Panis ſimiliter, ſymbolum eſt non corporis Chriſti cum ſanguine ſuo ex morte ſuſcitati, & in cœlo localiter conſiſtentis, ſed in cruce fracti, & ſanguine ſuo vacui. Non rite peragitur alicujus rei commemoratio ſi omni ſimilitudine, & modis omnibus non conveniat cum ordine qua res ipſa geſta eſt. At Grotius qui viam conciliationi munire facilem ſatagebat, ut terriculamentum illius Tranſſubſtantiationis removeret, aut tegeret, ne impedimentum eſſet pacificationis, quam moliebatur, ait, *Eam vocem aptam & convenientem eſſe dicere Synodum Tridentinam, neceſſariam uſurpatu non dicere.* Quaſi de voce tantum agatur & non de re ipſa. Rem qui tollat, & nomen relinquat, conſultius fecerit & aptius ad conciliationem ineundam. Quis negat aptam eam vocem eſſe & convenientem ei doctrinæ quam confirmavit Tridentina Synodus? Sed quæſtio eſt an ipſa doctrina quæ eo nomine declaratur, conveniens ſit & conſona Sacræ Scripturæ, inſtitutioni Chriſti, Apoſtolicæ traditioni, & veteris Eccleſiæ praxi. Hoc diſerte negamus, & id debuit probare Grotius, ſi ſincere & ex animo conciliaturam religionum agere deſtinaverat. Fucum tantum facere voluiſſe apparet, & nos in fraudem eandem inducere qua ſemetipſum prius, ſi forte, ſeduxit. Non neceſſariam, inquit, uſurpatu dicit Tridentina Synodus. Quam igitur aliam uſurpandam

ſurpandam meliorem vel aptiorem habere potuerunt qua id quod volebant, exprimerent, & quod creditu ſit neceſſarium, ſancirent? An non de fidei neceſſitate definierunt illud credi quod voce illa ſignatur? De hoc agitur non de nomine. *Neque eam vocem*, addit idem Grotius, *à rege Britanniæ exegit Cardinalis Petronius.* Fuci quoque ille fuit & fumi venditor, qui fiſtula dulce canebat, aucupis more, ut volucres deciperet. Quid tum ſi nec eam exigebat? An rei ipſius gratia id faciebat cui vox illa impoſita eſt, ne neceſſario eum credere teneretur Rex Britanniæ? Non dixerit Grotius. Si bona fide agebat, non debuit hoc diſſimulare. Subjungit mox idem: *Et tamen in ea explicanda non plus eſt difficultatis quam in explicanda voce Græca quæ vertitur Tranſelementatio, quam vocem Rex Britanniæ probat.* Ea vox Græca μεταστοιχείωσις eſt. Non hîc quæritur utrum plus ſit difficultatis in explicanda una quam altera, ſed an ejuſdem utraque ſit ſignificationis. Veteres Patres uſi ſunt voce μεταστοιχείωσις quo tempore Eccleſia non credebat ſubſtantiam panis Euchariſtiæ in ſubſtantiam corporis tranſire. At vox *Tranſſubſtantiatio*, inventa eſt tum cum ea perſuaſio in Eccleſiam introduci cœpta eſt. An putare potuit Grotius rem æque eſſe facilem ſubſtantiam aliquam in alteram transformari, & ut eorum verbo utar, tranſſubſtantiari, & elementarum mutationem inter ſe dari? Illa pro mon-

ſtro eſt, & nunquam niſi prodigio fit vix credendo, iſta tralatitia eſt. Nam aqua in aërem tranſit rarefactione, aër in aquam redit condenſatione. Hæc eſt μεταστοιχείωσις, qua per metaphoram Patres quoq; uſi feruntur ad eas mutationes exprimendas ſpirituales, quæ nihil minus ſonant, quam ſubſtantiarum & formarum inter ſe tranſmutationes. Gregorius Nyſſæ in Epiſtola Canonica, quæ regenerantur, μεταστοιχειωθῆναι dicit, τοὺς ἐκ παλιγγενεσίας μεταστοιχειωμένους, *ex regeneratione tranſelementatos*. An aliquis pro eodem poſſet dicere, μετουσιωμένους, tranſſubſtantiatos? Non ſane putaverim, tametſi Grotius mihi auctor eſſet ita cenſendi. Cyrillus & alii in Iohannem ex Cathena, qui carnem Chriſti edit in eam μεταστοιχειοῦσθαι dicit, ὁ τὴν ἐμὴν ἐσθίων σάρκα, ζήσεται δι' ἐμοῦ, ὅλος εἰς ἐμὲ μεταστοιχειούμενος. Quod etiam de Baptiſmo dixerunt. Si ergo & qui baptizatur, & qui communicat Euchariſtiæ μεταστοιχειοῦσθαι dicitur, abſque ulla ſubſtantiæ humanæ mutatione, ſed per adjectionem gratiæ qua ex peccatore homo fit juſtus, per eam gratiam ſolus animi habitus tranſmutatur, eodem prorſus modo quo & qui doctus ex indocto evadit prorſus etiam μεταστοιχειοῦται additione doctrinæ, quæ alium habitum animi induit, non aliam naturam, nec aliam ſubſtantiam inducit. Per Baptiſmum itaque & per Euchariſtiam cum detur ἄφεσις ἁμαρτιῶν, & juſtitia homini peccatori per gratiam acquiratur, citra ſubſtantiæ mutationẽ, ſed

ſed cum μεταστοιχειῶσαι. hoc ſenſu μεταστοιχείωσις non eadem eſt cum tranſſubſtantiatione. Cum autem ea gratia, quæ per baptiſmum, & per Euchariſtiam confertur, hominem dicatur μεταστοιχειοῦν, in alium habitum animi mutare, non tranſſubſtantiare, ipſis ſpeciebus, quibus ſacramenta baptiſmi & Euchariſtiæ conſtant, ita eadem adjicitur, ut nec aquæ, nec vini, nec panis ſubſtantiam mutet, quamvis eam dicitur μεταστοιχειῶσαι. Nam οὐσία μεταστοιχειοῦται in materia ſacramentorum, dum uſus ejus mutatur, & ex profana fit ſacra, ut ex aqua communi ad lavandum corpus, aqua ſalutaris ad animum purgandum: ex pane ſignum corporis Chriſti, id eſt, ſacramentum paſſionis ac mortis ejus: ex vino ſimiliter ſanguinis ſymbolum, quam pro redemptione noſtra profudit. De aqua baptiſmi Patres dicunt eam μεταστοιχειοῦται. in virtutem divinam, quam ſatis conſtat non tranſſubſtantiari. Cyrillus in Iohannem, διὰ τῆς τοῦ πνεύματος ἐνεργείας τὸ αἰσθητὸν ὕδωρ πρὸς θείαν τινὰ καὶ ἀπόρρητον μεταστοιχειοῦται δύναμιν. Ergo cum de ſacramentis Dominici corporis & ſanguinis idem verbum uſurpant, non aliter debet intelligi, nec ullo modo poteſt de ſubſtantiæ in ſubſtantiam mutatione accipi. Gregorius Nyſſenus in oratione Catechetica, de ſacramentis loquens, ταῦτα δὲ δίδωσι τῇ τῆς εὐλογίας δυνάμει πρὸς ἐκεῖνο μεταστοιχειώσας τῶν φαινομένων τὴν φύσιν. Vbi ſane vox φύσις non aliud poteſt ſignificare quam ipſam ſubſtantiam, ut etiam

 ac-

accipitur apud Theodoretum in his verbis ex Dialogo II. τὰ ὁρώμενα σύμβολα τῇ τοῦ σώματος καὶ αἵματος προσηγορίᾳ τετίμηκεν, οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικώς. *Quæ videntur ſigna, corporis & ſanguinis appellatione honoravit non natura eorum tranſmutata, ſed ad naturam gratia addita.* Idem dicit quod Nyſſenus, quamvis non ita videatur. Φύσιν, id eſt, ſubſtantiam panis & vini, quæ ſunt τὰ ὁρώμενα σύμβολα corporis & ſanguinis Chriſti, negat mutari in corpus & ſanguinem Chriſti, quamvis honorentur appellatione corporis & ſanguinis. At Nyſſenus cum dicit φύσιν panis & vini μεταστοιχειοῦσθαι in corpus & ſanguinem Chriſti, ſubſtantiam quidem intelligit μεταστοιχειοῦσθαι, id eſt, adjectione gratiæ in alium habitum & uſum tranſmutari, manente nimirum eadem ſubſtantia quæ μεταστοιχειοῦται, non vero μετουσιοῦται. Nam μεταστοιχειοῦν nihil minus ſignificat quam ſubſtantiam convertere. Et tam noſtri falluntur quam adverſarii, dum hoc vocabulum Græcum Latino *Tranſelementare* reddunt. Non enim verbum μεταστοιχειοῦν ex nomine στοιχεῖον, quod eſt elementum, ſed ex verbo fit ſimplici στοιχειοῦν addita præpoſitione compoſitum, ut cætera omnia verba componuntur. Vt ſciatur igitur quid ſit μεταστοιχειοῦν, quærendum quid proprie ſignificet ſimplex στοιχειοῦν. An *Elementare* id Latine reddi poſſe putabant? Quid eſt vero elementare? Græci στοιχειοῦν exponunt, τυποῦν, σχηματίζειν, διατάξασθαι, etiam

διδάσκειν. Vnde στοιχίωσις prima inſtitutio vel litteratura, vel διατύπωσις. Hæc & στοιχειωτικὴ παίδων διδασκαλία dicitur Clementi Alexandrino. Ab eo igitur ſimplici verbo compoſitum μεταστοιχειοῦν idem eſt quod μεταποιεῖν, μετασχηματίζειν, μεταπλάττειν. Quin & στοιχεῖα non ſolum elementa ſunt, ſed etiam imagines, figuræ, typi, moduli. Suidas εἰκόνας & πλάσεις τῶν ὀνείρων hanc vocem notat ſignificare. Apud Epiphanium στοιχεῖα etiam legimus pro ipſis ſignis Zodiaci & ipſorum ſignorum figuris quas Δεκανοὺς Ægyptii vocabant, Hebræi פנים, Arabes وجوه id eſt, facies, Græci Aſtrologi πρόσωπα. Epiphanius, ut dixi, στοιχεῖα id eſt, μορφώσεις, vel εἰκόνας. In hæreſi ſeptima Pythagoræorum, ὀφθαλμοὺς δὲ αὐτοῦ καὶ τὰ ἄλλα ὥσπερ ἐν ἀνθρώπῳ, ἥλιον καὶ σελήνην καὶ ἄλλα ἄστρα, καὶ τὰ κατ' οὐρανὸν στοιχεῖα. *Et alias in cœlo imagines.* Signa Zodiaci ita vocat, & ſignorum Decanos. Sic enim alio loco interpretatus eſt in hæreſi Phariſæorum, καὶ τὰ ματαίως νομιζόμενα εἰς ἀριθμὸν στοιχείων παρὰ τοῖς πεπλανημένοις ὀνόματα, ἃ ζώδια καλοῦσι. Nam ζώδια etiam vocati ſunt illi Decani cum ζώδιον omnem μόρφωσιν ſignificet. Vnde ζώδια *ſigilla* in Gloſſis. Eam vocem non intellexit ille nebulo Loiolita qui Epiphanium mala verſione nec melioribus notis inſtruxit. Non mirum ergo ſi μεταστοιχειοῦν apud Suidam exponitur μετασχηματίζειν & μεταπλάττειν. Sed & cum διδάσκειν ſimplex στοιχειοῦν ſignificet, unde apud Heſychium στοιχειουμένοις, διδασκομένοις, & στοιχειῶσαι, διδάσκειν, hinc

μεταστοιχειοῦσθαι idem eſt quod μεταδιδάσκεσθαι. Dum aliquid autem novi addiſcitur, aut quod quis perperam doctus eſt, dediſcit, alium animi habitum ſic induit, & μεταστοιχειοῦται. Qui ex rudi doctrinam quam non habuit adſciſcit, is μεταστοιχειοῦται. Qui pravam doctrinam aut mores melioribus mutat, hunc etiam μεταστοιχειοῦσθαι dicere poſſumus. Qui ex σαρκικοῦ fit πνευματικὸς, ex carnali ſpiritalis, ex improbo probus, ex injuſto juſtus, μεταστοιχειοῦται. Res etiam ipſæ μεταστοιχειοῦνται, quæ naturam ſuam & ſubſtantiam non exuunt nec mutant, ſed habitum, uſum, modulum, modum & ſpeciem. Panis Euchariſtiæ qui ex pane ſimplici fit ſacramentum corporis Chriſti hoc modo plane μεταστοιχειοῦται quamvis non excidat ſua natura, nec ſubſtantia; ſed quia alium aſſumit uſum per gratiam quæ ex virtute divina & Spiritus Sancti efficacia ei inſpiratur atque inditur. Nam & qui per eandem Spiritus virtutem & gratiam regeneratur etiam μεταστοιχειοῦται, quamvis corporis & animi ſui ſubſtantiam retineat. Tam res quam perſonæ μεταστοιχειοῦνται, ſubſtantiam ſuam nihilominus ſervantes. Res, ut ea quæ Diis dedicantur, ut donaria: vel quæ uſibus divinis conſecrantur, ut vaſa ſacra: vel ut ſtatuæ, quæ per conſecrationem tanquam ipſi Dii quorum erant ſimulacra adorabantur, cum ante conſecrationem ornamentorum tantum vicem haberentur, atque ἀγάλματα vere dicerentur: vel quæ ſigna conſti-

conſtituuntur & ſymbola rerum divinarum, ut in myſteriis, cum ſerpens ſymbolum erat Dei, aut in Sacramentis Chriſti, cum panis & vinum fiunt ſymbola corporis & ſanguinis Dominici. Perſonarum duplex eſt μεταστοιχειώσεις, quatenus homo ex corpore & animo cõſtat, & utraque quidem ſine mutatione ſubſtantiæ. Cum ex puero fit adoleſcens & juvenis, & vir, & ſenex, partim habitus corporis mutatur, partim ſtatura, partim utrumque, non ſubſtantia. Atque hæ μεταστοιχειώσεις totidem ſunt μεταπλάσεις & μετασχηματισμοὶ, quales & in luna fiunt & dicuntur μετασχηματισμοὶ, quæ etiam dici poſſunt μεταστοιχειώσεις, quatenus & στοιχεῖον pro figura & ſchemate dicitur. Animi autem in homine pluribus etiã modis exiſtunt μεταστοιχειώσεις de bono in pravũ, & de malo in bonũ. Per ſapientiam μεταστοιχειοῦνται per doctrinam humanam & divinam, & per depravationem morum & diſciplinæ. Clemens μετατυποῦσαν τῇ διδαχῇ hominem ex Democrito dixit Stromateon lib. IV. qui & verbo etiam μεταρρυθμίζειν ad idem ſignificandum uſus eſt: Καὶ γὰρ διδαχὴ, inquit, μεταρρυθμίζει τὸν ἄνθρωπον, μεταρρυθμοῦσα δὲ φυσιοποιεῖ. Καὶ διήνεγκεν οὐδὲν, ἢ φύσει πλασθῆναι τοιόνδε, ἢ χρόνῳ, καὶ μαθήσει μετατυπωθῆναι· ἄμφω δὲ ὁ Κύριος παρέχηται τὸ μὲν κατὰ τὴν δημιουργίαν, τὸ δὲ κατὰ τὴν ἐκ τῆς διαθήκης ἀνάκλισίν τε καὶ ἀνανέωσιν. *Doctrina enim hominem refingit & transfigurat. Vbi autem ſic transfiguravit in alteram quaſi naturam eum convertit. Non enim differt natura* *for-*

formatus fuerit talis an tempore & doctrina transformatus. Vtrumque præſtat Dominus, alterum per creationem, alterum per regenerationem ac renovationem ex teſtamento. Omnibus his verbis utuntur Græci Patres ad exponendam μεταβολὴν, quæ fit in ſymbolis panis & vini, cum in ſacramenta corporis & ſanguinis Dominici, μεταστοιχειοῦσθαι, μετατυποῦσθαι, μεταρρυθμίζεσθαι, & μεταποιεῖσθαι, quæ verba deſignant mutationem non ſubſtantiæ ſed habitus & figuræ. Ita verſum μεταπεποιῆσθαι dixerunt, cum ſenſu & verbis iiſdem retentis, modulus metri mutatur. Clemens libro IV. Stromateon, Καθάπερ ἀμέλει κἀκεῖνο τὸ ἔπος, Ξυνὸς ἐνυάλιος, καί τε κτανέοντα κατέκτα, μεταποιῶν αὐτὸς, οὐδέπως ἐξήνεγκεν, ἐπίτυμον γὰρ ξυνὸς ἀνθρώποις Ἄρης. Senſu eodem pro Heroico Iambicum fecit. Ridicule igitur & inſcite Grotius μεταστοιχείωσιν cum tranſſubſtantiatione comparavit, quaſi idem utroque vocabulo ſignificaretur, & *Tranſelementationem* Latine reddidit quæ transfiguratio eſt potius, cum & στοιχεῖον figura ſit & imago & τύπος. Vnde & litteræ στοιχεῖα Græcis vocantur, quia figuræ ſunt. Elementa quidem Latini verterunt, & *elementa prima* de verbo ad verbum; ſed non ea ratio eſt Græci nominis στοιχεῖον, cum pro littera vel charactere ſumitur. Idem quippe στοιχεῖον quod χαρακτὴρ vel τύπος. Hinc litteræ etiam χαρακτῆρες ac τύποι. Ergo μεταστοιχείωσις proprie eſt μεταχαρακτηρισμὸς, μετατύπωσις, μετάπλασις, μεταρρύθμισις &

με-

μετασχηματισμὸς, non μεθουσίωσις. Vocem *Tranſelementationis* ait probare regem Britanniæ. Nos quoque eam probamus, cum genuina quam habet in Græco ſignificatione. Addit, *Modrevium vocem Tranſſubſtantiationis non rejicere, ſed explicare, & dicere corpus præſens fieri virtute ſpiritus.* Quæ ſunt ridicula. An poteſt hæc vox aliter explicari, quam ut ſonat? An recipi poteſt vox ipſa, & rejici res quam ſignat? Si de vocibus tantum eſſet quæſtio; hoc aliquid eſſet. Hoccine pertinet ad conciliationem ſincere & bona fide faciendam? Age, Calviniſtæ æque ac Pontificii vocabulum *Tranſſubſtantiationis* in ſacramentis retineant, quid deinde fiet? Si ambo Tranſſubſtantiationem communiter uſurpent, an utrique idem ſub eo nomine credituri ſunt? Pugna ſemper erit de re ipſa & ſignificatione vocis. Quæ ſpes igitur futura pacificationis inter commune vocabulum uſurpantes, ac de re diſſidentes? Melior certe cauſa tunc foret Pontificiorum rem ſibi ex nominis proprietate vindicantium, nullo autem jure Calviniſtæ vocabulum defenderent cujus vim non agnoſcunt. Nam quod Modrevius ita Tranſſubſtantiationem explicat, quod præſens corpus fiat virtute ſpiritus, quærerem ex Grotio ſi viveret, an ea ſit vera & genuina expoſitio vocis *Tranſſubſtantiatio*? Permittant mihi Romani ita credere & hanc vocem ſic intelligere, cras Romanus fio. Immo vel hodie. An Mo-

Modrevius qui ſic explicat, Papa fuit? Ne bonũ quidem grammaticum ſe fuiſſe fatetur. Quis enim grammaticus, aut Latine ſciens id interpretari poſſit eſſe Tranſſubſtantiationem, ubi nulla fiat mutatio ſubſtantiæ unius in alteram, ſed ſola virtute ſpiritus corpus præſens ſiſtatur? An Modrevii ſententia communis eſt ſenſus totius Eccleſiæ Romanæ? Immo pro hæretica damnatur à Romanis talis explicatiõ, nec unquam quiſquam in eam Eccleſiam recipietur niſi ea abjurata. Sic ſpem nobis conciliationis faciunt! Sic nos Eccleſiæ, à qua receſſimus, reſtituere geſtiunt, ſub verborum fucis & involucris, quæ nihil habent ſolidi, & quæ, ubi ad rem ventũ erit, nihilo magis proderunt ad integrandam pacem Eccleſiæ, quam fracta vitrea. Sanxit Tridentina Synodus ac declaravit, *Per conſecrationem panis & vini fieri converſionem totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus, quæ converſio convenienter & proprie à ſancta Catholica Eccleſia Tranſſubſtantiatio eſt appellata.* Cum ea igitur Eccleſia, quæ falſo ibi appellatur Catholica, cum hæretica ſit & ſchiſmatica, hanc vocem invenerit & fecerit ad opinionem, quam de converſione ſubſtantiæ panis & vini in ſacramentis corporis & ſanguinis ſanxerat exprimendam, aut omnino res, ſi placeat, cum nomine eſt habenda, aut nomen cum re ipſa repudiandum, quia non poteſt explodi, ſi

res admittatur. Quid enim refert, hoc ipſum nomen *Tranſſubſtantiationis* repudiari, ſi alterum ſynonymum neceſſe ſit omnino recipi? Et ſane neceſſe eſt. Nam cum non liceat aliter credere, quam quomodo definitum eſt à Synodo Tridentina, nempe ſubſtantiam panis & vini, in corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantiam converti, quocunq; modo hanc converſionem placeat appellari, ea appellatio cum re ipſa quam declarat, omnino neceſſaria erit uſurpatu. Aptam & convenientem propriamque vocem Tranſſubſtantiationis ad eam converſionem ſignificandam judicavit Synodus Tridentina. Ergo eam etiam neceſſario uſurpandam ſtatuit, donec aptiorem & convenientiorem aliam aliquis excogitarit, ſynonymam utique, atque ut vulgo loquuntur, *æquivalentem*, & ἰσοδυνάμον Debuit itaque Grotius in proponenda nobis circa hunc articulum conciliatione non tergiverſari, nec in verbis ludere, ſed aperte dicere an credi oportere cenſeret, ejuſmodi cõverſionem panis & vini, quæ pro utriuſque ſpeciei ſubſtantia reponit corporis & ſanguinis ſubſtantiam, ſicut illam injunxit omnibus fidelibus credendam Synodus Tridentina. Subjungit idem, *Platonicos res æternas, res quæ non ſenſu, ſed intellectu percipiuntur, ſubſtantias vocare*. Quid hæc faciunt ad Tranſſubſtantiationẽ adſtruendam? An ſatis eſt ut Tranſſubſtantiatio probetur, ſi res quæ intellectu ſolo percipiuntur ſub-

ſubſtantiæ à Platonicis vocentur? Ponamus ſpiritalis corporis Chriſti virtutem, qua per gratiam Spiritus Sancti præſens eſt in ſacramentis, ſubſtantiam eſſe ſecundum Platonicos, & eos, qui ab his id ſumpſerunt, veteres Chriſtianos, nondum erit Tranſſubſtantiatio, niſi ſubſtantia panis in ſubſtantiam corporis Domini tranſeat. Vt tranſeat autem debet omnino aboleri, vel corrumpi, vel confundi cum altera, vel recedere, atque ad nihilum redigi, ut altera ſuccedat. Nihil horum fit. Ergo non poteſt appellari *Tranſſubſtantiatio* ea mutatio, quam ſacramentis attribuunt panis & vini, cum maneant ſubſtantiæ utriuſque ſpeciei, nec tranſeant in ſubſtantias corporis & ſanguinis. Sed Platonici qui res æternas ſolas vocant ſubſtantias, *alia negant ſubſtantias eſſe quia non ſubſtant, ſed tranſeunt,* inquit idem Grotius. Nec hilum hæc valent ad Tranſſubſtantiationem nobis adprobandam. Si panis & vinum ſubſtantiæ non ſunt, nec poterit dari tranſitus ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis. Nam unica tum erit ſubſtantia in Euchariſtia, nempe virtus divina corporis & ſanguinis Chriſti ſpiritaliter in ſacramento exiſtentis, poſt conſecrationem. Ante conſecrationem vero cum merus ſit panis & merum vinum, nulla tum fuerit ſubſtantia, quia hæc pro ſubſtantiis non habent Platonici, utpote fluxa, & peritura. Quam ridiculum porro ſa-

ro ſacroſancta Chriſti myſteria ex ſcitis Platonicis explicare, de quibus nec Chriſtus cogitavit, cum ea inſtituit, nec Patres veteres qui de eo ſcripſerunt, ne quidem hodierni Romani, qui novum dogma commenti ſunt, &ad id explicandum novam Tranſſubſtantiationis vocem confinxerunt. Fruſtra etiam allegat Modrevium Grotius adferentem duos locos Thomæ Aquinatis, quibus probat Spiritus Sancti virtute præſens fieri corpus Chriſti in Euchariſtia. Non in hoc enim cardine ſolo vertitur controverſia de ſacramenti realitate, ſed etiam in eo, an panis & vinum poſt conſecrationem maneant. Nam ipſe ille Thomas adfirmat hæreticum eſſe dogma, quod panis & vinum maneant poſt conſecrationem. Concilium etiam Conſtantienſe damnavit, tanquam hæreticam Viclefi aſſertionem, dicentis, *ſubſtantiam panis materialis, & ſubſtantiam vini materialis manere in ſacramento altaris.* Et quod mirum eſt, Doctores pontificii minus putant hærere difficultatis in hoc articulo, quia de ejus indubitanda veritate conſtet ex verbis Chriſti, qui dixit, *Hoc eſt corpus meum*, cum panem traderet. Ergo panem non manere poſt illa verba pronuntiata à ſacerdote opinantur, neque vinum, ſed corpus & ſanguinem Dominicum exinde exiſtere. Sed quomodo majorem id habere difficultatem fatentur, ſicut à Romana Eccleſia definitum fuit; nempe panem & vinum converti

verti in corpus & ſanguinem Chriſti, ſi intra Scripturæ & verborum Chriſti limites conſiſtatur? *Cum enim*, inquiunt, *fieri poſſit quod in ſacramento ſint corpus & ſanguis Chriſti per ſolam panis & vini corruptionem, vel eorum receſſum, aut reſolutionem in praexiſtentem materiam, mirum videri poteſt, quod Concilia generalia pronuntiarunt per converſionem panis & vini in hoc ſacramento eſſe corpus & ſanguinem domini, cum miracula ex eo multiplicentur.* Ego vero miror plus in hac articuli parte miraculi eos invenire, quam in altera, cum hoc ab illa pendeat & conſequatur. Nam ſi panis ſubſtantia non manet ſed perit, & pro pane corpus Chriſti quod ante non fuit exiſtit, non poteſt ſuccedere corporis ſubſtantia in locum ſubſtantiæ panis, niſi aliquo modo eorum qui ſupra notati ſunt. Naturales autem modi, quibus ſubſtantia aliqua in alteram mutanda interit, ſunt plures. Aut enim cum alia ita confunditur, ut neutra ſit, ſed tertia quædam ex utraque compoſita. Ceratum vel κηρωτὴ, ex oleo & cera ita conſtat, ut neque cera ſit neq; oleum; ſed aliquid compoſitum ex duobus. Non ita panis cum corpore Chriſti mixtus unam ſubſtantiam & σύνθετον φύσιν, poteſt conficere. Aut fit per corruptionem cum ex aliqua ſubſtantia corrupta altera generatur. Neque hoc modo ex corrupto pane gignitur corpus Chriſti in Euchariſtia. Nam in hoc mutationis modo, manet materia utrique communis genito & corru-

corrupto. At in Tranſſubſtantiatione diſperit & evaneſcit tota, ut volunt, materia. Sic *Tranſmateriationem* melius eam nominarent quam *Tranſſubſtantiationem*, & μεθύλωσιν potius quam μετουσίωσιν. Nam materia abolita etiam ipſa ſubſtantia eſſe deſinit, non item ſi ſubſtantia depereat, materiam utique aboleri neceſſe eſt. Si ad ſupernaturalem aliquem modum confugiatur, non poteſt dari alius qui ſit magis ſupernaturalis, quam ille quo natura divina humanam aſſumpſit; nulli enim ex illis quos diximus naturalium mutationum, aut converſionum modis natura humana cum divina juncta eſt, ſed manente divina in ſuo ſtatu, nec à ſua ſimplicitate & proprietate diſcedente, humana cum ea καθ' ὑπόστασιν unita fuit, ἀτρέπτως καὶ ἀναλλοιώτως καὶ ἀσυγχύτως. In Tranſſubſtantiatione vero non ſola ſubſtantia & forma eſſe deſinit, καὶ εἰς ἀνυπαρξίαν χωρεῖ, ſed ipſa quoque materia, quam tamen converſionem appellant ſubſtantiæ, & Tranſſubſtantiationem, cum tamen non fiat neque κατὰ μεταβολὴν φύσεως, neque κατὰ τροπὴν, neque καθ' ἀλλοίωσιν. In quibus omnibus mutationũ modis non ſola vertitur ſubſtantia, ſed etiam ut neceſſe eſt, ipſa quoque accidentia. At omnipotentiæ illi divinæ, qua hæc tam prodigioſa fieri adſtruunt, dant quod majus eſt, ut ipſam ſubſtantiam aboleat cum materia, quo in ejus locum ſuccedere queat corpus Chriſti, negant quod minus eſt ut accidentia ſimul diſperdat.

At hoc faciunt quotidie præſtigiatores tanquam rem facillimam, ut ſpeciem immutent rerum ſubſtantia non mutata, quam ipſam non poſſunt convertere. An prius eſt ut conſtet corpus ipſum Chriſti realiter in ſacramento exiſtere, ut deinde ſciatur quo modo ſubſtantia panis recedat, ut corpori locus detur, ſi non poſſint una ſimul conſiſtere? Dixit Chriſtus cum panem daret Diſcipulis, *Hoc eſt corpus meum.* Ergo jam corpus eſt Chriſti, qui ante hanc Chriſti profeſſionem panis fuit. Si ſimul panis & corpus Chriſti non poteſt eſſe, quærendum, quo genere præſentia corporis deſtruat ſubſtantiam panis. Atqui præſentia divinitatis, ut loquuti ſunt auctores, vel divini & Sancti Spiritus, in Baptiſmo aquæ ſubſtantiam non abolere creditur, neque in Chriſmate olei, cur in Euchariſtia id putarunt fieri? Et de hoc quidem prius quæri oportet, an panis ſubſtantia maneat, aut non maneat poſt illa verba Chriſti à Sacerdote pronuntiata. Abjecta quippe panis ſubſtantia, cum corpus pro ea Domini ſubſtituatur, id fieri neceſſe eſt aut per panis corruptionem, aut per ejus receſſum, aut reſolutionem in præexiſtentem materiam: Quorum cum nihil factum videatur, ne quidem fieri poſſe credendum. Panis qui ſemper apparet, non recedit, qui incorruptus conſpicitur non corrumpitur, ſed nec reſolvitur in præexiſtentem materiam, cum in forma & ſubſtantia

ſtantia panis appareat. Quod autem pro pane corpus exiſtere creditur,& pro vino ſanguis, ne id quidem oculis, aut aliis ſenſibus ſubjicitur. Forma ſine ſubſtantia, quæ dicitur interiſſe, non deſinit conſpici, quæ vero in locum deperditæ ſucceſſiſſe putatur, non incipit videri. In præſtigioſis & magicis corporum tranſmutationibus ſaltem viſus fallitur. In veris & miraculoſis ſubſtantia unius corporis revera tranſit in ſubſtantiam alterius, ut cum baculum Aaronis in conſpectu Pharaonis in colubrum verſum eſt. Tales fuêre fabularum metamorphoſes, ut illæ quas deſcripſit ex Græcis Ovidius, Antonius Liberalis & alii. Poëta Latinus *mutatas formas in nova corpora* dicit. Hæc eſt μεταμόρφωσις, qua forma ſubſtantialis unius in alterius formam & ſubſtantiam convertitur. Nam μεταμόρφωσις, ut Græci accipiunt hanc vocem, eſt plane tranſſubſtantiatio. Μορφὴ quippe non eſt externa tantum ſpecies, ſed forma ſubſtantialis & corporalis. Cur non igitur metamorphoſin dixere pro tranſſubſtantiatione Pontificii, eam mutationem inter ſe ſubſtantiarum quam fingunt intercedere in ſacramentis corporis & ſanguinis Dominici? Nam vera metamorphoſis vera eſt tranſſubſtantiatio. Et μορφὴ Græcis non figura eſt vel ſpecies adſpectu tenus, ſed eſſentialis forma. An quia nec hic fit vere metamorphoſis? Nulla quippe formæ vel ſubſtantiæ tranſmutatio

 per-

peragitur. Quæ tranſire debet in alteram, & altera ſuperveniente quaſi obduci, ea remanet, illa vero in quam fieri tranſitum oportet, nuſquam apparet. Ne magicæ quidem ac præſtigioſæ mutationi quicquam habet ſimile. Nam in iis trāſmutationibus quas præſtigiatores & magi procurant, forma quæ tranſit æque non amplius apparet, ac ſi vera mutatio formarum facta foret, ea vero in quam tranſitur ſola conſpicitur. Ita viſum fallunt. In hac autem Euchariſtiæ tranſſubſtantiatione, non viſus fallitur, ſed menti ipſi & rationi vis fit, ut ſibi fucum fieri patiatur. Panis manet omnibus ſenſibus id adteſtantibus, corpus Chriſti in quod panis tranſſubſtantiari dicitur, non apparet, nec ulla alia ratione ſentitur, & tamen ſubſtantiam panis in ſubſtantiam corporis tranſiiſſe credendum eſt. Qui non credit pro hæretico damnatur. Quam ſe ridiculum præbuiſſet Pharaoni regi Moſes, ſi virgam Aaronis in ſerpentem fuiſſe converſam virtute divina perſuadere voluiſſet, & nihil aliud quam virgam ei oſtendiſſet? Exploſus certe cum verberibus & riſu fuiſſet. Non minus deridendi qui in re tam ſancta tam inepte ludunt, & vana miracula ſibi fingunt quæ nec ſenſibus perſpici, nec mentis ratione percipi queant. Fatentur Pontificii Doctores ex ea doctrina miracula multiplicari, & plurimas emergere difficultates, quæ noſtram ſuperant intelligentiam;

tiam; ſed ideo fidem ei eſſe adhibendam, *quia Patres & Eccleſia Catholica, quæ ſpiritum & ſenſum Chriſti ſponſi ſui habet, viderant ex germano Chriſti ſenſu hanc ſequi converſionem.* Quos Patres intelligant, neſcio. Si antiquos volunt, longe ab eo quod eſt, abeunt. Mirum vero quod dicunt Chriſti ſponſam Eccleſiam, quæ ſpiritum & ſenſum ſponſi ſui habeat, vidiſſe ex germano verborum Chriſti ſenſu hanc ſequi converſionem. Aliam igitur oportet ſponſam eſſe quam nunc habet Chriſtus ab ea quam olim habuit. Fortaſſean illi primitivæ Eccleſiæ quaſi nimis vetulæ & effœtæ, & mille annorum canos præferenti, repudium miſit, ut iſtam juvenculam & formoſulam ſibi deſponderet quæ Romana nunc dicitur, & pro Catholica, quod verum prioris nomen fuit, ſe venditat. Sane falſum eſt primam illam Eccleſiam veram Chriſti ſponſam & fidelium matrem, talem converſionem in hoc ſacramento vidiſſe aut probaſſe. Sola hæc novitia Chriſtianorum noverca,& Antichriſti ſponſa profanam & idololatricam eam metamorphoſin admiſit, & ſuis credendam indixit. Nec Patres porro veteres nec Eccleſiam antiquam tale quid unquam docuiſſe, ſed omnino contrariam opinionem tenuiſſe certis aliquot & claris, nec ἀντίῤῥησιν recipientibus teſtimoniis, hic demonſtrabimus. Duæ ſunt partes articuli quem proponunt Pontificii doctrinæ ſuæ de tranſ-

ſubſtantiatione adſtruendæ, in Euchariſtia non manere panem & vinum, & ea converti in corpus & ſanguinem Chriſti, hoc eſt, ut explicant Concilia, dum declarant verbum Tranſſubſtantiationis quod ad id ſignificandum uſurparunt, mutationem ſive tranſitum fieri de ſubſtantia in ſubſtantiam, quæ eſt mutatio ſubſtantialis inter duos terminos poſitivos. Primum igitur probandum eſt ex antiquæ Eccleſiæ Patribus, panis & vini ſubſtantiam manere etiam poſt ſanctificationem. Non ex ordine temporum quibus vixerunt auctores citabimus, ſed prout ſeſe offerent hæc commentanti. Satis quippe fuerit, ſi intra mille priorum Chriſti annorum ſpatium qui ſcripſerunt allegentur, ex quibus liquido colligi & conſtare queat hanc fuiſſe primitivæ Eccleſiæ ſententiam, nullam fieri nec in pane nec in vino ſubſtantiarum mutationem. Etſi autem omnes Patres & Doctores priſci idem ſenſerint, non tamen omnes eam rem ita diſerte explicarunt, de ſubſtantia panis & vini manente; ſed ii quos argumentum eo deduxit, ut deberent id neceſſario apertius exponere. Græcos primum, deinde Latinos producemus. Theodoretus in Dialogo II. cum ratio diſputationis inſtitutæ exigeret ab eo hanc declarationem, ita eam ſignificanter expreſſit. Sic enim Orthodoxum introduxit loquentem: Ἑάλως αἷς ὕφηνας ἄρκυσιν· οὐδὲ γὰρ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὰ μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύ-

σεως,

σίας, μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας καὶ τοῦ σχήματος καὶ τοῦ εἴδους, καὶ ὁρατά ἐστι, καὶ ἁπτά, οἷα καὶ πρότερον ἦν. Captus es iis *quas texueras caſsibus. Neque enim poſt ſanctificationem myſtica ſymbola à propria natura excidunt, ſed manent in priore ſubſtantia, figura, & ſpecie, & viſibilia ſunt, & tangibilia, ſicut erant prius.* Nihil potuit clarius dici. Ideo ei primum locum dedimus inter teſtes, qui contra Tranſſubſtantiationem procedere debent. Φύσιν appellat proprietatem naturæ, quæ non ſtat ſine ſubſtantia. Ideo Græcis cum de hac re loquuntur, φύσις & οὐσία idem eſt. Ita Theodoretus οὐκ ἐξίσταται τῆς φύσεως, & μένειν ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας pro eodem dixit, quæ & commutare invicem potuiſſet, dicendo, οὐ τῆς οἰκείας ἐξίσταται οὐσίας; μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας φύσεως. Idem in Dialogo primo vocem φύσις ita poſuit pro ſubſtantia panis & vini, cum ſcripſit quod Chriſtus τὰ ὁρώμενα σύμβολα τῇ τοῦ σώματος καὶ αἵματος προσηγορίᾳ τετίμηκεν, οὐ τὴν φύσιν μεταβαλών, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικώς. *Viſibilia ſymbola corporis & ſanguinis appellatione honoravit, non naturam eorum ſive ſubſtantiam mutando, ſed gratiam ſubſtantiæ adjiciendo.* Ephraimus Antiochiæ Patriarcha apud Photium dixit ἐξίσταται τῆς οὐσίας, quod Theodoretus ἐξίσταται τῆς φύσεως, æque atque ille diſertis & expreſſis verbis negans corpus Chriſti quod in Euchariſtia ſumitur viſibilem panis ſubſtantiam amittere. Sic enim ſcribit: Οὕτω καὶ τὸ παρὰ τῶν πιστῶν λαμβανόμενον σῶμα Χριστοῦ, καὶ τῆς αἰσθητῆς οὐσίας οὐκ ἐξίσταται, καὶ τῆς νοητῆς ἀδιαίρετον μένει χάριτος.

Ad hunc modum & corpus Chriſti quod à fidelibus ſumitur, & ſenſibili ſubſtantia ſua non excidit, nec ſeparatum manet à gratia intelligibili. Idem plane vult quod Theodorétus, ſubſtantiam panis viſibilem manere nec mutari in aliud, ſed gratiam intelligibilem adjici ſubſtantiæ. De aqua Baptiſmi idẽ Ephramius ſimiliter ſubjicit, non perdere propriam & ſenſibilem ſubſtantiam, quamvis acquirat gratiam ſpiritalem. Καὶ τὸ βάπτισμα δὲ πνευματικὸν ὅλον γινόμενον καὶ ἓν ὑπάρχον, καὶ τὸ ἴδιον τῆς ἰδίας οὐσίας, τοῦ ὕδατος λέγω, διασώζει, καὶ ὃ γέγονεν οὐκ ἀπώλεσεν. *Et Baptiſma quod totum ſpiritale exiſtit atque unum eſt, & ſenſibilis ſubſtantiæ proprietatem, hoc eſt aquæ, conſervat, nec amittit id quod factum eſt, nempe gratiam ſacramenti.* Φύσιν Clemens Alexandrinus dixit pro οὐσία, in fragmento vel Eclogis librorum Stromateon qui deſiderantur, ubi de Baptiſmo loquitur, deteriorem ſimul ſubſtantiam aquæ recipere eum dicit, & acquirere ſanctificationem gratiæ. Οὕτως, inquit, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ ἐξορκιζόμενον, καὶ τὸ βάπτισμα γινόμενον, οὐ μόνον χωρεῖ τὸ χεῖρον, ἀλλὰ καὶ ἁγιασμὸν προσλαμβάνει. *Sic & aqua quæ exorcizatur, & quæ Baptiſma fit, non ſolum id quod deterius eſt capit, nimirum aquæ proprietatem & ſubſtantiam, ſed etiam accipit ſanctificationem.* De oleo Chriſmatis idem, & de pane Euchariſtiæ præmiſerat, nempe quod virtute ſanctificarentur & in virtutem ſpiritalem mutarentur, manente ſcilicet τῷ χείρονι, id eſt, ſubſtantia & natura olei ac panis.

panis. Nam ſtatim ſubjicit, ὕτω δὲ τὸ ὕδωρ, τὸ βάπτισμα γινόμϑρον. Ephraimus quoque Antiochenus, de aqua Baptiſmatis & pane Euchariſtiæ ſcripſit utrumq; & viſibilem ſubſtantiam conſervari & ab intelligibili gratia non ſecerni. Natura aquæ, vel naturalis proprietas, eſt ut lavet. Quod ex ſolis accidentibus non facit, ſed ex ſubſtantia ipſa, & qualitate eſſentiali. Hæc autem ſubſtantia non mutatur nec excidit in lavacro ſpiritali ſive Baptiſmo, ſed ex præſentia ſpiritus gratiam quam non habuit acquirit. Ambroſius lib. 1. de Spiritu Sancto: *Si qua ergo in aqua gratia eſt, non ex natura aquæ, ſed ex præſentia eſt Spiritus Sancti.* Ita natura panis & proprietas quæ ab ejus ſubſtantia non ſeparatur, in eo quod eſt alibile cernitur. Hæc non mutatur nec deperditur in Sacramento corporis Chriſti ſed manet, cui inſuper adjicitur gratia corporis ſpiritalis per ſacramentum quam non habuerat. Leo Papa primus in ſermone 1. de Reſurrectione Domini, *naturam* & *ſubſtantiam* eodem ſenſu poſuit de corpore Domini poſt reſurrectionem: *Nec virtutis augmento conſumpta ſubſtantia eſt, qualitas tranſiit, non natura defecit.* Ita prorſus in pane qui corporis Chriſti figuram in Sacramento Euchariſtiæ refert, nec natura panis, nec ſubſtantia adjectione gratiæ & virtutis ſpiritalis conſumta, abolita, aut tranſmutata eſt, ſed eadem quæ prius fuerat manet, cum augmento ſpiritalis

gratiæ qua caruit antequam ſacramentum fieret. Ita φύσιν accipit pro οὐσία Gregorius Nyſſenus, cum in oratione Catechetica φύσιν panis dixit μεταστοιχειῶσαι, naturam ſive ſubſtantiam panis in alium uſum converti, ex profano nimirum in ſacrum. Victor Antiochenus preſbyter enarratione in Marcum, ad illa *cœnantibus illis*, ἄλλος δέ φησι, διδάσκει ἡμᾶς μὴ πρὸς τὴν φύσιν ἀφορᾷν τῶν προκειμένων, ἀλλὰ διὰ τῆς γενομένης ἐπ' αὐτοῖς εὐχαριστίας ταῦτα ἐκεῖνα εἶναι πιστεύειν. *Alius, inquit, docet nos, non ad naturam eorum quæ in menſa propoſita ſunt reſpicere; ſed per benedictionem quæ ſuper illis fit credere ea ipſa eſſe*, nempe corpus & ſanguinem Chriſti. Cum moneat non eſſe attendendum naturæ ſive ſubſtantiæ panis ac vini quæ in menſa ſacra propoſita ſunt, ex eo plane ſignificat naturam & ſubſtantiam panis & vini manere, quæ tamen non ſit ſpectanda; ſed ſola ſpiritalis gratia quæ per benedictionem ei adjicitur. Nam ſi φύσις, id eſt, natura vel ſubſtantia panis & vini abolita eſſet & conſumpta per benedictionem, fruſtra præciperet non debere fideles ἀφορᾷν πρὸς τὴν φύσιν τῶν προκειμένων. Manet igitur φύσις τῶν προκειμένων; ſed nullus ejus reſpectus habendus, cum credere nos oporteat ea ipſa vere eſſe quæ dicuntur poſt ſanctificationem, corpus nimirum & ſanguinem Domini. Hoc eſt plane quod in Nicæni concilii actis dixit Gelaſius Cyzicenus. Μὴ τῷ προκειμένῳ ἄρτῳ καὶ τῷ ποτηρίῳ ταπεινῶς προσέχωμεν, ἀλλ' ὑψώσαντες ἡμῶν τὴν διάνοιαν πιστεύσωμεν κεῖσθαι ἐπὶ τῆς τρα-

τῆς τραπέζης τοῦ θεοῦ τὸν ἄρνα αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. *Ne attendamus pani & vino quæ proponuntur, ſed mentem altius elevantes, credamus in menſa jacere agnum Dei, qui tollit peccata mundi.* Panem & vinum in menſa declarat eſſe non mutata eorum ſubſtantia & natura; nam panem & calicem appellat. Victor vocat φύσιν τῶν προκειμένων ἄρτου καὶ ποτηρίου, naturam ſive ſubſtantiam panis & calicis in menſa poſitorum. Non alia mente aut ſententia dixit Cyrillus in Catecheſi IV. Μὴ πρόσεχε ὡς ψιλοῖς τῷ ἄρτῳ καὶ τῷ οἴνῳ, σῶμα γὰρ καὶ αἷμα Χριστοῦ κατὰ τὴν δεσποτικὴν τυγχάνει ἀπόφασιν. εἰ γὰρ καὶ ἡ αἴσθησίς σοι τοῦτο ὑποβάλλει, ἀλλὰ ἡ πίστις σε βεβαιούτω· μὴ ἀπὸ γεύσεως κρίνῃς τὸ πρᾶγμα, ἀλλὰ ἀπὸ τῆς πίστεως πληροφοροῦ ἀνενδοιάστως ὅτι σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ κατηξιώθης. Panem & vinum ſimiliter eſſe docet quæ proponuntur, cum tamen non conſiderandus ſit ille panis ſacramenti tanquam ſimplex panis, nec vinum tanquam ſimplex vinum. Ita in ſuperiori Catecheſi dixit unguentum Chriſmatis non eſſe ψιλὸν μύρον, & ſimplex unguentũ, cum tamen nec ſubſtantia nec natura ejus mutantur. Heſychius presbyter Hieroſolymitanus, cujus extat in Leviticum commentarius in Latinum ſermonem converſus, homo Græcus fuit & Græce ſcripſit. Cujus libri extant ſcripti in Bibliotheca Regia, ſed malo facinore & inſigni fraude eorum, qui illis uſi ſunt, *Salonitanum* pro *Hieroſolymitanum* in fine repoſitũ iverunt, ut ex eraſis litterarum priorum ductibus, manifeſto apparet. Is igitur Heſychius lib. II. cap. VIII. ſcri-

ſcribit panem & corpus Chriſti ſimul eſſe in Sacramento his verbis; *Carnem ejus comedi præcepit, ut intelligeremus illud ab eo myſterium dici, quod ſimul panis & caro eſt.* Inepte hoc ita defendunt quaſi panem eſſe dicant Patres, qui videatur panis. Sic Auguſtinus apud Bedam 1 ad Corinthios x. *Quod videtur in altari, panis eſt, quod etiam oculi renuntiant. Quod autem fidem poſtulat, panis eſt corpus Chriſti, & calix ſanguis.* Non dicit, Quod in altari eſt, panem videri, ſed quod videtur in altari, id eſt, conſpicitur, panem eſſe. Ita Heſychius ſimul panem & corpus in hoc myſterio cum eſſe dixit, de vero pane intellexit. Clarius etiam Iohannes Conſtantinopolitanus ſive is ſit Chryſoſtomus, ſive Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui ſub Iuſtiniano vixit, de quo alias, in Epiſtola ad Cæſarium, *Divina illius ſanctificante gratia mediante ſacerdote, liberatus quidem eſt ab appellatione panis, dignus autem habitus Dominici corporis appellatione, etſi natura panis in ipſo permanſit, & non duo corpora ſed unum* Filii *corpus prædicatur.* Vbi *naturam* φύσιν Græce appellavit, ut & cæteri Græci Patres, τὸ ἰδίωμα φυσικὸν, & οὐσίαν. Et notandum quod ait poſt conſecrationem pro pane appellari corpus, quamvis panis ſubſtantia maneat. Non dicit corpus eſſe revera poſt conſecrationem, ſed appellatione corporis haberi dignum. Non ita loqueretur ſi vere ac reipſa corpus pro pane exiſteret. Ita Auguſtinus,

panis

Digitized by Google

panis dicitur poſt conſecrationem. Ita Theodoretus Dialogo 1. ſymbola, quæ cernuntur, corporis & ſanguinis appellatione honorata eſſe à Domino, quæ tamen à proprietate naturæ ſuæ non recedant. Sic etiam loquutus eſt Ambroſius lib. de iis qui ſacramentis initiantur cap. IX. *Ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem corpus ſignificatur*, id eſt, corporis appellatione ſignatur. Et ſtatim: *ipſe dicit ſanguinem ſuum. Ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur*. Sanguis nuncupatur quod vinum eſt, quamvis à vini ſubſtantia & natura non receſſerit. Sic enim intellexit, ut alios conſtat intellexiſſe, qui eadem uſi ſunt loquutione. Sed omnium Græcorum manifeſtiſſime Damaſcenus lib. IV. de fide Orthodoxa, cap. XIV. negavit naturam panis mutari, aut aboleri, ſed manere eam affirmat, οὕτω, inquit, καὶ ὁ ἄρτος τῆς κοινωνίας οὐκ ἄρτος λιτός ἐστιν, ἀλλ' ἡνωμένος τῇ θεότητι· σῶμα δὲ ἡνωμένον θεότητι οὐ μία φύσις ἐστὶν, ἀλλὰ μία μὲν τοῦ σώματος, τῆς δὲ ἡνωμένης αὐτῷ θεότητος ἑτέρα, ὥστε τὸ συναμφότερον οὐ μία φύσις, ἀλλὰ δύο. Ita Heſychius panem & corpus ſimul in ſacramento eſſe dicit, & utrumque ſuam naturam & ſubſtantiam obtinere. Quæ tamen opinio non eadem eſt cum ea Lutheranorum, ut infra explicabimus. Satis hoc eſt quod ex eo conſtat panis φύσιν manere, nec converti eam in naturam corporis Chriſti. Vt Græci autem φύσιν, ita Latini *naturam*

turam in eo ſignificatu poſuerunt, pro ſubſtantia corporis, & proprietate naturæ ejus. Advocanda igitur nunc teſtimonia Latinorum Patrum, qui negarunt mutationem naturæ & ſubſtantiæ fieri in pane & vino Euchariſtiæ. Primus ad manum, ut & ad memoriam occurrit auctor veteris libelli de Cœna Domini, qui Cypriano tribuitur. Hujus locum peſſime corruperunt Pontificii correctores, ita ex veteribus libris legendum: *Panis iſte quem Dominus diſcipulis porrigebat non effigie nec natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro, & ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur & latebat divinitas, ita ſacramento viſibili ineffabiliter divina ſe effudit eſſentia, ut eſſet religionis circa ſacramenta devotio, & ad veritatem, cujus eſus & potus ſacramenta ſunt, ſincerior pateret acceſſus, uſque ad participationem ſpiritus, non quod uſque ad conſubſtantialitatem Chriſti, ſed uſque ad ſocietatem germaniſſimam ejus hæc unitas perveniſſet.* Hodie in editis vulgatur, *non effigie ſed natura mutatus.* Quod non poteſt ſubſiſtere prout hanc vocem *natura* Græci Latinique Patres in ſacramentis accipere conſueverunt. *Non natura, nec effigie* panem mutari dixit, quia, ut loquutus eſt Theodoretus, panis & vini σύμβολα τῆς οἰκείας οὐκ ἐξίσταται φύσεως, μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους. *Non à proprietate naturæ ſuæ excidunt, manent enim in priore ſubſtantia, forma & ſpecie.* Non mutantur ergo nec effigie nec natura, ut ille auctor de

Cœna

Digitized by Google

Cœna Domini dicit. Quæ deinde explicat, ita eum ſcripſiſſe oſtendunt; *Sicut*, inquit, *in perſona Chriſti humanitas videbatur & latebat divinitas, ita ſacramento viſibili ineffabiliter divina ſe infudit eſſentia.* In Chriſti perſona humanitas quæ apparebat propriam habuit, id eſt, humanam naturam, quæ non converſa eſt in divinitatem abolita ſubſtantia humana, ſed inſuper aſſumpſit divinam naturam; ita in pane ſacramentali panis natura & ſubſtantia non defecit, ſed cum incremento eſſentiæ divinæ, quæ ineffabiliter ei infuſa eſt, qualis erat prius, remanſit. Hoc plane eſt quod docuit Theodoretus in Dialogo 1. naturam non mutatam eſſe in ſymbolis, ſed gratiam naturæ adjectam. Οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τῇ φύσει τὴν χάριν προστεθεικώς. Sed & longe clarius idem auctor ſignificavit non mutari ſubſtantiam neque naturam panis ſanctificati vinique, his verbis. *Sed immortalitatis alimonia datur à communibus cibis differens, corporalis ſubſtantiæ retinens ſpeciem, ſed virtutis divinæ inviſibili efficientia probans adeſſe præſentiam.* Conferant licet omnes artem ſuam & ſollertiam ſophiſticam, nunquam efficient, ut *ſubſtantiæ ſpecies corporalis* accipiatur hic pro accidentibus nulli ſubjecto inhærentibus. Nam & vocabulum *ſpecies* per ſe poſitum, ut infra explicabimus, ſubſtantiam ipſam denotat & rem corporalem. Gelaſius Papa in libro de duabus naturis Chriſti, contra Eutychetem & Neſtorium

ſtorium pariter hoc dixit & expoſuit, in ſacramentis corporis & ſanguinis Dominici manere ſubſtantiam ac naturam panis & vini, & nihilominus ea ſumentes divinæ nos fieri conſortes naturæ, propter gratiam nimirum ſpiritalem, quæ eis, ut loquitur auctor de Cœna Domini, infuſa eſt. *Certe*, inquit, *ſacramenta quæ ſumimus corporis & ſanguinis Chriſti divina res eſt, propter quod & per eadem divinæ efficimur conſortes naturæ, & tamen eſſe non deſinit ſubſtantia vel natura panis & vini.* Non aliud dixere Græci Patres, Οὐκ ἐξίστασθαι τῆς φύσεως, panem & vinum, ſed ἐπὶ τῆς προτέρας μένειν οὐσίας. Et ſicut auctor de Cœna Domini ſcripſit, *non effigie nec natura mutari.* Subjicit Gelaſius: *& certe imago & ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebrantur.* Vbi ſimilitudo & imago corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebratur per ſymbola panis & vini, non ſymbolorum natura vel ſubſtantia mutatur, cum per ipſam illam ſubſtantiam & naturam, non per ſola accidentia imaginem corporis & ſanguinis repræſentent. Et quicunque ex Patribus dixerunt panem & vinum eſſe τύπον, ἀντίτυπον, σύμβολον, figuram corporis & ſanguinis Chriſti, nullam in his ſymbolis mutationem naturæ vel ſubſtantiæ fieri intellexerunt. Nihil eſt enim in pane vel vino, quod pro figura & typo corporis, & ſanguinis Chriſti intelligi, & ſumi poſſit, præter ipſam eorum naturam & ſubſtantiam.

ſtantiam. An color in pane, an ſapor vini aliave accidentia figuram corporis Dominici exhibent? Nullo modo. Quid igitur? Quod in pane nimirum ſubſtantiæ ejus & naturæ maxime eſt proprium, τὸ θρεπτικόν. Vt enim panis corporis eſt alimentum; ita corpus Chriſti eſt animæ pabulum. Auctor de Cœna: *Et ſicut panis communis quem quotidie edimus vita eſt corporis, ita panis iſte ſuperſubſtantialis vita eſt animæ & ſanitas mentis.* Sic reliqui Patres loquuti ſunt. Ergo panis τύπος eſt corporis Dominici, ex proprietate naturæ ſuæ & ſubſtantiæ, non ex accidentibus. Nulla itaque fit in eo pane qui figura eſt corporis Chriſti, mutatio, cum ſic deſineret eſſe τύπος, ſi perderet id quo τύπος eſſe cenſetur. Etſi autem natura panis maneat, non tamen eſt æſtimandus ex ea naturæ vel ſubſtantiæ qua cenſetur proprietate, ſed ex divina gratia & eſſentia quæ per Spiritum Sanctum ei infuſa & indita eſt. Hoc eſt quod dixit Victor Antiochenus, non debere nos ἀφυρᾷν τὴν φύσιν τῶν προκειμένων, aut ut Gelaſius Cyzicenus, προσέχειν πιστῶς τῷ προκειμένῳ ἄρτῳ καὶ ποτηρίῳ, vel ut loquutus eſt, προσέχειν τῷ ἄρτῳ καὶ οἴνῳ ὡς ψιλοῖς. Vt enim in baptiſmo non ex aquæ natura quamvis non mutetur ejus ſubſtantia & proprietas, virtus ſalutaris lavacri æſtimanda eſt, ſed ex gratia Spiritali quæ effectum illum præbet: ita in Sacramentis Dominici corporis & ſanguinis, quamvis ſubſtantia panis & vini maneat, effi-

F cacia

cacia tamen ſalutis quam operantur ea ſymbola non eſt quærenda in proprietate naturæ eorum, ſed in gratia eis adnexa per virtutem Spiritus Sancti. Idem de oleo unctionis Chriſmatis dixerunt non ex propria natura, quamvis non mutetur nec conſumatur, illud operari, ſed effectū ex virtute divina quam in eam confert Spiritus Sanctus præbere. Cyprianus in libello de unctione Chriſmatis: *Non hac medendis corporibus eſt unctio inſtituta; quia ſanctificatis elementis jam non propria natura præbet effectum, ſed virtus divina potentius operatur, ſed adeſt veritas ſigno & virtus ſacramento.* Non igitur natura elementorum in ſacramentis mutatur, non panis in Euchariſtia, non olei in Chriſmate, non aquæ in baptiſmate, ſed operatio illa ſalutaris ex efficacia divina quam Spiritus gratiæ elementis & ſignis confert, proficiſcitur. Panis itaque ſubſtantia ſignum eſt ſubſtantiæ corporis, & vini ſubſtantia figura ſanguinis Dominici ſubſtantiæ. Nec enim fieri poteſt, ſicut diximus, ut accidentia panis ſint ſymbola corporis quod eſt ſubſtantia. Sacramentum igitur ut ſit panis corporis, & vinum ſanguinis Chriſti, debet utrumq; retinere propriam ſubſtantiam & naturam. Alioquin non poſſet eſſe ſacramentum, id eſt, ſignum rei divinæ, niſi proprietas ejus naturæ & ſubſtantiæ permaneret. Neceſſe quippe eſt ut ſubſtantia rei terreſtris, ſit figura & typus ſubſtantiæ rei divinæ. Dicit Gelaſius;

Et

Et tamen eſſe non deſinit ſubſtantia vel natura panis & vini, id eſt, ut tunc Latini loqui conſueverant, *ſubſtantia & natura panis & vini.* Nam perperam illud *vel* accipiunt pro disjunctiva particula, cum ſit conjunctiva Latinitati illius temporis. Addit Gelaſius, quo magis conſtet, non deficere naturam & ſubſtantiam panis & vini in Sacramentis Euchariſtiæ, *Et certe imago & ſimilitudo corporis, & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebrantur.* Nam ſi imago celebratur corporis & ſanguinis Domini in actione ſacramentorum, ſacramenta ipſa quæ ſymbola ſunt & ſigna corporis & ſanguinis, quibus illa imago celebratur, ſive ſimilitudo, hoc eſt, memoria mortis & paſſionis Chriſti, non poſſunt videri amiſiſſe ſuam ſubſtantiam & naturam. Vt imaginem dixit celebrari corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum, ita Euſebius Cæſarienſis lib. VIII. præparationis Euangelicæ, εἰκόνα ποιεῖσθαι, id eſt, imaginem celebrare. Πάλιν γὰρ αὐτὸς τὰ σύμβολα τῆς ἐνθέου οἰκονομίας τοῖς αὐτοῦ παρεδίδου μαθηταῖς, τὴν εἰκόνα τοῦ ἰδίου σώματος ποιεῖσθαι παρακελευόμενος. *Rurſus ipſe diſcipulis ſuis ſymbola divinæ diſpenſationis tradebat, imaginem proprii corporis celebrari præcipiens.* Ita ἀντίτυπα ἐπιτελεῖσθαι, dixit auctor Apoſtolicarum conſtitutionum, & θυσίαν ἐπιτελεῖσθαι διὰ συμβόλων σώματος καὶ αἵματος. Victor Antiochenus σύμβολα ἐπιτελεῖσθαι in expoſitione ad Marcum, in illa ἐσθιόντων αὐτῶν, his verbis, διὰ

τοῦτο καὶ ηὐλόγησε, καὶ εἶπε διδοὺς αὐτοῖς μεταλαβεῖν ἃ προσῆκον ἦν, ἵν' ἐκεῖνοι διὰ μὲν τῆς εὐλογίας, καὶ εὐχαριστίας μάθωσιν, ὡς μεγάλα ἀληθῶς, καὶ πάσης εὐχαριστίας ἄξια τὰ διὰ τοῦ πάθους οἰκονομηθέντα τοῦ Χριστοῦ, ὧν δὴ σύμβολα ταῦτα ἐπιτελεῖσθαι παρέδωκεν αὐτοῖς. *Ideo & benedixit, & dixit cum daret eis participanda, quæ conveniebat, ut illi quidem per benedictionem & gratiarum actionem diſcerent, quam magna vere & omni gratiarum actione digna percepiſſent, per paſſionem Chriſti diſpenſata, quorum & ſymbola hæc celebranda ipſis tradidit.* In eadem enarratione panem & vinum appellat vetus interpres, quem ibidem allegat, τὸν σωτηρίας κοινωνίας τύπον, id eſt, *ſalutaris communionis figuram,* ubi negat Iudam accepiſſe illum τύπον ſalutaris communionis, qua nos fieri conſortes divinæ naturæ verbis ſupra citatis dixit Gelaſius, quibus & affirmavit, *imaginem & ſimilitudinem corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebrari.* Ita autem preſbyter ille Antiochenus: ἄλλος δέ φησι, ὅτι προεξῆλθεν Ἰούδαν, Ἰωάννης ἐδήλωσεν· οὐ γὰρ ἀνεδέξατο τὸν σωτηρίας κοινωνίας τὸν τύπον ὁ τῆς Χριστοκτονίας ὑπηρέτης. *Alius interpres dicit, quod ſignificarit Iohannes prius exiſſe Iudam. Non enim accepit ſalutaris communionis typum, Chriſti cædis adminiſter.* Apud Gelaſium ſequuntur verba, quæ Pleſſæo omiſſa ea gratia dicit Petronius, quod viderentur facere contra ipſius ſententiam. Quod miror viſum eſſe Cardinali. Ipſi quippe ſibi contrarius eſſet Gelaſius ſi in ſequentibus adverſaretur Reformatorum opinioni, cum tam aperte in iis quæ præcedunt,

cedunt, & quæ citavit Pleſſæus, Pontificiorum dogmati refragetur, quibus ſcribit, *eſſe non deſinere ſubſtantiam panis & vini*. Item, *imaginem & ſimilitudinem corporis & ſanguinis in actione myſteriorum celebrari*. Videndum ergo an ſequentia apud eundem non cõveniant cum iſtis, ſed aliud dicant. Ea quidem ſatis corrupte edita ſunt, ſed quæ nullo negotio & minima mutatione ita reformanda videntur, cum ut vulgata ſunt, nullum bonum ſenſum reddant. Ex præmiſſis ita concluſionem colligit; quæ non debet eſſe contraria iis quæ præceſſerunt. *Satis ergo*, inquit, *evidenter oſtenditur hoc nobis in ipſo Chriſto Domino ſentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus & ſumimus, ut ſicut hæc ſcilicet in divinam tranſeunt ſpiritu perficiente ſubſtantiam, permanente tamen in ſua proprietate natura, ſic illud ipſum myſterium principale, cujus nobis efficaciam virtutemque veraciter repræſentant, ex quibus conſtat proprie permanentibus, unum Chriſtum, quia verum integrumq́, permanere demonſtrant.* In ſuperioribus dixit, ſacramenta, id eſt, ſymbola corporis & ſanguinis Chriſti, quæ ſumimus, *rem divinam eſſe, propterea quod per eadem divinæ conſortes efficimur naturæ*. Sic enim & ibi ſcribendum & diſtinguendum. Sacramenta illa ſive ſigna corporis & ſanguinis Dominici quæ ſumimus; id eſt, panem & vinum Euchariſtiæ, divinam rem eſſe ait, quia per ea efficimur conſortes divinæ naturæ, id eſt, κοινωνοὶ τῆς θείας φύσεως,

vel τῆς θεότητος τοῦ Χριστοῦ, ut loquuntur Græci Patres. Et tamen ſubjicit non deſinere eſſe in illis ſacramentis, per quæ conſortes efficimur divinæ naturæ, ſubſtantiam & naturam panis & vini. Ratio eſt quam ſubdit, quia imaginem & ſimilitudinē corporis & ſanguinis in illorum myſteriorum actione celebramus. Ideo nec panis nec vinum in quibus conſtant illa ſacramenta, per quæ imago & ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti celebratur, perdunt ſuam ſubſtantiam & naturam, quia per illam ipſam ſuam ſubſtantiam & naturam, typum & imaginem ſimilitudinemque conſtituunt corporis & ſanguinis Dominici. Cum hæc ita ſint, ex illis evidenter oſtendi ait, hoc nobis in ipſo Chriſto ſentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus, & ſumimus. De duabus Chriſti naturis agebat in eo tractatu Gelaſius contra Neſtorium & Eutychem, humana & divina. Ita quippe conſtabat recte ſentientibus fidelibus Verbum humanam aſſumpſiſſe naturam, ut divinitas in humanitatem non eſſet converſa. Nam ſine converſione divinæ naturæ in humanam, Verbum, teſte Iohanne, caro factum eſt, οὐ τροπὴν ὑποστὰς, οὐδὲ μεταβαλὼν τὴν ἑαυτοῦ θεότητα εἰς ἀνθρωπότητα, ut dicunt Græci Patres. Idem igitur nobis ſentiendum ait Gelaſius in ipſo Chriſto, hoc eſt, in vero ac naturali corpore Chriſti, quod in imagine ejus profitentur & celebrant fideles, hoc eſt, in ſi-

gno

gno corporis ejus, ſive in corpore typico & ſymbolico. In vero & naturali corpore Chriſti duæ fuere naturæ ita inpermixtæ, ut divina non aboleverit humanam nec humana divinam, quamvis ex his duabus unitis, ſed in propria eſſentia ſingulis permanentibus, unus Chriſtus & integer conſtet. Hoc vocat Gelaſius myſterium principale, nempe incarnationis, quo unus, ut ait, Chriſtus & integer exiſtere demonſtratur, permanentibus ex quibus proprie conſtat, naturis, id eſt, divina & humana. In imagine Chriſti corporis hoc idem tenendum eſſe oſtendit, hoc eſt, in ſacramentis corporis ejus & ſanguinis. Ita enim rem eſſe divinam, ut propterea tamen non deficiat nec excidat panis & vini ſubſtantia ex quibus illa ſacramenta conſtant. Vt in myſterio principali natura divina non eſt converſa in humanam, ſed Verbi divinitas aſſumpſit humanitatem, ſic in ſacramento corporis panis ſubſtantia non mutata eſt nec converſa in divinam ſubſtantiam corporis Chriſti. Permanſiſſe naturam humanam in myſterio principali ita vult Gelaſius, ut natura terreſtris permanet in ſua proprietate in ſacramentis corporis & ſanguinis. *Vt ſicut*, inquit, *hæc ſacramenta tranſeunt in divinam Spiritu perficiente ſubſtantiam.* Quomodo tranſeunt? Sine converſione ulla, aut deperditione propriæ ſubſtantiæ, ſed remanente proprietate ſuæ naturæ, ut divina verbi natura

tranſiit in humanam citra converſionem aut confuſionē divinitatis cum humanitate. Tranſit panis in corpus Chriſti cum propria natura & ſubſtantia panis. Cum panis fit corpus Chriſti, non natura mutatur. Verbum caro factum in myſterio incarnationis, abſque mutatione ſuæ divinæ naturæ. Non mirandum quod dixerit Gelaſius *tranſire ſacramenta in divinam ſubſtantiam*, nec reſpectu verbi *tranſire*, nec vocis *ſubſtantiæ*. Tranſitio illa non eſt accipienda de mutatione ſive tranſitu ſubſtantiæ in ſubſtantiam qualem fieri fabulantur Poëtæ in metamorphoſibus ſuis, & Pontificii hariolantur in ſua tranſſubſtantiatione. Sed tranſire dixit panem & vinum in divinam ſubſtantiam, quia aliud fiunt quam erant, & ſubſtantiam divinam accipiunt quam non habebant, adjunctam terreſtri. Nec dubitarunt porro Græci Patres Latinique mutationem eam vocare & μεταβολὴν, μεταποίησιν, μεταῤῥύθμισιν & μεταστοιχείωσιν, ut ſupra oſtendimus; quamvis ſentirent panem & vinum non amittere ſuam ſubſtantiam & naturam. Nam eam μεταβολὴν crediderunt conſiſtere in ſola adjunctione gratiæ ſpiritalis ad ſubſtantiam naturamque panis & vini. Ita *tranſitum* poſuit Gelaſius non de tranſitione ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti; ſed panem cum ſua ſubſtantia & natura tranſire intellexit ad aſſumendam divinam ſubſtantiam. Quod ipſe declaravit cum dixit, *ſacramenta*, id

id eſt, panem & vinum ſacratum, *Spiritu perſiciente tranſire in divinam naturam, permanentia tamen in ſua proprietate.* Quæ eſt illa divina ſubſtantia in quam tranſeunt Sacramenta Gelaſio teſte? Hoc enim urget Grotius, cum tamen nec Pontificiorum Tranſſubſtantiationi, nec Lutheranorum Conſubſtantiationi hæc verba Gelaſii faveant. Pontificiorum μετουσίας plane adverſantur, cum dicat, *permanere ſacramenta in ſua proprietate naturæ*; & ſic eſſe rem divinam ea ſacramenta per quæ conſortes efficimur divinæ naturæ, ut tamen non deſinat eſſe ſubſtantia & natura panis & vini. Pro Lutheranis in ſpeciem magis viderentur facere, cum velit propriam permanere panis naturam & ſubſtantiam, & tranſire tamen dicat in ſubſtantiam divinam. Sed nihil minus conſtat ſenſiſſe Patres veteres, quam id quod nunc ſentiunt Lutheri ſectatores. *Subſtantiam* præterea Latini nō ſemper pro eo quod eſt Græce οὐσία ponunt, ſed pro ὑποστάσεως. Quæ vere ſubſiſtunt, quamvis incorporea & ſpiritalia, ea καθ' ὑπόστασιν exiſtere dicuntur. Alia enim κατ' ἔμφασιν, alia καθ' ὑπόστασιν exiſtunt. Quæ ſpecie tenus exiſtunt, κατ' ἔμφασιν, eſſe: quæ exiſtentiam reipſa habent καθ' ὑπόστασιν, ut de φαντάσμασι, quæ in aëre fiunt Ariſtoteles ſcripſit. Latini ſimiliter *ſubſtantiam* opponunt opinioni & exiſtimationi. Quæ in opinione ſunt ac veritate *in ſubſtantia eſſe* dicuntur, à quibus alia habentur, quæ in exiſtimatione tan-

tum & opinione verſantur. Sic Iuriſconſultus opinionem à ſubſtantia diſtinguit, leg. II. D. pro Emptore, *Si conditio extiterit & ignoret, dicendum eſt ſecundum Sabinum, qui ſubſtantiam potius intuetur, quam opinionem, uſucapere eum.* Vbi *ſubſtantiam* poſuit pro rei veritate, quæ opinioni & ei quod in ſpeciem eſſe videtur cum non ſit, opponitur. Hæc eſt ὑπόστασις, non οὐσία. Optimæ Gloſſæ: *Subſtantia*, οὐσία, ὑπόστασις. Eo ſenſu quo Iuriſconſultus *ſubſtantiam*, Paulus ὑπόστασιν, aliquot locis poſuit, nempe pro certitudine & fiducia rerum quæ ſperantur & quæ revera exiſtere creduntur, non in ſola opinione ſita ſunt. Sic in Epiſtola ad Hebræos cap. XI. verſ. I. ἔστι δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum*, id eſt, fiducia certo concepta. Item eadem Epiſtola c. III. v. XIV. ἐάν περ τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως βεβαίαν κατάσχωμεν. *Si principium ſubſtantiæ, id eſt, certitudinis, uſque ad finem firmum retineamus.* Gelaſius, ut & cæteri Eccleſiæ antiquæ Patres, ita panem in ſacramento imaginem eſſe & figuram ſignumque corporis Chriſti eſſe docuerunt, ut ſigno tamen veritatem conſtare, & virtutem ſacramento crediderint. Hoc loco imaginem & ſimilitudinem corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebrari ſcripſit. Paulò poſt idem myſterii principalis, id eſt, verbi incarnati efficaciam virtutemque veraciter ſacramentis repræſentari dixit. Ergo veritas

repræ-

repræſentationis in ipſis eſt ſignis, hoc eſt, in pane & vino. Hoc eſt quod dixit, *tranſire ea ſpiritu perficiente in divinam ſubſtantiam.* Quibus verbis non intellexit, in ſubſtantiam corporis Chriſti naturalis & circumcæſura finiti, & locali ſitu comprehenſi, ut nunc in cœlo eſt & aliquando in terris fuit, panem & vinum converti, ſed in virtutem & efficaciam ejus quam Spiritus Sanctus perficit, ex veridico Domini dicto cum panem traderet diſcipulis, *Hoc eſt corpus meum.* Cum reipſa & in veritate ſumamus in Euchariſtia corpus & ſanguinem Chriſti, ea veritas ſpiritalis eſt non corporalis. *Subſtantia divina* ſic appellatur non ut corpus proprie naturale aut materia ex qua corpus cõſtat hoc nomine cẽſeatur, ſed ut res divina quæ veraciter ſubſiſtit non in opinione conſiſtit, nec ſpecie tenus exiſtit, quæ κατ' ὑπόστασιν extat, non κατ' ἔμφασιν apparet. Panis in ſacramento ſignum eſt corporis Chriſti, ſed non minus eſt ipſum corpus, ſuo tamen modo, non corporaliter nempe, ſed ſpiritaliter, ut corpus nimirum ſpiritale, ut efficacia & virtus corporis, ut ſubſtantia vere divina. Ita *Angelicam ſubſtantiam* dixit Tertullianus contra Marcionem lib. III. *cum demutati erimus in angelicam ſubſtantiam*, quam alio loco *qualitatem & ſanctitatem angelicam* vocavit. Vt autem Gelaſius hic dixit in ſubſtantiam divinam ſacramenta panis & vini perficiente Spiritu mutari, cum tamen

pro-

proprietas naturalis & ſubſtantia panis & vini permaneret, ita & Bertramus in libro de corpore & ſanguine Domini ſcripſit, *Sacerdotem inviſibilem convertere creaturas viſibiles in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui.* Nec aliter ſane intelligenda ſunt verba ſuppoſititii Euſebii Emiſſeni, de quibus adverſus nos triumphant adverſarii, cum ſcribit in Homilia LXI. *Ecce Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec panem & vinum virtute ineffabili in ſui corporis & ſanguinis ſubſtantiam convertit.* Subſtantia illa corporis & ſanguinis ſui in quam ineffabili modo convertit Chriſtus panem & vinum, ſpiritalis eſt non corporalis, nec per modum tranſſubſtantiationis eas ſpecies dicitur convertiſſe, ſed ineffabili modo, id eſt ſpiritaliter. Nec in corpus ipſum ſuum quale tunc habuit naturale & ſubſtantiale elementa panis & vini tranſmutavit, ſed in virtutem & efficaciam corporis ſui. Quæ & ipſa ſubſtantia poteſt vere appellari, & vere eſt, quatenus re & veritate ſubſiſtit, non in ſola imagine & opinione. Auctor libri de Cœna cujus locum ſupra attulimus, eam quam ibi expoſuit ſententiam, totam videtur expreſſiſſe ex ſenſu & verbis Gelaſii, certe paria omnino de hoc ſacramento, atque ille ſcripſit, non iiſdem verbis. *Panis iſte*, inquit, *quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, nec natura mutatur.* Gelaſius pro iſtis ait, *non deſinere eſſe naturam & ſubſtantiam panis & vini, & ſacramenta*

cramenta permanere in proprietate ſuæ naturæ. Sequitur apud auctorem de Cœna, *Quod panis ille omnipotentia Verbi factus ſit caro.* Gelaſius in eandem ſententiam poſuit, *perficiente Spiritu in divinam tranſire ſubſtantiam.* Exemplum quo id firmaret auctor libelli de Cœna, ſumpſit ex myſterio incarnationis, ut nimirum inſinuaret non mutari in pane ſacramentali ſubſtantiam panis, ſicut in Verbo natura divina converſa non fuit in humanam, nec cum ea confuſa. *Et ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur & latebat divinitas, ita ſacramento viſibili ineffabiliter divina ſe infudit eſſentia.* Vbi *eſſentiam divinam* in ſacramento viſibili appellat, quæ *ſubſtantia divina* Gelaſio. Non ſubſtantia illa, aut eſſentia corporis Chriſti naturalis, ſed Spiritalis gratia, quæ ſe infudit ſacramento è cœlo illapſa. Non enim corporis ipſius Chriſti διαπεριγράφου καὶ περιοριστοῦ ſubſtantia è cœlo ubi eſt localiter comprehenſa, deſcendens, infundi poteſt pani & vino Euchariſtiæ. Hanc ἐπιφοίτησιν τοῦ ἁγίου πνεύματος appellant Græci Patres, ut jam ante diximus. *Deſcenſum Spiritus Sancti* Hieronymus, quem precatur ſacerdos in oratione myſtica, qua fieri conſecratio panis & vini cenſebatur. Ineffabiliter infundi illam eſſentiam ſcribit auctor, ut Emiſſenus *ineffabili modo.* Nam revera exprimi non poteſt verbis, nec mente concipi quomodo illa divina gratia ſe terrenis elementis inſinuet, & corporis Dominici effica-

ciam

ciam ſumentibus exhibeat. At cum modum declarare Pontificii voluerunt, & ex ineffabili effabilem reddere dum per modum Tranſſubſtantiationis id fieri dixerunt. Qua opinione fanatica memoriam paſſionis Chriſti, quantum in ipſis eſt, abolent, dum ſigna quibus ejus fit commemoratio, ſubſtantia corporali Chriſti humanitatis ſuperveniente exterminant. Vbi enim res ipſa adeſt, nempe præſentia corporis Chriſti, & ſignum ipſum vel imago ejus abſceſſit, non memoria celebratur rei quæ fuit, ſed ipſa in præſenti geritur. Ne Lutherani quidem hìc rectum ſentire videri queunt, cum ſignum & res ſignificata ita ſimul eſſe nequeant, ut utriuſque præſentia & ſubſtantia corporalis ſub eadem ſpecie contineri cenſeatur. Etenim ſi ſubſtantia ipſa & præſentia corporalis Chriſti ſub pane revera exiſtere exiſtimatur, panis non poteſt pro ſigno eſſe corporis abſentis cum una adſit ipſum corpus in veritate, ac proprietate ſuæ naturæ & ſubſtantia. Signum quippe & imago rem denotant abſentem, & quæ olim fuit. Memoria celebratur rei præteritæ, commemoratio fit ejus quod non eſt amplius. Panis & vinum ſigna ſunt ac ſymbola, quibus imago & memoria paſſionis Chriſti, id eſt, corporis ejus pro nobis in cruce fracti, & ſanguinis effuſi inſtauratur. Si corpus illud ipſum & ille ipſe ſanguis in ſubſtantia ſua & natura, una

cum

cum ipſis ſignis, & ſub ſignis quibus repræſentatur, contineri putantur, ſignum καταργεῖται, & plane ceſſat per rei præſentiam cujus ſignum eſſe creditur. Antiqui Eccleſiæ Patres ſignum quidem ſimul & rem ſignificatam ineſſe ſacramentis dixerunt, ſed diverſo utrumque modo. Nam quomodo apud illos res ſignificata una cum ſigno adeſſe cenſetur, ne panis revera ſignum ſit & habeatur corporis Chriſti, nihil prohibet. Non enim corpus cujus panis ſignum eſt, cum ſubſtantia ſua corporali præſens ſiſtitur in pane, circumcæſura finitum, & loco concluſum. Virtute tantum & efficacia præſens eſt, quæ non vetat ne panis ſignum ſit illius veri corporis Chriſti, quod in cruce pro genere humano oblatum fuit & fractum. Sic enim paſſionem mortemque Chriſti repræſentat, quæ ſemel fuit, nec nunc eſt, aut poſtea futura eſt. Nuda autem ſigna in ſacramentis non ſumi, id eſt, panem & vinum, ut vulgo ad uſum ſumuntur, certum eſt, quia dum memoriam paſſionis Chriſti celebramus, ut ipſe juſſit & inſtituit, beneficium ejus nobis applicamus; manducando in fide & ſpiritu carnem ejus non in ſubſtantia, ſicut eam nobis manducandam præcepit, ut ſalutem habeamus. Alio igitur modo panis ſignum eſt corporis Chriſti in ſacramento, alio modo corpus ipſum eſt. Signum eſt cum ſua ſubſtantia, quæ non mutatur: corpus eſt virtute, non ſubſtantia corporali.

rali. Apud Lutheri diſcipulos eodem modo ſignum eſt & corpus, utrumque nimirum in ſua ſubſtantia. Quod non poteſt eſſe. Nam panis non poteſt eſſe ſignum talis corporis, quod eodem involucro continetur, cum ſit tantum ſignum corporis Chriſti quod in cruce pependit. Quod hodie συνουσιαστὰς pleriq; omnes appellant Lutheranos, longiter errant, & à vera nominis & rei ratione recedunt. Διουσιασταὶ ſunt potius quatenus duplicem in ſacramento Euchariſtiæ agnoſcunt ſubſtantiam corporalem, unam panis, alteram Chriſti. Vox enim συνουσιαστὴς confuſionem potius ſubſtantiarum in eandem unitatem denotat quam diviſionem. *Synuſiaſtæ* enim vocati ſunt Apollinariſtæ, quia unam dicebant eſſe Chriſti naturam ex duabus divina & humana mixtam & temperatam, quod poſt & Eutychiani aſſeruerunt, converſa nimirum ſubſtantia divina in humanam. Nam ὁμούσιον eſſe volebant corpus Chriſti quod è Maria ſumpſit, divinitati Verbi, quaſi Verbum, ut ait de his Epiphanius, εἰς σάρκα καὶ ὀστᾶ καὶ τρίχας καὶ ὅλον τὸ σῶμα, tranſmutatum foret. Eutychianorũ eos progenitores appellat Facundus lib. VIII. qui & ipſi unam Chriſti ſubſtantiam docebant, ſed paulo aliter quam Apollinariſtæ. Nihil enim humani dicebant accepiſſe à virgine Verbum divinum, ſed ipſum λόγον Θεοῦ inconvertibiliter converſum fuiſſe, & carnem eſſe factum, ut ſcribit Theodoretus in eorum hæreſi ex ipſius Eutychis

thychis verbis eorum ſententiam adſtruens, οὐδὲν τὸν Θεοῦ λόγον ἀνθρώπειον ἐκ τῆς παρθένου λαβεῖν, ἀλλ' αὐτὸν ἀτρέπτως τραπέντα καὶ σάρκα γενόμενον, τὴν πάροδον μόνην διὰ τῆς παρθένου ποιήσασθαι. Alii contra opinabantur carnem Chriſti converſam fuiſſe in divinam naturam. Vtramque opinionem his verbis expreſſit Theodoretus Dialogo III. & utramque iiſdem Hæreticis attribuit, Apollinariſtis nimirum & Eutychianis, οἱ τὴν ποικίλην, inquit, ταύτην συντεθεικότες καὶ πολύμορφον αἵρεσιν ποτὲ μὲν σάρκα γεγενῆσθαι τὸν Θεὸν λόγον φασὶ, ποτὲ δὲ τὴν σάρκα λέγουσι τὴν εἰς θεότητος φύσιν δεδέχθαι μεταβολήν. *Qui varium hanc & forma multiplicem conflarunt hæreſin, interdum dicunt Verbum Deum carnem fuiſſe per converſionem factum, interdum carnem converſam eſſe in Divinitatis naturam.* Hi ſunt igitur qui συνουσιασταὶ veteribus ſunt appellati quia unam faciebant Chriſti ſubſtantiam, ſive per converſionem naturæ divinæ in humanam, ſive per humanæ in divinam. Non ita appellari poſſunt Lutherani qui duas ponunt ſubſtãtias in hoc ſacramento, humanam panis, & divinam corporis Chriſti. Sunt itaque potius διουσιασταὶ. An veteres Patres fuere μονουσιασταί? Nam unicam panis in Euchariſtia ſubſtantiam agnoverunt cum additamento & adjunctione gratiæ ſpiritalis, ut & in baptiſmo. Quæ res mutationem quidem in pane inducit, ſed non eam quæ duplicem introducat ſubſtantiam, non magis quam regeneratio in homine altera ſubſtantia eum auget, & pro una duas in eo creat.

Qui tamen regeneratur per pœnitentiam, baptiſmum, & Euchariſtiam, quæ cum fide ſuſcipiuntur, immutari dicitur & μεταστοιχειοῦσθαι. Qui vero cum fide non accipit Euchariſtiam eum μεταβάλλεσθαι negant Patres, ut de Iuda dixerunt qui panem accepit Domini, non Dominum, ut loquitur Auguſtinus. Græci interpretes ad Marcum de Iuda: ὁ μὲν φησὶν ὅτι καὶ μυστηρίων μεταχὼν ἔμεινεν ὁ αὐτὸς, καὶ τῆς φρικωδεστάτης ἀπολαύσας τραπέζης οὐ μετεβάλλετο. *Eſt qui dicat quod Iudas ſacramentorum particeps factus, manſit is qui erat, & veneranda cum horrore menſa cum communicaſſet, non tamen immutabatur.* Gratia regenerationis immutat hominem, ſed non novam in eo ſubſtantiam generat. Ita nec gratia ſpiritalis per quam corporis Chriſti efficacia inditur ſacramento panis, non novam pani adjicit ſubſtantiam, nec facit ut duplex ſit pro una. Sic unica in ſacramento panis manet ſubſtantia quam prius habuerat, ſolam eam ſuſcipiens mutationem qua gratiam accipit Spiritus Sancti, & per eum virtutem corporis Chriſti. Quod cum veraciter fiat & realiter iis qui cum fide ſacramenta percipiunt, *ſubſtantiam* & *eſſentiam* divinam eam vocarunt quidam ex Patribus Latinis, ut Gelaſius,& auctor libri de Cœna. Non aliud poteſt dici quamvis aliter ſenſerint patres, ut infra dicam. Chriſtus quippe cum ſacramentum iſtud inſtituit, non dixit de pane quem tradebat diſcipulis, Hæc eſt divini-

tas

tas mea, ſed *Hoc eſt corpus meum*, nec ſimpliciter dixit, hoc eſt corpus meum, ſed addidit, quod pro vobis frangitur, id eſt, quod frangi habet, quod frangetur. Nam his verbis in panis ſymbolo paſſionis ſuæ commemorationem celebrari à fidelibus in poſterum voluit & ſanxit. Non poteſt itaque in verbis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, aliter intelligi quam de figura corporis ejus, cum panis ſubſtantia non poſſet in corpus illud quod in cruce ſequenti die frangi debebat converti. Multo minus nunc poteſt eam converſionem recipere. Pontificii autē qui dicunt ſubſtantiam panis in ſubſtantiam corporis converti, appellarine debent, ut olim Apollinariſtæ, συνουσιασταὶ an μετουσιασταί? Nam ex ſubſtantia panis & ſubſtantia corporis Chriſti unam faciunt converſione panis in corpus Chriſti. De incarnatione Verbi dixit Euangeliſta Theologus, *Verbum caro factum eſt*, quæ verba videbantur ſatis clare admittere interpretationem Apollinariſtarum, & Eutychianorum, aſſerentium quod convertibiliter Deus verbum factus eſſet caro. Patres tamen omnes orthodoxi non ſecundum aliquam converſionem id dictum eſſe ab Apoſtolo tradiderunt, & ita nunc univerſa tenet Eccleſia, olimque tenuit. Si ita Chriſtus pronuntiaſſet in ſacramentis corporis & ſanguinis ſui inſtituendis, Hic panis corpus meum factus eſt, per converſionem id magis accipi dictum videre-

G 2 tur

tur quam quomodo proloquutus eſt, ***Hoc eſt corpus meum.*** Nam aliis ſimilibus loquutionibus figuratis de ſe ipſo dixit, modo quod eſſet vitis vera, modo quod eſſet panis & frumẽtum, modo quod eſſet petra. Quæ omnia nõ proprie ſed figurate & ſine converſione ſubſtantiæ Chriſti in eas ſpecies quibus ſe adſimilavit, intelligenda ſunt. Atqui ſi vel ipſe vel aliquis Apoſtolorum de pane qui traditur in Euchariſtia dixiſſet, quod panis factus eſſet corpus Chriſti, ne ſic quidem id cum converſione ſubſtantiæ panis accipi poſſet, haud ſane magis quam de incarnatione myſterii ſic intelligi par eſt quod dixit Apoſtolus, ***Verbum caro factum eſt.*** Tenemur quidem credere id eſſe veriſſimum quod à Chriſto dictum eſt, ***Hoc eſt corpus meum.*** Eſt quidem, ſed ut eſſe tum potuit; cum traderetur ab eo panis, & ut nunc eſſe poteſt. Signum corporis ſui dedit in pane cum efficacia ipſius corporis & virtute per fidem accipientis, id perficiente Spiritus gratia. Egregie Victor Antiochenus in Marcum ita ea verba explicat, Διὰ δὲ τοῦ εἰπεῖν, τοῦτ' ἐστὶ τὸ σῶμά μου, καὶ τοῦτό μου αἷμα, ὅτι τὸν μὲν ἄρτον προτεθέντος μετὰ τὴν εὐχαριστίαν προσήκει αὐτοῦ τοῦ σώματος νομίζειν αὐτοὺς μεταλαμβάνειν, τὸ δὲ ποτήριον ἐν τάξει αἵματος ἡγεῖσθαι. *Per illa autem quibus dixit, Hoc eſt corpus meum, hic meus eſt ſanguis quod poſt gratiarum actionem pane in menſa propoſito, par fuit ipſos exiſtimare ſe corporis ipſius participes fieri, & poculum vice ſanguinis ducere.* Non eſt proprie

ſan-

ſanguis, non eſt ipſiſſimus ſanguis vinum quod ἐν τάξει αἵματος ſumitur. Nec panis eſt vere ac proprie & ſubſtantialiter corpus Chriſti per converſionem ſubſtantiæ in ſubſtantiam, quem pro corpore & inſtar corporis ſumimus, quamvis credere nos oporteat quod verum ſit corpus id quod manducamus. Quomodo corpus Chriſti fiat panis manente panis natura quærendum non eſt. Sed cum ſubſtantiam panis ſupereſſe ſit certum, jam non poteſt niſi ſpiritu & fide nobis eſſe corpus Chriſti quod ſumimus. Dicunt Patres Græci in hoc ſacramento participando debere credi corpori ipſi nos communicare, ſed habere πίστιν ἀζήτητον, μηδενὶ δὲ τῶν λεγομένων ἐπιφέρειν τὸ, πῶς; *Fidem ſine inquiſitione, nec ad ſingula quæ dicuntur inferre, quomodo?* At illud *quomodo* inferunt, qui per ſubſtantiarum tranſmutationem id fieri contendunt, & per converſionem ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti. Nullam vero eam fieri Gelaſii teſtimonio diſcimus qui comparat myſterium principale incarnationis cum myſterio Euchariſtiæ, atque ut in iſto non fit converſio panis in corpus Chriſti, ita in illo nullam factam eſſe converſionem carnis Chriſti in divinam ejus naturam. Quod affirmabant Eutychiani contra quos illo tractatu diſputavit. Non minus & clarus eſt Facundi Epiſcopi Hermianenſis locus ad evincendum, nullam ſubſtantiæ panis in ſacramento corporis dari converſionem, ut

his verbis conceptus eſt lib. IX. *Nam ſacramentum adoptionis ſuſcipere dignatus eſt Chriſtus, & quando circumciſus eſt, & quando baptiʒatus eſt. Et poteſt ſacramentum adoptionis adoptio nuncupari, ſicut ſacramentum corporis & ſanguinis ejus quod eſt in pane & poculo conſecrato, corpus ejus & ſanguinem dicimus, non quod proprie corpus ejus ſit panis & poculum ſanguis, ſed quod in ſe myſterium corporis ſanguiniſque contineant. Hinc & ipſe Dominus benedictum panem & calicem, quem diſcipulis tradidit, corpus & ſanguinem ſuum vocavit. Quocirca ſicut Chriſti fideles ſacramentum corporis & ſanguinis ejus accipientes corpus & ſanguinem recte dicuntur accipere, ſic & ipſe Chriſtus ſacramentum adoptionis filiorum cum ſuſcepiſſet, potuit recte dici adoptionem filiorum ſuſcepiſſe.* Si ulla converſione de ſubſtantia panis & vini fieri ſubſtantiam corporis & ſanguinis in utroque ſacramento crediſſet Facundus, an ita loquutus eſſet? An dixiſſet ſacramentum corporis & ſanguinis in pane & poculo eſſe conſecrato? Certe Pontificiorum fides eſt conſecratum panem non eſſe amplius panem, nec poculum eſſe amplius poculum. Non igitur ſecundum eos in pane conſecrato eſt corpus vel corporis ſacramentum, ſed ipſiſſimum corpus eſt panis conſecratus, ipſiſſimus ſanguis poculum conſecratum. An etiam ſcripſiſſet, ſacramentum corporis & ſanguinis, corpus & ſanguinem dici, non quod proprie panis ſit corpus, & poculum ſanguis, ſed

ſed quod in ſe myſterium corporis & ſanguinis contineant, ſi de pane corpus fieri vere & per converſionem ſubſtantiæ in ſubſtantiam,& pari modo vinum in ſanguinem per metamorphoſin mutari putaſſet? Nemo ſanus ita acceperit. Per Tranſſubſtantiationem quam vocant proprie corpus fit quod fuit panis, & vinum quod ſanguis. Ita vero dici, non proprie eſſe, dicit Facundus. Non ergo ullam tum imaginatus eſt Tranſſubſtantiationē qualem Pontificii hariolantur. Sed ut ſacramentum adoptionis etiam adoptio dicitur, ita etiam ſacramentum corporis & ſanguinis, corpus & ſanguinem ait dici, cum nec panis proprie ſit corpus,nec vinum ſanguis. Ieſuita qui primus eum auctorem edidit, notaſque ad eum dedit, conatur cum doctrina hodierna conciliare ſententiam illius loci Facundi. Iungentur jam gryphes equis ſi id poteſt.Ita tamen vult id efficere. *Panis*, inquit, *conſecratus, natura mutatus, panis non eſt, panis tamen appellatur quia panis fuit, & panis ſpeciem retinet, idemque judicium eſt vini.* Sic interpretatur ea verba Facundi, *non quod proprie panis ejus ſit corpus, aut poculum ſanguis.* Atqui etiam conſecratum panem & in ſacramento exhibitum negat Facundus proprie eſſe corpus, quamvis dicatur corpus. Ergo panis eſt proprie, id eſt, in propria natura & ſubſtantia, quandoquidem corpus non eſt proprie Chriſti, id eſt, vere & ſubſtantialiter.

Quid dicit Ieſuita, ut hoc telum declinet, & hanc tragulam avertat à doctrina Pontificia? *Panis conſecratus, quamvis panis non ſit, panis tamen appellatur quia panis fuit.* Nihil tale tinnit Facundus, ſed de pane qui in ſacramento corporis appellatur corpus, dicit non proprie eſſe corpus quamvis ita appelletur. Non dicit panem fuiſſe, ſed adhuc eſſe, ſed & jam conſecratum improprie tamen appellari corpus, cum ſit tantum corporis ſacramentum. Vide quantum Sirmondi expoſitio diſſideat à ſententia Facundi. Illa eſt; *Quod panis dicitur, corpus eſt, quamvis dicatur panis.* Hæc vero; *Quod corpus dicitur, panis eſt, quamvis dicatur corpus.* Ergo ſecundum Facundi mentem, corpus improprie dicitur, panis vero eſt proprie: juxta Sirmondi interpretationem, panis improprie vocatur, corpus eſt proprie. Panis, inquit, vocatur quia panis fuit. Immo quia panis adhuc eſt. Nec panis tantum appellatur ſed revera eſt, cum corpus tantum vocetur, non revera ſit. Sacramentum quippe corporis eſt & ſanguinis, non proprie corpus & ſanguis, tametſi ita nuncupetur. Aliud eſt enim ſacramentum corporis, aliud corpus. Hoc exemplo Facundus probat adoptionem proprie aliam dictam eſſe à ſacramento adoptionis, quamvis adoptionis ſacramētum etiam appelletur adoptio. Sed appellatur adoptio improprie, quod eſt ſacramentum proprie adoptionis. *Adoptionem*, inquit, *filiorum*

ſuſce-

ſuſcepiſſe Chriſtum ſi antiqui doctores Eccleſiæ dixiſſe monſtrarentur, nec ipſi, nec omnis Eccleſia judicari deberent haretici. Nam ſacramentum adoptionis ſuſcipere dignatus eſt Chriſtus, & quando circumciſus eſt, & quando baptizatus eſt. Et poteſt ſacramentum adoptionis, adoptio nuncupari, ſicut ſacramentum corporis & ſanguinis ejus, quod eſt in pane & poculo conſecrato, corpus ejus & ſanguinem dicimus, non quod proprie panis ejus ſit corpus, & poculum ſanguis, ſed quod in ſe myſterium corporis ſanguiniſque contineant. Si proprie adoptio eſſet, ut dicitur, quod eſt ſacramentum adptionis, ex eo ſequeretur Chriſtum adoptivum eſſe Dei Filium non verum & proprium. Quæ fuit hæreſis quorundam antiquorum. Non ita veteris Eccleſiæ doctores, qui cum dicerent Chriſtum adoptionem ſuſcepiſſe filiorum in circumciſione & in baptiſmo, non intellexerunt de vera & propria adoptione, ſed de ſacramento adoptionis. Nam ut ait idem Facundus paulo poſt, Chriſtus ſacramentum adoptionis in circumciſione & baptiſmo ſuſcepit ad ipſius ſacramenti confirmationem, non ipſam adoptionem ad utilitatem ſuam, ut nimirum eſſet ac diceretur Filius Dei per adoptionem. Sic baptiſmus ſacramentum fidei proprie eſt, quod etiam nomine *fidei* appellatur ſed improprie. Nam infantes qui non habent fidem, nec poſſunt credere, dum baptizantur ſuſcipiunt fidei ſacramentum, non fidem ipſam.

Eodem proſum modo ſecundum Facundum & Auguſtinum, panis benedictus, proprie ſacramentum eſt corporis, & ſanguis ſacratus, proprie ſacramentum ſanguinis, quæ ſacramenta cum corporis & ſanguinis nomine nuncupantur, impropria eſt hæc loquutio, ut cum ſacramentum fidei vocatur Fides, & ſacramentum adoptionis, Adoptio. Auguſt. Epiſt. XXIII. ad Bonifacium: *Secundum quendam modum ſacramentum corporis Chriſti corpus Chriſti eſt, ſacramentum ſanguinis Chriſti ſanguis Chriſti eſt.* Et ſtatim ſubdit, ita ſacramentum fidei fidem eſſe ſecundum quendam modum. In eadem ad Facundum adnotatione ſcribit Sirmondus, totidem verbis: *Panem rurſus*, inquit, *vinumque corpus Chriſti & ſanguinem dicimus, ut Auguſtinus quoque confirmat, lib.* III. *de Trinitate, cap.* IV. *non proprie ſed figurate, quia ſub panis & vini ſpecie corpus Chriſti & ſanguis in ſacramento continentur.* Nec aliam opinari ſe dicit in verbis ſupra citatis ſententiam eſſe Facundi. Immo longe alia eſt. Verum quidem eſt Facundum idem ſenſiſſe quod Auguſtinum, cum ſcripſit panem vinumque corpus & ſanguinem dici non proprie, ſed figurate, ut interpretatur Sirmondus. Sed neuter voluit ideo figurate & improprie vinum & panem corpus & ſanguinem appellari, quia ſub ſpecie panis & vini corpus Chriſti & ſanguis continerentur. Facundus enim aperte dixit ſacramentum corporis & ſangui-
nis

nis Dominici dici, non quod proprie panis ſit corpus, & vinum ſanguis, ſed quod in ſe myſterium corporis & ſanguinis contineant. Ex Facundi itaque verbis & ſententia panis & vinum conſecratum, continent myſterium corporis & ſanguinis Chriſti, non ut opinatur Sirmondus eum ſentire, continent corpus & ſanguinem Chriſti. An idem eſt, quæſo te, panis ſubſtantiam in ſe continere myſterium corporis Chriſti, id eſt, ſacramentum, & corpus verum Chriſti contineri ſub ſpecie panis, quæ ſubſtantia careat? Sed hæc inter ſe plane pugnant, non proprie ſed figurate panem dici corpus Chriſti, ut vult Sirmondus, & ſub ſpecie panis verum corpus contineri. Nam ſi figurate panis dicitur corpus Chriſti, panis vere eſt, & corpus improprie, quia figurate ſic vocatur. Quomodo igitur panis qui figurate corpus appellatur, continere in ſe poteſt verum corpus Chriſti? Quomodo panis qui eſt proprie panis, & improprie corpus, cum figurate ſic dicitur, ſpecie tenus tantum erit panis, non reapſe, ſed ſine ſubſtantia & natura panis? Si panis conſecratus, ut ibidem notat Sirmondus, natura mutatus, panis non eſt, qua ratione dicetur corpus Chriſti figurate, ut ex Auguſtino citat, cum proprie dici potius ſic debeat, panis autem non ſit niſi in figura & in ſpecie, & proinde corpus ſit revera, quod panis figurate dici debeat, quia figuram tantum panis & ſpeciem ha-

habeat, revera autem ac proprie corpus ſit. Quod de pane veteres dixerunt, iſti de corpore aſſerunt & contra. Panis veteribus verus eſt, quod figurate dicitur corpus. Pontificiis & Sirmondo corpus eſt, qui improprie & figurate vocatur panis, quia panis fuit. Panis Facundo, in ſua ac propria ſubſtantia continet myſterium corporis & vinum ſanguinis. Nam ſacramẽtum corporis & ſanguinis in pane & vino conſecrato eſſe idem adfirmat. At Sirmondo panis ſpecies, id eſt figura, ſine ulla ſoliditate & ſubſtantia ſub ſua inanitate continet verum corpus Chriſti. Ita panis illis ſacramenti ad eam formam redactus eſt, qua poma lacus Aſphaltitæ fuiſſe veteres adfirmant. Hæc ſpeciem pomorum tantum habuerunt, de cætero intrinſecam favillaceam fuliginem cutis extimæ ambitus cohibebat. Panis autem ſacramentalis ſub ſpecie illa panis extima continet intus verum corpus Chriſti. An etiam vinum ſimiliter ſub ſpecie vini exteriore intrinſecus cohibet verum ſanguinem Chriſti? Ita ſane oportet. Vbi latebit ille ſanguis, cum ubique vini ſubſtantia pareat pateatque, in imo, in ſummo, in medio, & in omnibus calicis partibus? Quod cum æque ſit in pane, abſurdum illud & impoſſibile abſurditate magis impoſſibili, ne perpluat ſcilicet, obtegunt, dum volunt in qualibet minuta & individua particula & pulvere panis totum corpus cum ſuo ſibi ſanguine latentem & abſtru-

ſtru-

ſtruſum cõtineri. Ergo,& quælibet guttula vel ἄτομος totum ſanguinem, qui effuſus eſt ex latere Chriſti continebit, immo & totum corpus, quatenus credunt, ut corpus non eſt ſub ſpecie panis ſine ſanguine, ita nec ſanguinẽ ſub ſpecie vini ſine carne eſſe. Si ita eſt, quomodo verum dixit Auguſtinus contra Adimantũ, *Non dubitavit Dominus dicere, hoc eſt corpus meum, cum daret ſignum corporis ſui?* Item quod dixit Comment. in Pſal.III.de Iuda quem ait à Domino adhibitum *ad convivium in quo corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis commendavit & tradidit.* Ex iſtis duobus locis, ne alios adferam, ſatis apparet cur ſcripſerit in lib.III. de Trinitate, panem & vinum corpus & ſanguinem dici figurate, quia nimirum figuram habent corporis & ſanguinis. Idem eſt plane quod & Facundus ſcripſit non proprie corpus & ſanguinem dici, vel corpus & ſanguinem dici, non quod proprie panis ſit corpus, aut poculum ſanguis, ſed quia continent myſterium corporis & ſanguinis, id eſt, ſignum corporis & ſanguinis. Quid enim aliud myſterium aut ſacramentum, quam ſacrum ſignum, ut ſupra ex eodem Auguſtino docuimus? Per ſimilitudinem igitur & figuram panis corpus eſt, non per proprietatem, quia figurate panis corpus dicitur, non proprie. Sic enim idem Auguſtinus de Chriſto qui Petra dictus eſt, Tractatu in Iohannem XLVII. *Per ſimilitudinem Petra*

eſt

eſt Chriſtus, non per proprietatem. Et alio loco ad ipſa verba, Petra autem erat Chriſtus. *Petra*, inquit, *Chriſtus in ſigno.* Ita panis ſacramenti corpus Chriſti eſt in ſigno, id eſt, in figura & non proprie, cum & Chriſtus eodem Auguſtino teſte non dubitarit dicere, *Hoc eſt corpus meum, cùm daret ſignum corporis ſui.* Ergo corpus in ſigno panis dedit, & in figura, non in veritate ſubſtantiæ. Sic idem Auguſtinus Tractatu in Iohannem LXIII. *Petra erat Chriſtus. Non dicit*, inquit, *Petra ſignificabat Chriſtum, ſed tanquam hoc eſſet. Quod utique per ſubſtantiam non hoc erat, ſed per ſignificationem.* Idem de pane Euchariſtiæ fas eſſe dicere omnia demonſtrant, quæ diximus. Panem eſſe ſuum corpus, cum diceret Chriſtus, non dixit, panis ſignificat corpus, ſed tanquam hoc ſit, quod utique per ſubſtantiam non hoc erat, ſed per ſignificationem. Panis eſt corpus non proprie, ut ait Facundus, figurate ut Auguſtinus, ſignum eſt corporis, ut idem ait, & figura. Ergo non per ſubſtantiam panis corpus eſt Chriſti, ſed per ſignificationem, per ſimilitudinem non per proprietatem, in ſigno non in veritate, quantum attinet ad corporis Chriſti naturalis ſubſtantiam. Nam ut vere in ſacramento Chriſti corpus percipiatur Sanctus Spiritus perficit & fides accipientis. Sic ſignum ipſum veritate non eſt deſtitutum. Sed ne corporaliter ſumi cenſeatur quod ſpiritaliter ſumitur, veteres Ec-

clesiæ

cleſiæ Patres panem ſacramenti appellarunt ſpiritalē,ut ſupra oſtendimus,corpuſque ipſum ſpiritale. Ita Auguſtinus cum Apoſtolus dixerit Petram fuiſſe Chriſtum de qua Iudæi ſequente ipſos, in deſerto biberunt, Petram quidem ſignificaſſe Chriſtum fatetur, ſed Paulum pro eo dixiſſe, quod Petra erat Chriſtus, cum tamen illud ipſum intelligeret. Verba ejus notatu imprimis digna ex Tractatu contra Adimantum: *Sic eſt ſanguis anima, quomodo Petra erat Chriſtus, ſicut dicit Apoſtolus: Bibebant enim de ſpiritali ſequente eos Petra, Petra autem erat Chriſtus. Notum eſt autem filios Iſraël petra percuſſa bibiſſe aquam in eremo, de quibus Apoſtolus cum hæc diceret, nec tamen ait, Petra ſignificabat Chriſtum, ſed ait, Petra erat Chriſtus. Quæ rurſus ne corporaliter acciperentur, Spiritalem illam vocat, id eſt, ſpiritaliter intelligi docet.* Vel hæc totam quæſtionem decidere poſſunt, ſimilitudine qua nulla alia expreſſior poteſt reperiri nec ſimilior, ut eadem res prorſus videatur. Ita Petra erat Chriſtus in eremo, ut panis eſt Chriſtus in ſacramento. Non dixit Apoſtolus Petram ſignificaſſe Chriſtum, cum tamen ſentiret Chriſtum in Petra figuratum fuiſſe, hoc eſt, Petram Chriſti figuram & imaginem extitiſſe. Similiter Chriſtus cum panem traderet diſcipulis ſuis non dixit panem corpus ſuum ſignificare, ſed panem ſuum corpus eſſe. Apoſtolus ne ea quæ de Petra Chriſti dixerat corporaliter intelli-

telligerentur, quaſi Petra in Chriſtum foret converſa, ſpiritalem eam Petram appellavit, πνευματικὴν πέτραν. Sic plane veteres Eccleſiæ Patres ne verba Chriſti de pane corporaliter intelligere aliquis poſſet, panem eum πνευματικὸν ἄρτον appellarunt, & ſic ſpiritaliter intelligi debere docuerunt. In Petra Chriſtus figurabatur, in pane itidem Chriſtus idem figuratur. Ideo non proprie panis corpus eſt quamvis ita appelletur, ut nec proprie petra Chriſtus erat quamvis Apoſtolus ita appellet. Si non proprie ergo figurate, & quia figurate non proprie. Nam proprium & figuratum differunt, ut propria & figurata loquutio. Ea dicitur figurata quæ non propriam nec naturalem habet ſignificationem, ſed à principali tranſlata eſt per figuram. Miror porro Sirmondum in citando loco Auguſtini ex libro de Trinitate tertio, cap. IV. poſt quam attulit verba auctoris, quibus dixit panem vinumque corpus & ſanguinem dici, ſubjunxerit de ſuo, non enim in verbis Auguſtini legitur, *non proprie, ſed figurate.* Quid amplius ab eo poſſemus ad veritatem ſanæ ſententiæ exigere? Sed rationem malam addidit, falſamque, *quia ſub panis & vini ſpecie corpus Chriſti & ſanguis in ſacramento continentur.* An, quæſo te, figurate panis corpus Chriſti dicitur non proprie, quia ſub ſpecie vini continetur? Hoc ille quidem de pane videtur omnino intellexiſſe, quaſi figurate dicatur panis, quia figura tantum

tum panis remaneat, atque, ut vocant vulgo, ſpecies. Cæterum non ad panem ſed ad corpus ipſum referendum eſt, cum dicunt auctores panem & vinum corpus & ſanguinem dici, nempe corpus & ſanguinem non proprie eſſe quamvis ita panis & vinum appelletur, ſed figurate, quia in pane corpus figuratur, in ſanguine vinum. Præterea *ſpecies* vox longe alio ſenſu ibi poſita ab Auguſtino in eo ipſo loco cujus meminit. Sic enim ille: *Corpus Chriſti & ſanguinem dicimus, illud tantum quod ex fructibus terræ acceptum & prece myſtica conſecratum rite ſumimus ad ſalutem ſpiritalem in memoriam pro nobis Dominicæ paſſionis. Quod cum per manus hominum ad illam viſibilem ſpeciem perducitur, non ſanctificatur, ut ſit tam magnum ſacramentum, niſi operante inviſibiliter ſpiritu Dei.* Ecce Chriſti corpus & ſanguinem dici ait quod ex fructibus terræ acceptum, ex frumento nimirum & uvis, per manus hominum, id eſt, piſtorum & vinitorum ad viſibilem ſpeciem perducitur, id eſt, panem & vinum, quæ *ſpecies* dicuntur. Verum igitur panem & verum vinum proprieque ſic dictum & in proprietate naturæ ſuæ utrunque permanens, non figuram panis & vini, corpus & ſanguinem Chriſti appellari dixit Auguſtinus. Hinc *ſpecies annonaria*, ut infra dicturi, ſumus. Non igitur panis figurate dicitur ut falſo hariolatur Sirmondus, quia ſub figura panis corpus continetur, ſed panis figurate dicitur

corpus quia non eſt proprie corpus, ſed in ſigno tantum & figura, & per ſimilitudinem non per proprietatem. Hinc idem ait Auguſtinus ſecundum quendam modum ſacramentum corporis corpus eſſe, & ſacramentum ſanguinis ſanguinem in Epiſtola XXIII. ad Bonifacium. Id eſt figurate non proprie, ſecundum quendam modum, τροπικῶς. Nam ibidem ſcribit in proxime præcedentibus, *Sacramenta quandam ſimilitudinem habere earum rerum quarum ſacramenta ſunt.*, id eſt, quarum ſigna ſunt. Quippe niſi hoc eſſet, ſacramenta non eſſent. *Ex hac autem*, inquit, *ſimilitudine plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt.* Ideo ſubjicit, ſacramentum corporis corpus appellari, & ſacramentum ſanguinis ſanguinem, ſecundum quendam modum, id eſt, τρόπον τινα, quia ex ea ſimilitudine quam ſacramenta habent earum rerum quarum ſunt ſacramenta, nomina etiam earundem accipiunt. Figurate ergo & per ſimilitudinem & per quendam modum, non per proprietatem, ſacramentum corporis corpus eſt, & ſacramentum ſanguinis ſanguis. Idem Auguſtinus apud Gratianum de conſecratione Diſt. II. canon. Hoc eſt: *Sicut cæleſtis panis qui Chriſti caro eſt, ſuo modo vocatur corpus Chriſti, cum revera ſit ſacramentum corporis Chriſti, cum revera ſit ſacramentum corporis Chriſti, illius ſcilicet quod viſibile, palpabile, mortale, in cruce eſt ſuſpenſum, vocaturque ipſa immolatio carnis quæ Sacerdotis manibus ſit,*

Chriſti

Chriſti paſſio, mors, crucifixio, non rei veritate ſed ſignificante myſterio. Sic ſacramentum fidei, quod baptiſmus intelligitur, fides eſt. Panem ſacramenti vocari ſuo modo corpus Chriſti, cum revera ſit ſacramentum corporis, id eſt, ſignum. Ergo non revera corpus eſt, ſed ſuo modo, id eſt, figurate. Nam ſi principali & naturali propriaque ſignificatione ita diceretur, revera id etiam eſſet quod diceretur. Nunc cum ſuo modo dici aſſerat corpus, τροπικῶς omnino & figurate ita appellari cenſendum eſt, & ſicut paulo poſt ait de ſacrificio altaris, quod peragitur non in rei veritate, ſed ſignificante myſterio. Nam ſi ipſa immolatio quæ fit manibus Sacerdotis non in rei veritate fit, nec panis ipſe qui offertur, revera Chriſti corpus eſt, ſed per ſimilitudinem & ſignificante myſterio, id eſt, quod continet myſterium corporis. Quæ ſuo modo dicuntur à vulgari & communi naturalique modo recedunt, & peculiari cenſentur modo dicta. Sic *ſui generis* eſſe dicuntur, quæ ad cõmune & principale genus non referuntur. Immo vox *modus* ibi τρόπον & figuram proprie ſignificat. Nam τρόπος Grammaticis idem eſt quod figura vel figuratus ſermo, quem & *modum* Latini exponunt cum dicunt, *Tropum eſſe modum ornatæ dictionis*. Ergo ſecundum quendam modum, id eſt, ſecundum quendam τρόπον vel figuram, ſacramentum corporis, corpus eſt. Figurata igitur, & ſui modi fuit loquutio Chriſti cum

panem dando diſcipulis dixit, *Hoc eſt corpus meum.* Si hæc proprie ſonarent, non eſſet figurata loquutio. At non poſſunt proprie accipi, ergo figurate debent intelligi, ut ex eodem conſtat Auguſtino, cujus hæc ſunt verba libro III. de doctrina Chriſtiana capite XVIII. *Si præceptiva loquutio eſt aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non eſt figurata. Niſi manducaveritis, inquit, carnem Filii hominis, & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis, facinus vel flagitium videtur jubere. Figura eſt ergo præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter atque utiliter recolendum in memoria quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit.* Si figura eſt, aut figurata loquutio qua Chriſtus juſſit carnem ſuam manducare & ſanguinem bibere illos qui ſalvi eſſe vellent, eadem loquutione & ratione corpus ſuum in pane comedendum, & ſanguinem in vino bibendum diſcipulis tradidit. Eadem certe omnino res eſt, & Auguſtinus id recte oſtendit, cum præceptum Domini de carne ſua manducanda & ſanguine bibendo, figuram dixit eſſe præcipientem paſſioni Domini eſſe communicandum, & memoriam ejus recolendam. Hoc enim ipſum juſſit cum panem tradens diſcipulis & poculum, hoc ſanguinem, illum corpus ſuum eſſe pronuntiavit, atque in commemorationem ſui fieri. Enimvero non manducari poteſt caro

Chriſti

Chriſti niſi in ſacramento panis quod ipſe inſtituit, neque ſanguis ejus bibi niſi in ſacramento calicis. Figurata autem eſt ea manducatio, vel de manducata carne loquutio, quia figura eſt ſermonis cum à principali & naturali ſignificatione ſermo transfertur ad aliam, à propria ad non propriam. Propria eſt ac naturalis manducatio quæ ore fit, non propria ergo, figurata, cujus ſignificatio transfertur ad aliam manducationem quæ non ore peragitur ſed corde, quæ corporalis non eſt ſed ſpiritalis. Ita cum Chriſtus in Iohannis Euangelio de carne ſua manducanda, & ſanguine bibendo ſermonem haberet apud Capernaitas, cum in propria ac naturali ſignificatione eam manducationem & potationem illi acciperent, docuit eos Chriſtus, alterius eam eſſe generis, & ſpiritum eſſe ac vitam verba quæ loqueretur. Spiritum eum eſſe qui vitam daret, carnem nihil efficere. Quibus oſtendit figuram eſſe quod de manducatione ſuæ carnis dixerat, nec de orali & naturali manducandi ratione eam eſſe intelligendam, ſed de ſpiritali. Quæ verba Chriſti recte Græci enarratores ſic interpretati ſunt, ὃ λέγει τοιοῦτόν ἐστι, πνευματικῶς δεῖ τὰ παρ' ἐμοῦ ἀκούειν· ὁ γὰρ σαρκικῶς ἀκούσας οὐδὲν ἀπώνατο, οὐδὲ τοῦ κέρδους ἀπήλαυσε. *Quod dicit ejuſmodi eſt, Spiritaliter verba mea intelligenda ſunt. Nam qui corporaliter accipit nihil proficit, nec ullum inde emolumentum percipit.* Figurata igitur erat teſte Auguſtino, non pro-

pria ea præceptio, utpote à naturali & corporali manducandi ſignificatione ad non naturalem & ſpiritalem tranſlata. Et tamen ibidem Chriſtus apud Iohannem non dubitavit dicere, *Caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*. Myſticus ille fuit & figuratus carnis Chriſti cibus, & ſanguinis ejus potus, & tamen vere utrumque fieri dixit. Quia nempe ſpiritalia veram habent ἐνέργειαν, & veritas conſtat ſacramentis earum rerum quarum ſunt ſacramenta. Dixit idem, *ego ſum vitis vera* cum tamen id ſpiritaliter & cum figura ſit intelligendum, non ad litteram, nec in propria vitis ſignificatione. Quid ſit σαρκικῶς intelligere, iidem Græci interpretes ad eum locum ſic notant: τί δ᾽ ἐστιν, inquiunt, σαρκικῶς νοῆσαι; τὸ ἁπλῶς εἰς τὰ προκείμενα ὁρᾶν καὶ μὴ πλεόν τι φαντάζεσθαι. Δεῖ γὰρ τὰ μυστήρια τοῖς ἔνδον ὀφθαλμοῖς κατοπτεύειν, τουτέστι πνευματικῶς. *Quid eſt autem corporaliter intelligere? Hoc eſt, ſimpliciter quæ in menſa propoſita ſunt dona, ſpectare, non plus aliquid ſibi imaginari. Myſteria enim internis oculis ſunt conſideranda, id eſt, ſpiritaliter.* Manifeſto loquitur de ſacramentis altaris, & τὰ προκείμενα vocat quæ in menſa ſacra proponuntur dona, panem nempe & vinum. Perperam interpres eo loco vertit, *quæ proponuntur conſiderari*. Eodem ſenſu dixit Gelaſius Cyzicenus, ut ſupra notabamus, μὴ τῷ προκειμένῳ ἄρτῳ καὶ ποτηρίῳ προσέχειν. Item Theodoretus Dial. 1. μὴ τῇ φύσει τῶν βλεπομένων προσέχειν, ἀλλὰ διὰ τὴν τῶν ὀνομά-

των

των ἐναλλαγῆς πιστεύειν τῇ ἐκ τῆς χάριτος γεγενημένῃ μεταβολῇ. *Non attendere eorum quæ cernuntur ſubſtantiæ & natura, ſed per nominum enallagen credere ei quæ facta eſt per gratiam mutationi.* Ergo & natura manet viſibilium ſpecierum in hoc ſacramento & ſubſtantia, cui tamen non eſt attendendum, ſed gratiæ quæ ſpeciebus adjecta eſt, ut ipſe ibidem paulo poſt dicit. Sic Victor Antiochenus, μὴ πρὸς τὴν φύσιν ἀφορᾶν τῶν προκειμένων, cum de eadem re loqueretur. Alii προκείμενα δῶρα appellant. Myſteria igitur omnia μυστικῶς intelligenda & conſideranda ſunt, id eſt, in propria & naturali ſignificatione rerum quas repræſentant. Sirmondus qui per vim voluit Facundum trahere ad ſententiam quæ hodie apud ſuos viget, inter alias ſtultas rationes & hanc addidit, *quod de veritate carnis & ſanguinis Chriſti dubitari non potuit.* Neque nos ſane qui in alia ſententia ſumus de ejus veritate nunc dubitamus. An propterea ſtatuendum eſt panis & vini ſubſtantiam ac naturam in corpus & ſanguinem Chriſti ſubſtantialiter converti? Hæc μυστήρια ſunt, atque ideo πνευματικῶς, non σαρκικῶς ſunt intelligenda. Et veritas illa ac realitas, ut ita dicam cum barbaris, corporis & ſanguinis Chriſti, ſpiritaliter, non vero corporaliter audienda eſt. Subnectit ſtatim poſt illa Sirmondus: *Quia poſt ipſius Domini profeſſionem, ut docet Hilarius lib.* VIII. *de Trinitate, non eſt relictus ambigendi locus.* Neque profecto nunc quiſquam

de eo Reformatorum hoc tempore ambigit. Profeſſus eſt ſane Chriſtus panem quem dabat corpus eſſe ſuum, & poculum quod tradebat, novum eſſe teſtamentum in ſanguine ſuo, notiſſima; ut notarunt plerique Patrum & inter eos Auguſtinus, figura, qua in myſteriis ſignum ſæpius appellatur rei ſignificatæ nomine, tam in novo fœdere quam in vetere. Nam & πάσχα pro agno Paſchali poſitum, & πάσχα θύειν pro agnum Paſchalem immolare dixit Apoſtolus. Cyprianus in libro de unctione Chriſmatis: *Dedit itaque Dominus noſter in menſa, in qua ultimum cum Apoſtolis participavit convivium, propriis manibus panem & vinum, in cruce vero manibus militum corpus tradidit vulnerandum, ut in Apoſtolis ſecretius impreſſa ſincera veritas, & vera ſinceritas exponeret gentibus, quomodo vinum & panis caro eſſet & ſanguis, & quibus rationibus cauſa effectibus convenirent, & diverſa nomina vel ſpecies ad unam reducerentur eſſentiam, & ſignificantia & ſignificata iiſdem cenſerentur vocabulis.* Panem & vinum revera dediſſe in cœna Apoſtolis dicit, corpus vero militibus in cruce vulnerandum tradidiſſe. Vbi plane diſtinguit corpus quod in pane dedit diſcipulis, quem panem permanſiſſe plane ſignificat, à corpore vero & naturali quod in cruce militibus tradidit vulnerandum. Corpus igitur quod in pane dedit diſcipulis cœnantibus, typicum tantum fuit, & ſymbolicum & myſticum, non verum nec naturale quale

quale in cruce fractum & vulneratũ eſt. Ita appellat Origenes in Matthæum *typicum* & *ſymbolicum* corpus, quem panem etiam Domini ibidem dixit Μυστικὸν corpus & μυστικὸν αἷμα etiam Græci Patres nuncuparunt, quia ſub myſterio eſt, non in ſubſtantia vera. Hodie Pontificii inter myſticum Chriſti corpus & verum ita diſtinguunt, ut verum illud velint eſſe quod in ſacramento datur, myſticum vero Eccleſiam. Atqui non minus eſt μυστικὸν quod in pane eſt conſecrato, nec ullo modo verum, ſi ad corporis naturalis ſubſtantiam reſpicias. Alia igitur ratione panem corpus ſuum appellavit, alia corpus ejus verum in cruce ſuſpenſum eſt. Figurata eſt prorſum loquutio qua res ſignificans appellatur rei ſignificatæ nomine. Nam quæ ſignificat cum ſignum ſit rei ſignificatę, res ipſa ſignificata non per proprietatem ſubſtantiæ & naturæ id nomen habet, ſed quia ſignum & res quæ ſignificatur, iiſdem vocabulis cenſentur. Auctor Libelli de Cœna: *Hoc ſacramentum aliquando corpus ſuum, aliquando carnem & ſanguinem, aliquando panem, Chriſtus appellat, portionem vitæ æternæ quam is ſecundum hæc viſibilia corporali communicavit naturæ.* Inde & verba illa Chriſti, *hoc eſt corpus meum*, vetuſtiſſimi Patres Græci Latinique expoſuerunt, ſignum corporis mei, figura corporis mei. Idem auctor de Cœna: *Sed in cogitationibus hujuſmodi caro & ſanguis non prodeſt quidquam quia ſicut ipſe magi-*

 ſter

ſter expoſuit, verba hæc ſpiritus & vita ſunt, nec carnalis ſenſus ad intellectum tantæ profunditatis penetrat niſi fides accedat. Panis eſt eſca, ſanguis vita, caro ſubſtantia, corpus Eccleſia. Ex his verbis liquet quantum hic ſcriptor abfuerit ab ea hæreſi quæ panis & poculi tranſſubſtantiationem in corpus & ſanguinem introduxit. Nihil carnalem ſenſum ad intellectum tanti ſacramenti aſſequendum facere ait. Quod & Hilarius indicat eo loco quem Sirmondus in Notis Facundi allegavit, ſed maligne vocem *fidem* ſuppreſſit. *Quia poſt ipſius Domini,* inquit, *profeſſionem*, ut docet Hilarius lib. VIII. de Trinitate *non eſt relictus ambigendi locus.* Atqui non ſolius *profeſſionis* Chriſti meminit Hilarius eo loco, ſed etiam *fidei*, hoc modo: *De veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione & fide noſtra vere caro eſt & vere ſanguis eſt.* Cur iſta verba Sirmondus omiſit, *& fide noſtra?* Quia ea opinionem Pontificiorum hodiernam plane evertunt quam ille & ex Facundo & Hilario aliiſque veteribus antiquam eſſe ſtudet probare. Et hic eſt Hilarii locus in quo Doctores mirum ſibi firmamentum ad hæreſin ſuam defendendam collocarunt, quod vel unica voce totum ſubruitur, *& fide noſtra.* An fides accipientis in doctrina Pontificia facit, ut panis ſacramenti vere caro ſit Chriſti, & vinum vere ſanguis ejus? Immo hac aſſertione jugulum

ejus

ejus petitur. Si fides ſumentis præſtat, ut corpus fiat ex pane, non vis conſecrationis hoc efficit, nec poteſtas verborum Chriſti. Si dixerint Hilarium utrumque jungere profeſſionem Chriſti dicentis, *hoc eſt corpus meum*, & fidem noſtram, ut hæc concurrat Chriſti declarationi, quo panis fiat corpus ejus & vinum ſanguis, ne ſic quidem inde quidquam poterunt trahere, quod opinioni ſuæ velificetur. Quin potius nihil magis contrarium fingi poteſt. Volunt enim etiamſi in fidelis, etiamſi brutum animal panem ſemel conſecratum manducaverit & vinum hauſerit benedictum, carnem & ſanguinem Dominicum vere ab eo ore accipi & in ſtomachum demitti. Nihil igitur fides in tali opinione cooperatur, ut vere caro ſit & vere ſanguis. Quod ad profeſſionem Domini attinet non eam id efficere, niſi fides accedat accipientis, veterum omnium conſentiens opinio eſt. Nonne Chriſtus æque ex vero profeſſus eſt ſe eſſe veram vitem, ſe eſſe panem vivum, quam cum dixit panem quem dabat, corpus eſſe ſuum? In illis tamen prioribus profeſſionibus nemo antiquorum intellexit Chriſtum in vitem converti & in panem? Cur in hac tertia quæ non magis expreſſa eſt, accipiemus panem per ποιότητα corpus ejus fieri, & vinum ſanguinem? Fides igitur ſola quæ profeſſioni Chriſti credit, & panem verum ejus eſſe corpus, quia id eſſe pronuntiavit, pro certo perſuaſum

ſuaſum habet. Profeſſio illa Domini non credita nihil juvat accipientem incredulum, nec panis quem ſumit, corpus illi Chriſti eſt, quia nec eſſe credit. Nudum panem accipit qui fidem non habet ſe Chriſti corpus accipere. Fides ergo eſt quæ ex veritate profeſſionis Chriſti efficaciam ſibi veri corporis adplicat verum eſſe credendo, nam non credendo prorſus redditur illud beneficium inefficax, ac ſine fructu. Ita Iudas qui non credidit, panem tantum Domini accepit, non panem Dominum, ut dixit Auguſtinus. Nam eodem modo panis eſt Dominus in ſacramentorum celebratione, ex illa ejus profeſſione, qua dixit, *hoc eſt corpus meum*, quo Dominus panis eſt alia ejuſdem profeſſione non minus vera, qua apud Iohannem pronuntiavit, cap. VI. verſ. LI. *Ego ſum panis vivus.* Iſidorus Peluſiora lib. I. Epiſt. CLX. ἄρτος ὁ κύριος καλεῖται, αὐτὸς ἑαυτὸν τούτῳ καλῶν τῷ ὀνόματι. *Quam multi*, inquit Auguſtinus in Iohannem Tractatu XXVI. *de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur?* Qui ſunt illi, qui accipiunt de altari, & tamen moriuntur? Qui ſacramentum tantum accipiunt, & non virtutem ſacramenti. Nam, ut ait ibidem, aliud eſt ſacramentum, aliud virtus ſacramenti. Nemo autem accipit virtutem ſacramenti niſi qui fidem habet, & vera eſſe credit quæ Dominus dixit. Qui non manducat ſpiritaliter panem viſibilem ſacramenti, ad perniciem ſuam ſibi

man-

manducat, quia panem communem merum manducat, non ſpiritalem cibum. Nemo autem niſi mundus, & per fidem ſanctificatus, ſpiritaliter mandit panem illum ſpiritalem. Idem Auguſtinus ibidem ad illa Iohannis Qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum; *Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus proculdubio, nec manducat ſpiritaliter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, ſed magis tantæ rei ſacramentum ad judicium ſibi manducat, & bibit, quia immundus præſumpſit ad Chriſti ſacramenta accedere, quæ aliquis non digne ſumit niſi qui mundus eſt.* Per fidem in Chriſto manemus, & ille in nobis manet. Per eandem ſpiritaliter manducamus carnem ejus dum credimus panem, qui nobis datur in viſibili ſacramento carnem ejus eſſe, hoc eſt, cibum ſpiritalem, & animæ noſtræ pabulum. Sacramentum ipſum corporis & ſanguinis ab omnibus ſumi eodem loco ait, id eſt, panem & vinum, aliis ad ſalutem, aliis ad perniciem, quia nimirum alii cum ipſo ſacramento rem ſacramenti per fidem accipiunt, alii ſolum ſacramentum, id eſt, panem & vinum. At ipſa res cujus eſt ſacramentum omni qui eam vere perceperit, ad vitam datur, nulli ad exitium. *Hujus rei ſacramen-*

cramentum, id eſt, unitatis corporis & ſanguinis Chriſti alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica menſa præparatur, & de menſa Dominica ſumitur, quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitium. Res vero ipſa cujus ſacramentum eſt, omni homini ad vitam nulli ad exitium, quicunque ejus particeps fuerit. Multos qui manna in deſerto manducaverunt non eſſe mortuos ibidem dicit, quia viſibilem cibum ſpiritaliter intellexerunt. *Manducavit*, inquit, *manna & Moſes, manducavit manna & Aaron, manducavit manna & Phinees, manducaverunt ibi multi qui Domino placuerunt, & mortui non ſunt. Quare? Quia viſibilem cibum ſpiritaliter intellexerunt, ſpiritaliter eſurierunt, ſpiritaliter guſtaverunt, & ſpiritaliter ſatiarentur. Nam & nos hodie accipimus viſibilem cibum, ſed aliud eſt ſacramentum, aliud virtus ſacramenti. Quam multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur?* Comparat manna cum pane ſacramenti vel ſacramento corporis. Cibum utrumque eodem modo viſibilem eſſe dicit, & utrumque ſacramentum. Iudæos qui manna viſibiliter tantum & carnaliter manducaverunt omnes mortuos eſſe, qui ſpiritaliter intellexerunt & ſpiritaliter manducaverunt vixiſſe. Idem eſſe de pane myſtico Cœnæ Dominicæ, quem non poſſe cuiquam ſalutarem eſſe affirmat niſi illis, qui ſpiritaliter intellexerint & manducaverint. Non poteſt autem ſpiritaliter intelligi & manducari niſi per fidem. Nam fides eadem

dem eſt qua verbo Dei creditur, & qua ſacramento viſibili Verbum Deum ineſſe creditur. Verba Chriſti apud Iohannem, *Ego ſum panis vitæ*, quidam veterum de verbo ipſo Dei & dogmatibus intellexerunt, ac fide in ipſum, alii de ipſo corpore Chriſti quod ſpiritaliter in ſacramentis per fidem ſumitur. Chryſoſtomus ad Lucam: ἤτοι τὰ δόγματα φησὶν ἐνταῦθα τὰ σωτήρια καὶ τὴν πίστιν εἰς αὐτὸν, ἢ τὸ σῶμα τὸ ἑαυτοῦ· ἀμφότερα γὰρ νευροῖ τὴν ψυχήν. *Aut dogmata ſalutaria hîc intelligit, & fidem in ipſum, aut corpus ſuum; utrumque enim animam roborat.* Similiter in oratione Dominica ἄρτον ἐπιούσιον nonnulli de verbo Dei, alii de pane ſacramenti acceperunt, ut ex Auguſtino conſtat, & ex Tertulliano de Oratione Dominica. Hic antiquior ſic exponit: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, ſpiritaliter potius intelligamus. Chriſtus enim panis noſter eſt quia vita Chriſtus & vita panis. Et paulo ſupra panis eſt ſermo Dei vivi qui deſcendit de cœlis. Tum quod & corpus ejus in pane cenſetur.* Cyrillus in Catecheſi quinta, ἄρτον ἐπιούσιον interpretatur, τὸν ἅγιον αὐτὸν ἴσως τὸν ἐπὶ τὴν οὐσίαν ψυχῆς περιπόμενον καὶ ἐμμένοντα τοῖς καθαροῖς: *Qui convertitur in ſubſtantiam animæ, & in iis qui mundi ſunt manet.* Hoc eſt quod dixit in ſupra citatis Auguſtinus, ſolos mundos digne eum panem ſumere, & qui non manet in Chriſto, & qui in ſe manentem non habet Chriſtum ſpiritaliter carnem ejus non manducare. Sed nec ſecundum Cyrillum panis

ille

ille ſanctus & superſubſtantialis aliter poteſt ſumi quam ſpiritaliter ab iis qui eum in ſubſtantiam animæ ſuæ poſſunt convertere, & in quibus manet. Quod per fidem tantum utique fit. Duplici igitur modo Chriſtus ſe nobis præbet percipiendum & in verbo ſuo, & in ſacramentis, per eandem nimirum fidem, quaſi ſpiritale inſtrumentum quam ipſe nobis dat ad utramque ſui perceptionem. Non enim differt ſpiritalis perceptio qua Chriſti corpori in ſacramentis ejus communicamus, & qua verbum ejus audimus. Dicit Origenes non ſolum nos bibere ſanguinem Chriſti cum calicis ſacramento in Euchariſtia communicamus, ſed cum verbi ejus auditores ſumus. Auguſtinus in libro de utilitate pœnitentiæ agendæ de Iudæis ad fidem per Petrum converſis, bibere eos ſanguinem Chriſti dixit in quam crediđiſſent. *Tunc eis Petrus adnuntiavit eum colendum quem crucifixerunt, ut ejus jam ſanguinem noſſent bibere credentes, quem fuderant ſævientes.* Poteſt tamen dici de potu ſanguinis in ſacramento calicis eum intellexiſſe. Hæc tamen inter ſe reciprocantur, qui credunt in Chriſtum, ſanguinem ejus bibunt ac carnem comedunt, & qui ſacramentis panis & calicis communicant, credunt panem eſſe corpus, & calicem ſanguinem. Idem ſane Auguſtinus Tractatu XXV. in Iohannem, credere in Chriſtum ſcribit idem eſſe *quod manducare cibum qui non perit.* Quod enim

Ponti-

Pontificii & Lutherani hanc perceptionem Chriſti in verbo ejus ſimplici ſpiritalem eſſe intelligunt, alteram vero realem & eſſentialem per carnis ejus veræ propriam & corporalem manducationem toto cœlo errant, & toto ſolo. Vtrumque panis nomine de cœlo deſcendentis, ut ipſe de ſe apud Iohannem profitetur, veteres Patres interpretati ſunt. Vtrumque animæ pabulum eſt, utrumque pari fide apprehenditur. Nam & verbo Domini & doctrinæ ejus auſcultat, non is tantum qui credit eſſe vera quæcunque in novo fœdere continentur, ſed etiam qui quod in ſacramentis corporis & ſanguinis inſtituendis, & tradendo pane & ſanguine dixit, veritatem totam continere ſibi perſuadet, ac de veritate corporis ejus & ſanguinis non dubitat, non carnaliter tamen, ſed ſpiritaliter intelligenda. Auguſtinus ad ea verba Iohannis, Hic panis qui de cœlo deſcendit: *Hunc panem*, inquit, *ſignificavit manna, hunc panem ſignificavit altare Dei.* Hic per altare Dei intelligit menſam Dominicam, in qua ſacramenta corporis & ſanguinis in pane & poculo præparantur, & de qua ſumuntur. *Sacramenta illa fuerunt, in ſignis diverſa ſunt, in re quæ ſignificatur paria ſunt.* Signa in altari Dei panis & vinum, in deſerto manna. Sacramenta utraque quantum ad materiam quæ pro ſignis eſt, diverſa, quantum ad rem quæ ſignificatur paria eſſe ſcribit. Res quæ ſignificatur Chriſti corpus

eſt, in manna olim figuratum apud Iudæos, in pane apud Chriſtianos. Viſibilis uterque cibus in ſignis & ſacramento, inviſibilis & ſpiritalis in re ſignificata, nempe Chriſto. Citat deinde Apoſtoli verba ex I. ad Corinthios cap. x. ſcribentis: *Nolo enim vos ignorare fratres quia Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes per Moſem baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt.* Quibus ſubjungit Auguſtinus, *Spiritalem utique eandem quam nos, nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud.* Nempe panem. Ergo non ſola panis accidentia ſumuntur in ſacramento, ut placet Pontificiis, ſed corporalis panis ſubſtantia. Comparat manna Iſraëlitarum qua in eremo ſuſtentati ſunt cum pane Chriſtianorum. Vtrumque viſibilem cibum appellat & corporalem, utrumque ſacramentum dici, ſed diverſum rei ejuſdem, ſpiritalis nempe Chriſti corporis. Hæc altera pars ſacramenti Chriſtianorum pariter ac Iſraëlitarum viſibilis quod manducatur, horum in manna, illorum in pane. Sequitur de altera quæ bibitur. Adjungit Apoſtolus de Iſraëlitis: *Et omnes eundem potum ſpiritalem biberũt.* Quibus ſubjicit Auguſtinus: *Aliud illi, aliud nos ſub ſpecie viſibili, quod tamen hoc idem ſignificaret virtute ſpiritali.* Aquam illi bibebant, nos vinum. Ejus tamen utriuſque ſacramenti eadem virtus eſt ſpiritalis, nempe Chriſti ſanguis. Ergo intellexit

Augu-

Auguſtinus æque vinum Chriſtianos in ſacramento calicis vere bibere, ut Iſraëlitæ aquam ex petra bibebant in deſerto. Sic enim apud Auguſtinum ſequitur: *Quomodo enim eundem potum?* nempe ſpiritalem. *Bibebant*, inquit Apoſtolus, *de ſpiritali ſequente petra, petra autem erat Chriſtus. Inde panis, inde potus.* Qui ſpiritaliter manna intellexerunt & ſpiritaliter manducaverunt ex Iſraëlitis, non eſſe mortuos dicit, ut Moyſes, Aaron, Phinees & alii. Similiter vult ſpiritaliter panem & vinum in ſacramentis percipi, ſpiritaliter non corporaliter nec carnaliter. *Hic eſt ergo panis*, inquit Apoſtolus, *qui de cælo deſcendit, ut ſi quis manducaverit ex ipſo non moriatur. Sed quod pertinet*, ait Auguſtinus, *ad virtutem ſacramenti, non quod pertinet ad viſibile ſacramentum.* Id eſt, quod pertinet ad ſpiritalem manducationem virtutis ſacramenti, non ad corporalem & carnalem viſibilis ſigni. *Qui manducat intus, non foris, qui manducat in corde, non qui premit dente.* Interna igitur manducatio & ſpiritalis quæ corde fit, prodeſt ad ſalutem, non externa & quæ ore peragitur. Idem de baptiſmo dixit Tract. v I. *Foris habebas baptiſmum ad perniciem, intus ſi habueris incipit prodeſſe ad ſalutem.* Habemus Chriſtum per baptiſmatis ſacramentum, ut per Euchariſtiam. Nam qui baptizantur Chriſtum induere dixit Paulus. Idem fideles in mortem Chriſti baptizari ſcripſit. Euchariſtiæ quoque ſacramentum imago

 eſt

eſt & memoria mortis Chriſti. Cyrillus Baptiſma ἀντίτυπον eſſe tradit τῶν παθημάτων Chriſti, ſacramentum paſſionum Chriſti. Quid aliud eſt Euchariſtia, quam ἀντίτυπον Chriſti paſſionis in ſymbolis panis & vini, per quæ celebratur commemoratio mortis ejus & paſſionis? Externa aquæ immerſio & lotio non prodeſt fidem non habenti, nec pœnitentiam peccatorum agenti. Simili igitur modo percipimus beneficia Chriſti per fidem in ſacramēto, ut in baptiſmo, dum non foris ſed intus eorum participes ſimus, & ſpiritalem in utroque gratiam accipimus, non in baptiſmo ſpiritaliter, in ſacramento altaris, carnaliter. *Et ſancta*, inquit ibidem ſanctus Pater, *poſſunt obeſſe. In bonis enim ſancta ad ſalutem inſunt, in malis ad judicium. Certe enim, fratres, novimus, quid accipiamus, & utique ſanctum eſt quod accipimus, & nemo dicit, non eſt ſanctum. Et quid ait Apoſtolus? Qui autem manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit. Non ait, quia illa res mala eſt, ſed quia ille malus male accipiendo ad judicium accipit bonum quod accipit.* Appellat hic abſolute, *Sanctum* Euchariſtiæ panem, ut Græci ἅγιον, & τῶν ἁγίων μετάληψιν ſanctorum participationem de panis & vini communione. Tertullianus in libro de ſpectaculis, *Ex ore quo Amen in Sanctum protuleris gladiatori teſtimonium reddere.* Id eſt, accipiendo Sanctum, quæ eſt Euchariſtia, quam qui accipiebant è manu Sacerdotis dicentis, *hoc corpus*

Chri-

Chriſti, reſpondere ſolebant, ἀμήν. Hæc vox non panem in corpus Chriſti converſum deſignat, nec præſentem Chriſtum, ut putat Epiſcopus Aurelianenſis, ſed panem ſimpliciter ſacratum & ſanctificatum. Nam & *ſanctitas* paſſim à Latinis tam paganis quam Chriſtianis, tribuitur rebus & perſonis non divinis, ſed venerandis. Quod dabatur Catechumenis vice ſacramenti, quod non erat corpus Chriſti, etiam *ſanctum* fuiſſe dicit Auguſtinus in libro de peccatorum meritis II. cap. XXVI. *Et quod accipiunt quamvis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quam cibi quibus nos alimur, quoniam ſacramentum eſt.* Ergo panis Euchariſtiæ quatenus eſt ſacramentum res ſancta eſt, & ſanctior quam panis vulgaris & communis. Ideo verebantur poſt conſecrationem *panem* nominare, ne pro communi & ſimplici pane acciperetur. Sed & propter Catechumenos & infideles. Hinc illa Auguſtini, in his quę ſupra citavimus, *quia illi manna, nos aliud*, id eſt, panem ſacrum. Inde & *Sanctum* abſolute Græci ἅγιον, & ἁγίαν τροφήν. Et alio loco in Iohannem, *Et utique ſanctum eſt quod accipimus.* Apud Cyprianum de Lapſis, *Sanctum Domini* de Euchariſtiæ pane: *Et cum quædam arcam ſuam in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentaret aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere.* Quod de ſolo pane ſacrato eſt intelligendum. Nam ſequitur, *Et alius qui & ipſe*

ipſe maculatus ſacrificio à ſacerdote celebrato partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere, Sanctum Domini edere, & contrectare non potuit. In ordine Romano capite qualiter Miſſa celebretur, ita corrigendum eſt: *Qui dum communicaverit de ipſo Sancto quod momorderat ponit inter manus Diaconi in calicem.* Id eſt, de ipſo pane Euchariſtiæ. Perperam legitur, *de ipſa ſancta.* Simile mendum & in ſequentibus occurrit, *mittit in calicem de ſancta.* Scribendum, *de Sancto*, id eſt, de Euchariſtia. Nemo eorum per *ſanctum* intellexit corpus Chriſti ex panis ſubſtantia in divinam converſum, ſed ſacramentum panis, ſive ſacrum ſignum. Nam & *viſibilem cibum* nos accipere ibidem dixit, Tractatu XXVI. in Iohannem, & *viſibilem cibum* interpretatur ſacramentum. *Nam & nos accipimus viſibilem cibum, ſed aliud eſt ſacramentum, aliud virtus ſacramenti.* Virtus ſacramenti corpus eſt Chriſti, cujus ſignum ſacrum, vel ſacramentum panis eſt. Hæc etiam res ipſi dicitur ſacramenti. *Res vero ipſa cujus ſacramentum eſt omni homini ad vitam, nulli ad exitium quicunque ejus particeps fuerit.* Rei ſacramenti ſive virtutis ſacramenti nemo fit particeps niſi ſpiritaliter. At ſacramentum, id eſt, ſignum ſacrum ſive panem ſacratum, quilibet manducat, etiam impius & infidelis. Soli ſancti & juſti & mundi rem accipiunt ſacramenti. Sacramentum igitur eſt quod *Sanctum* vocatur abſolute, id eſt, cibus viſibilis, cum res

ſacra-

ſacramenti, virtus ſacramenti, & corpus Chriſti res ſit inviſibilis. Hæc non manducatur nec dentibus premitur, ſed fide tantum atque in ſpiritu editur. Sacramentum foris ſumitur, res ipſa intus: ſacramentum viſibiliter, res ipſa inviſibiliter: illud denique corporaliter, iſta ſpiritaliter. Illius participatio bonorum & malorum eſt communis: iſta bonorum tantum propria, qui cum ipſo ſacramento, id eſt, cum pane ſacrato rem ipſam accipiunt ſacramenti, & virtutem, id eſt, corpus ipſum Chriſti. Hæc cum ita ſint, & cum ſoli fideles & corde mundi utrumque percipiant, per fidem efficitur ſolam accipientis, ut quod non eſt corpus Chriſti, fiat ipſum corpus Chriſti, ut quod eſt ſacramentum in virtutem tranſeat ſacramenti, & rem ipſam quam cum ſacramento percipit. Egregie idem Auguſtinus Tractatu XXV. *Hoc eſt ergo manducare cibum non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Vt quid paras dentes & ventrem? Crede & manducaſti.* Ergo qui non credit & fidem non habet, non manducat cibum illum qui non perit, rem nempe & virtutem ſacramenti carnemque Chriſti quæ dentibus non conteritur nec in ventrem demittitur, ſed ſolum ſacramentum ſive panem ſacratum. Origenes apud Gratianũ de conſecratione Diſt. II. canon. De hac: *De hac hoſtia quæ in Chriſti commemorationem mirabiliter ſit edere licet, de illa vero quam Chriſtus in cruce obtulit ſecundum ſe edere non licet.*

 Eden-

Edendi vocabulum hîc in propria ſignificatione accipit. Edere non licet corporaliter, ſed ſpiritaliter licet. Soli Sancti de ea edunt ſpiritaliter, & qui non moriuntur ea accepta. Alii qui corporaliter tantum manducant, id eſt, ſine fide qua virtus ſacramenti etiam percipitur, fructum ex ea manducatione non lucrantur. Auguſtinus loco jam ſupra citato: *Nam & nos hodie accipimus viſibilem cibum, ſed aliud eſt ſacramentum aliud virtus ſacramenti. Quam multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur?* Nempe illi qui ſolum ſacramentum & cibum viſibilem accipiunt, non ſacramenti virtutem. Id eſt, ut ante explicavit, qui ſpiritaliter non intelligunt, nec manducant ſpiritaliter. Idem Pater ibidem: *Norunt fideles corpus Chriſti, ſi corpus Chriſti non negligant eſſe. Fiant corpus Chriſti, ſi volunt vivere de ſpiritu Chriſti. De ſpiritu Chriſti non vivit, niſi corpus Chriſti.* Chriſtum in nobis per fidem & bona opera manentem ſi habeamus, ſic vivemus de ſpiritu Chriſti, hoc eſt, ſpiritali ejus cibo & qui non perit nutriemur. De quo ait apud Iohannem, *verba mea quæ loquutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt,* cum eis dixiſſet ſalvos eſſe non poſſe, qui carnem ſuam non manducaſſent & *ſanguinem* non bibiſſent, *Et quod caro ejus vere eſſet manducatio, & ſanguis vere potus.* Sed ſtatim ſequente verſiculo poſt ea dicta ſubjunxit Chriſtus, ἀλλ' εἰσὶν ἐξ ὑμῶν τινες οἳ οὐ πιστεύουσιν. *Quibus ſubjicit Iohannes.*

ſcie-

ſciebat enim ab initio Ieſus, qui eſſent non credentes, & quis eſſet traditurus eum. Ergo Iudas qui non credidit, nec etiam carnem Chriſti manducavit, nec ſanguinem ejus bibit cum reliquis diſcipulis, cum tamen æque panem, ut reliqui à Domino accepiſſet & poculum. Sed non ſpiritaliter ille manducavit, nec ſpiritaliter bibit, ſed carnaliter, ideo mortuus eſt. Sic ſolorum eſt credentium, & cum fide ſacrum cibum viſibiliter accipientium, corpus Chriſti accipere & carnem ejus vere manducare, quam non manducant, qui fidem non habent. Et ſane Chriſtus non cum pani benediceret, non cum frangeret, ſed cum ſingulis traderet, dixit, *hoc eſt corpus meum.* In primitiva quoque Eccleſia cum Diaconus panem traderet fidelibus, dicebat, *corpus Chriſti,* & reſpondebat, qui accipiebat, amen, id eſt, γένοιτο, ut ex Tertulliano, Clemente, Cyrillo & Auguſtino inferius probabimus. Fides igitur accipientis efficiebat, ut vere corpus illi eſſet quod accipiebat, non conſecratio, vel benedictio, nec verborum Chriſti pronuntiatio. Hinc Iuſtinus in Apologia ſcribit nullum ad ſacræ menſæ participationem recipi tum ſolitum, niſi qui crederet illa omnia eſſe vera, quæ docebantur de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in eo ſacramento. Καὶ τροφὴ αὕτη παρ' ἡμῖν καλεῖται εὐχαριστία, ἧς οὐδενὶ μεταχεῖν ἔξεστι ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν. *Hic cibus vocatur à nobis*

Euchariſtia qua non licet cuiquam participare, niſi qui perſuaſum habuerit vera eſſe quæ à nobis docētur. Non enim inſtitutum hoc à Chriſto corporis & ſanguinis ſui in memoriam ſuæ paſſionis ſacramentum in pane & in vino, nec ab Eccleſia ejus poſtea ſervatum, ut ſoli pani & ſoli vino communicaretur, ut ſolent qui communem cibum accipiunt & communem potum; ſed ut ipſius rei cujus illa ſunt ſacramēta fideles etiam eſſent participes, nempe carnis & ſanguinis. Atqui non licet de his participare niſi ſpiritaliter, nec ſpiritalis hæc participatio cibi ſpiritalis cuiquam poteſt procedere niſi per fidem, dum credit vera eſſe Chriſti verba, ſed ſpiritaliter intelligenda. Ideo ſolos credentes ita eſſe, & ſolos baptiſmo altero ſacramento Chriſti, lotos admittebant ad hoc ſacramentum. Victor Antiochenus Presbyter ἑρμηνείᾳ in Marcum, ἡ γὰρ ἐπὶ τούτοις γινομένοις πίστις ὁμοῦ τε τῶν πληρωθέντων ὁμολογίαν ἔχει, καὶ τὴν μετουσίαν τῆς ἀφέσεως χαρίζεται τοῖς πιστεύουσιν. *Fides enim ad ea quæ fiunt in his ſacramentis, ſimul confeßionem habet eorum quæ impleta ſunt, & credentibus peccatorum veniam indulget.* Quæ ſint ea γινόμενα ad quæ fides requiritur, ex qua conſequitur in credentes peccatorum remiſſio in præcedentibus ita explicavit: Διὰ δὲ τοῦ εἰπεῖν, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, καὶ τοῦτο μου αἷμα, ὅτι τοῦ μὲν ἄρτου προτεθέντος μετὰ τὴν εὐχαριστίαν προσῆκεν αὐτοῦ σώματος νομίζειν, αὐτοῦ μεταλαμβάνειν, τὸ δὲ ποτήριον ἐν τάξει αἵματος ἡγεῖσθαι, περὶ ὃ τὸ πάθος ἐγένετο ἐπὶ κοινῇ πάντων σωτηρίᾳ τε καὶ ἀφέσει τῶν ἡμαρτημένων αὐτοῖς, ἡ γὰρ ἐπὶ τούτοις. Dicit ex verbis Chri-

Chriſti qui dixit *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, conſequi ut panem in Dominica menſa propoſitum unuſquiſque debeat pro *Chriſti corpore habere*, & poculum *vice ſanguinis* ducere. Hæc eſt vera fides quæ ſine ulla ſubſtantiæ in ſubſtantiam tranſmutatione pro certo tenet cum panem ſumit ſacramentalem, ſe corpus ipſum Dominicum ſumere, quæque poculum vice ſanguinis ejus habet, loco veri ſanguinis. An hæc verba νομίζειν τὸν ἄρτον αὐτὸ τὸ σῶμα *panem corpus ipſum putare*, & τὸ ποτήριον ἐν τάξει τοῦ αἵματος ἡγεῖσθαι, poculũ ſanguinis inſtar exiſtimare aliquam habent ſignificationem Tranſſubſtãtiationis vel minimã? Ἐν τάξει idẽ eſt, quod ἐν μέρει, vice, loco. Gloſſe optimæ: ἐν τάξει, *vice*. Græci: ἐν τάξει, ἐν μέρει. Quod reapſe tenetur non in vicem ejus rei ducitur quæ ipſa res eſt; ſed altera res alterius vice habetur, non ipſa eadem ſui. Cum in ſacris Gentium aqua quælibet pro Avernali ſumebatur, ut fieri ſolitum, illa communis ἐν τάξει hujus habebatur per fictionem & ſimulationem, ut apud Poëtam IV.

Sparſerat & latices ſimulatos fontis Averni.

Vbi Servius notat, *In ſacris quæ exhiberi non poterant, ſimulabantur, & erant pro veris*, id eſt, ἐν τάξει τῶν ἀληθινῶν. Non dico talem fieri ſimulationem in ſacramento Euchariſtiæ. Nam ut Patres docent, & verum eſt, non pro ænigmate vel παραβολῇ habendum quod dixit Chriſtus de carne ſua, ſed fides quæ pro certo habet ac

vero

vero quod per panem nobis ipſum corpus Chriſti exhibeatur, & per poculum ſanguis ejus, etiam ut id revera ſit SpiritusSancti beneficio obtinet. In ſacris quoque illis Gentilium in quibus quæ exhiberi non poterant ſimulabantur, & pro veris habebantur, quamvis falſa eorum fides eſſet & vana, tamen ſua opinione eandem vim habere ſimulata illa ſtatuebant quæ in loco verorum ponebantur quam ſi ipſa res cujus vice aliam inducebant, eſſet exhibita. Hoc tantum hic volui explicare quid eſſet νομίζειν, & ἐν τάξει ἱερείων. Aliud igitur panis in ſacramento, aliud corpus Chriſti; aliud poculum, aliud ſanguis, cum illud ἐν τάξει hujus νομίζεται. Quod non fieret ſi vinum in ſanguinem converſum foret, & panis in corpus. Scribit ibidem Victor Antiochenus ad locum Marci XIV. Καὶ μὴ ἀμφιβάλης ὅτι τοῦτο ἐστὶ ἀληθὲς αὐτοῦ λέγοντος, δέχου δὲ μᾶλλον ἐν πίστει τοῦ σωτῆρος τὸν λόγον· ἀλήθεια γὰρ ὢν οὐ ψεύδεται. Cum ille Tranſſubſtantiationem Pontificiam non crediderit, non ambigendum tamen de veritate verborum Chriſti, cum ſit ipſa veritas, ſed in fide ait accipiendum quod dixit. Hic idem eſt Pictavienſis Hilarii ſenſus in illis quæ Sirmondus attulit pro Tranſſubſtantiatione, cum nihil afferri queat quod magis contra faciat: *De veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus, nunc enim & ipſius Domini profeſſione & fide noſtra vere caro eſt & vere ſanguis.* Vtrumque concurrat oportet ut panis caro ſit

ro ſit & vinum ſanguis, profeſſio Chriſti & fides credentis. Nam hæc ab illa dependet. Fruſtra profeſſus eſſet Chriſtus panem quem dedit Diſcipulis in ultima ſua cœna Paſchali, corpus eſſe proprium & calicem ſanguinem, ſi omnes Iudæ ſimiles extitiſſent. Rurſus irrita & inanis hæc fides fuiſſet Diſcipulorum credentium panem quem accepiſſent à Domino eſſe corpus Dominicum, & vinum ſanguinem, niſi ipſe Chriſtus hoc aperte profeſſus eſſet ac pronuntiaſſet in tradendo illis pane & calice. Ex illa profeſſione fides eorum conſequenter enata eſt, quia ſciebant nihil eum dixiſſe quod verum non foret, utpote qui eſſet ipſa veritas. Vt crediderũt in eum, ita crediderunt ei verum eſſe quod dixerat cum panem illis traderet, *Hoc eſt corpus meum*. De nihilo tamen verba illa protuliſſet Chriſtus, *Hoc eſt corpus meum*, cum panem traderet, niſi qui accipiebant ita eſſe credidiſſent. Et hoc de iſto ſacramento non minus verum eſt quam quod de baptiſmi aqua dixit Auguſtinus Tractatu LXXXI. in Iohannem: *Vnde iſta tanta virtus aquæ ut corpus tingat, & cor abluat niſi faciente verbo? Non quia dicitur, ſed quia creditur.* Sed nunquam hanc credulitatem habuerunt Apoſtoli neque quiſquam veterum Patrum, ita panem illum fieri & eſſe corpus, ut panis ſubſtantiam ſuam amitteret, ſolis accidentibus remanentibus. Subjungit Hilarius: *Et hæc accepta & hauſta id efficiunt, ut & nos in Chriſto,*

ſto, & Chriſtus in nobis ſit. Non hauritur ſanguis Chriſti in poculo, non accipitur corpus in propria ſubſtantia; ſed hoc in pane accipitur, ille in vino hauritur, quæ ſacramenta ſunt ac ſigna corporis & ſanguinis Dominici. Quod ipſe Hilarius aliquot locis teſtatur in eodem libro, ut paulo poſt eodem loco: *Quam autem in eo per ſacramentum communicata carnis & ſanguinis ſumus, ipſe teſtatur, dicens.* Si per ſacramentum nobis communicat carnem ſuam & ſanguinem, non ipſam per ſe ipſam nobis communicari cenſendum eſt, ſed per ſigna ſacra, id eſt, per panem & vinum conſecratum, quæ ſunt corporis & vini ſacramenta. Item adhuc inferius eadem pagina ita loquutus eſt, nos in Chriſto eſſe dicit, *per corporalem ejus nativitatem, & illum rurſum in nobis per ſacramentorum ineſſe myſterium.* Si eſt in nobis per ſacramentorum myſterium, non ita eſſe credendum eſt, ut per propriam carnem ex pane tranſmutatam & per proprium ſanguinem ex vino in eam ſubſtantiam converſum ineſſe exiſtimetur. Hæc enim inter ſe pugnant, eſſe per ſacramentum, & eſſe per ſeipſum. Alio loco dixit nos vere *ſub myſterio* carnem corporis Chriſti ſumere. Si ſub myſterio, non ſine myſterio. Atqui nullum eſt myſterium, nullum ſacramentum, nullum rei ſacræ ac divinæ ſignum ubi res ipſa loco ſigni & ſacramenti exhibetur. Vbique in illo Tractatu docet Hilarius per ſacramentum, & ſub

my-

myſterio, nempe panis & vini myſtici Chriſtum nobis carnem ſuam & ſaaguinem ſuum communicare, & nos in Chriſto eſſe ut ille in nobis eſt; an aliter hoc fieri & eſſe quiſquam poteſt exiſtimare quam ſpiritaliter, cum fiat ſacramentaliter? Certe & Chriſtum per baptiſma induimus, & proinde illum quem induimus in nobis manere, & nos in illo, credendum eſt. An aqua baptiſmi qua abluimur Chriſtus eſt, aut Chriſti ſanguis ipſiſſimus, quo lavamur per converſionem? Immo per ſacramentum baptiſmi id conſequimur, id eſt, per aquam, quæ ſignum eſt ac ſacramentum illius ſalutaris lotionis, quæ animæ prodeſt non corpori. Per baptiſmum idem Hilarius omnes credentes & baptizatos unum fieri vult. Nam in illis qui ſunt regenerati in unius vitæ atque æternitatis naturam, per quod anima eorum & cor unum eſt, ceſſare aſſenſionis unitatem, quia unum ſunt in regeneratione naturæ. Docere enim Apoſtolum, ex natura ſacramentorum hanc eſſe fidelium Dei unitatem, cum ſcribit ad Galatas: Quotquot enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, non ineſt Iudæus neque Græcus, non ineſt ſervus neque liber, non ineſt maſculus neque fœmina. Omnes enim unum vos eſtis in Chriſto Ieſu. Idem Apoſtolus ſimiliter in Epiſtola priore ad Corinthios ſcribens, docet omnes qui de eodem pane participant in Eu-

chari-

chariſtia & de eodem poculo unum corpus eſſe, in Chriſto ſcilicet. *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, nam omnes de uno pane & de uno calice percipimus.* Ita vetuſtiſſima habet verſio Latina cum Græco, οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου, καὶ τοῦ ἑνὸς ποτηρίου μετέχομεν. De utroque ſacramento intellexit Hilarius, id eſt, de baptiſmo & Euchariſtia, cum dixit, Apoſtolum docere ex natura ſacramentorum eſſe hanc fidelium unitatem, quam non vult eſſe ſimplicis aſſenſus & concordiæ unitatem, ſed plane naturæ. Quorum enim ſpes una eſt, Deus unus, & Dominus unus, & baptiſma regenerationis unum, non eſſe iis unitatem voluntatis adſcribendam, quia illa omnia non aſſenſu unum ſunt, ſed natura. Cum hæc unitas fidelium inter ſe, quam naturæ eſſe cenſet non tantum voluntatis, non id efficiat, ut invicem alter alterius naturam induat, & alter in alterum mutetur, ne per illam quidem unitatem, quam cum Chriſto habemus dum in illo ſumus, & ille in nobis, perfici poteſt ut ipſi conſubſtantiales evadamus. Diſputat tamen Hilarius in eo libro, utrum per naturæ veritatem hodie Chriſtus ſit in nobis an per concordiam voluntatis. Illud potius quam hoc non dubitat affirmare, & hoc argumento utitur. *Si enim*, inquit, *vere verbum caro factum eſt, & nos vere verbum carnem cibo Dominico ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandum eſt, qui & naturam*

ram carnis noſtræ jam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub ſacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit? Ita enim omnes unum ſumus, quia in Chriſto pater eſt, & Chriſtus in nobis eſt. Ex his verbis conantur adſtruere corpus Chriſti nobis ipſum & in propria ſubſtantia & natura communicari, quia velit Hilarius unitatem noſtram cum Chriſto eſſe naturæ non voluntatis. Dixit enim: *Vt ſint unum ſicut & nos unum ſumus: Ego in his & tu in me, ut ſint perfecti in unum.* Pater unus eſt cum Filio per naturæ veritatem, non per concordiam voluntatis. Cum ſimiliter & fideles unum ſint, & Chriſtus in illis ſe eſſe dicat, ex eo ſequi, ut unitas Chriſtianorum inter ſe ſit naturalis, ut & illa eſt quam habent cum Chriſto. Idque ſic probat. Manet in nobis naturaliter quia naturam noſtræ carnis jam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit. Hoc quidem verum, ſed in hac naturæ noſtræ carnis aſſumptione neque caro in divinitatis ſubſtantiam converſa eſt, neque divinitas in ſubſtantiam carnis mutata. Quod ſequitur apud Hilarium, Chriſtum *naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub ſacramento nobis communicandæ, carni noſtræ admiſcuiſſe*, quæſtio eſt an ita carnem Chriſti carni noſtræ admiſceri cenſuerit Hilarius in ſacramẽtis carnis & ſanguinis ejus participandis, ut ipſamet ſubſtantia corporis per converſionem cum noſtra carne una fieri intelligatur, ut

K ex eo

dum ſpiritalem, non carnalem, conficitur. Ipſe autem quaſi incorporatur nobis per carnem ſuam & ſanguinem, idque beneficio benedictionis, quæ panem & vinum ut vere caro ſit, & vere ſanguis, efficit. Nihil in iſtis quod ullam fieri Tranſſubſtantiationem ſuadeat. Dicit διὰ ἁγίου πόματος eam conjunctionem Chriſti & noſtri procedere, qua ille in nobis manet, & nos in nobis manentem habemus. Dicit non ſimpliciter & abſolute noſtris corporibus per carnem ſuam & ſanguinem Chriſtum admiſceri, ſed ὥσπερ; quod Latini Patres *quaſi* dixere, *quodammodo, ſuo modo, & ſecundum quendam modum.* Theophylactus in Iohannem cap. VI. ὥσπερ οὖν ἐγὼ φησὶν, ἐγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα, τουτέστιν ὡς γεννηθεὶς ἐκ τοῦ πατρὸς ὅς ἐστι ζωή, οὕτω καὶ ὁ τρώγων με ζήσεται δι' ἐμὲ ἀνακιρνάμενος ὥσπερ καὶ μεταστοιχειούμενος εἰς ἐμὲ ζωογονεῖν ἰσχύοντα. *Ita qui me manducaverit, per me vivet, quaſi admixtus & tranſmutatus in me qui poſſum vivificare.* Sic Ammonius in eundem Iohannis locum myſticam illam participationem naturalem quandam quodammodo conjunctionem efficere dicit, non ut Hilarius abſolute loquitur, naturalem. Ὥσπερ, inquit, αἱ αἰσθηταὶ τροφαὶ ἡμῖν ἀνακιρνάμεναι συνιστῶσι τὸ σῶμα, οὕτω καὶ μυστικὴ μετάληψις ὥσπερ τινὰ φυσικὴν συνάφειαν ποιεῖ τὸν Χριστὸν μετὰ τοῦ πιστοῦ ἀνακιρνῶσα. *Quemadmodum cibi cõmunes contemperati nobis corpus conſtituunt, ita myſteriorum participatio quodammodo conjunctionem quandam naturalem efficit, Chriſtum cum fideli commiſcendo.* Hilarius eam συνάφειαν ſimpliciter vult

eſſe φυσικὴν, quam alii ὥσπερ φυσικὴν ἕνωσιν eſſe ajunt. Et ſane quod negat Hilarius eam conjunctionem eſſe voluntatis, quia per naturæ veritatem, & naturaliter Chriſtum in nobis manere, & nos unum cum illo eſſe aſſerit, uſque ad ſocietatem germaniſſimam unitatem iſtam pervenire aliis Patrum placuit, non uſque ad conſubſtantialitatem, ut Auctor libelli de Cœna Domini, his verbis: *Ita ſacramento viſibili ineffabiliter ſe divina infudit eſſentia, ut eſſet religionis circa ſacramenta devotio, & ad veritatem, cujus eſus & potus ſacramenta ſunt, ſincerior pateret acceſſus, uſque ad participationem ſpiritus, non quod uſque ad conſubſtantialitatem Chriſti, ſed uſque ad ſocietatem germaniſſimam ejus hæc unitas perveniſſet.* Cum uſque ad participationem tantum ſpiritus hæc unitas ei Chriſti & fidelium procedat, non eo uſque ut conſubſtantiales fiant, non proprie naturalis ei dici debet hæc συνάφεια, ſed quodammodo naturalis. Nihilominus tamen veram eſſe quamvis non proprie fiat κατὰ φύσιν ipſe auctor ſignificat, qui nos veritate conformari Chriſto per hunc panem ſacramentalem docet his verbis: *Panis itaque hic azymus cibus verus & ſincerus, nos tactu ſanctificat, fide illuminat, veritate Chriſto conformat.* Cyprianus & alii quidam Patres illam unitatem, quæ nobis cum Chriſto intercedit ejuſdem generis eſſe volunt, ut illa eſt, qua vinum cum aqua mixtum conjungitur, quam

ἕνω-

ἕνωσιν συγχυτικὴν Græci appellāt. Hæc eſt ἀνάκρασις, quam vocant Græci Patres, & qualem dicunt carnis Chriſti cum noſtra fieri per ſacramentorum corporis ejus ac ſanguinis, participationem. Cyrillus Alexandrinus etiam σωματικὴν eſſe vult non ſolum ſpiritalem, quamvis & ſpiritalem velit quoque. Ita ϑελκτὴ potius foret quam χειλκτὴ, utpote carnis ad carnem, ſic ut auri ad aurum copulatio, quam ϑελκτικὴν Græci appellant. Sed non poteſt proprie hujus modi aut generis eſſe cum Spiritu perficiente & uniente fiat, non corporali, naturali & ſubſtantiali commixtione, ut cum panis idem fit cum noſtro corpore κατ' ἀνάδοσιν & ἀνάκρισιν. Idem Auctor libri de Cœna *ſocietatis germaniſſimæ* eſſe eam unitatem dixit, id eſt, concordiæ unitiſſimæ & voluntatis conjunctiſſimæ. Similiter cum velit idem Hilarius, fideles, qui unitatem inter ſe in Chriſto per unam eorundem ſacramentorum participationem conſtituunt, non per voluntatis convenientiam & unanimitatis conſenſum eam effici ſtatuit, quia regenerati omnes ſint in unius vitæ atque æternitatis naturam, alii tamen Orthodoxi Patres, & inter eos Dionyſius, fideles omnes non per συνάφειαν φυσικὴν unum eſſe docet, ſed per ὁμοτροφίαν, id eſt, conſenſum morum & voluntatis, qualis eſſe ſolet ἐν τοῖς ὁμοτρόφοις, id eſt, qui una educantur. Cyprianus in Epiſtola ad Magnum ait, *Vnanimitatem Chriſtianam firma ſibi atque inſeparabili*

Chriſtianos qui eodē alimento divino per ſacramenta nutriuntur, ὁμοτρόπους eſſe decet omnes, ut ὁμοτρόφους. Enimvero quicquid argute diſputet Hilarius, non poterit efficere ut unitas credentium quorum anima una & cor unum fuiſſe dicitur in Actis, & nunc etiam eſſe debet, ejuſdem ſit modi ac generis cum unitate ſingulorum in Chriſto fidelium, multo minus ut hæc fidelium cum Chriſto conjunctio eadem ſit cum illa qua ſe & patrem unum eſſe dixit. Vt ſint omnes naturales hæ unitates, quod nego, infra pluribus dicam quomodo differant. Filius enim conſubſtantialis eſt vere Patri, ut ab illo genitus, ſed fideles per Chriſtum regenerati non ſunt in illo neque ille in illis, ut ſint ei conſubſtantiales. Naturam quidem humanam Chriſtus aſſumpſit, ac noſtræ naturæ conſors factus eſt, & nos per ſacramentorum corporis & ſanguinis ejus communionem participes ſimus divinæ naturæ, θείας φύσεως κοινωνοί. Hæc quidē communio qua ſacramētorum beneficio per carnis ejus & ſanguinis participationem ei unimur, ut συνάφειαν fidelium cum Chriſto majorem facit quam ea eſt quæ voluntatis & animorum conjunctionis eſſe dicitur, non tamen abſolute naturalis eſt dicenda, ſed ut recte Patres Græci dixere, ὥσπερ φυσική τις ἐστὶ συνάφεια. Vt enim non naturaliter nec ſubſtantialiter nec corporaliter per ſacramenta nobis communicatur vera Chriſti caro, nec vere & ſubſtantialiter carni

noſtræ admiſcetur, ſed ſecundum quendam modum & uſque ad participationem tantum Spiritus, non uſque ad ſubſtantiarum unitatem, ea re non proprie naturalis eſt ea unitas, ſed quaſi naturalis, ut illa ἀνάκρασις carnis ejus cum corpore noſtro, ὥσπερ ἀνάκρασις & μεταστοιχείωσις à Patribus vocatur, non ſimpliciter nec abſolute. Chryſoſtomus ex Cathena in Iohannem non ſolum κατὰ τὴν ἀγάπην eam conjunctionem quam cum Chriſto habemus ſinguli fideles, & inter ipſos invicem omnes, procedere ait, ſed etiam reipſa, non tamen φυσικὴν eam eſſe dicit: ἓν σῶμα ἐσμὲν καὶ μέλη ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ τῶν μελῶν αὐτοῦ· οἱ δὲ μεμυημένοι παρακολουθήσουσι τοῖς λεγομένοις· ἵνα οὖν μὴ μόνον κατὰ τὴν ἀγάπην τοῦτο γενώμεθα, ἀλλὰ καὶ αὐτὸ τὸ πρᾶγμα εἰς ἐκείνην ἀνακερασθῶμεν τὴν σάρκα διὰ τῆς τροφῆς τοῦτο γίνεται ἧς ἐχαρίσατο, βουλόμενος ἡμῖν δεῖξαι τὸν πόθον ὃν ἔχει πρὸς ἡμᾶς. Calore diſputationis provectus Hilarius adverſus eos Hæreticos, qui quod Chriſtus dixerat, Ego & Pater unum ſumus, non de unitate naturæ id interpretabantur; ſed de unitate voluntatis, eo uſque proceſſit ut unitatem fidelium in Chriſto etiam naturalem eſſe affirmaret quo ſic magis evinceret, unitatem Patris & Filii naturæ cenſeri debere, non animorum conjunctionis. Sed quamvis ita ſtatuerit, non tamen ex eo colligi poteſt doctrinæ Pontificiorum ſuffragari de Tranſſubſtantiatione, cum tot locis repetat, *ſub ſacramento*, *ſub myſterio*, & *per ſacramenta* nobis communicari carnem Chriſti. Sed & cum

ſcribit

Digitized by Google

ſcribit nos vere verbum carnem cibo Dominico ſumere, nihil minus quam Tranſſubſtantiatum in corpus Chriſti eum cibum à fidelibus ſumi ſenſit. Verbum caro non poteſt & ore accipi & dentibus teri. Panis non poteſt Tranſſubſtantiari in Verbum carnem. Nam & ipſi fatentur eorum Doctores non fieri converſionem in Deitatem. Quod igitur ajunt Patres Verbum carnem à fidelibus ſumi, ſacramentalite rtantum & ſpiritaliter id intelligunt, non corporaliter, nec per converſionem panis in ſubſtantiam verbi Dei. Severus in VI. in Iohan. Καὶ τοίγε οὐ τὸν λόγον ἐσθίομεν καθὸ λόγος ἐστί, πῶς γὰρ ἀναφὲς καὶ ἀσώματον, καὶ οὔτε ὀφθαλμοῖς οὔτε ὀδοῦσιν ἁλώσιμον, ἀλλ' ἐπειδὴ πρὸς τὴν σάρκα τὴν ἄκραν ἕνωσιν ἥνωται, ζωοποιὸς ὑπάρχει καὶ αὐτή, εἰ καὶ μεμένηκεν ὥσπερ ἐστί, καὶ οὐκ εἰς τὴν αὐτοῦ τοῦ λόγου μετακεχώρηκεν φύσιν, ὅθεν τὸν λόγον ἐσθίομεν τὴν ζωοποιὸν τοῦ λόγου σάρκα ἐσθίοντες. *Et tamen non ipſum Verbum quatenus eſt Verbum manducamus. Quomodo enim quod & tangi nequeat, & corpus non ſit, & nec oculis nec dentibus uſurpari poſſit; ſed quoniam unitate cum carne intima fuit conjunctum, vivifica inde quoque caro extitit, quamvis id quod erat permanſerit, nec tranſierit in naturam Verbi. Vnde & Verbum manducamus dum vivifica Verbi carne veſcimur.* Improprie ergo in ſacramentis participandis Verbo carne veſci dicimur, cum carne tantum per Verbum facta vivificante veſcamur. Sed nec ipſam carnem proprie ſumimus quæ in pane ſanctificato ſub ſacramento nobis communicatur. Vt enim in myſterio incarnationis

lice, etiam benedicto, etiam tradito. Neque hic licet dicere quod argutantur panem vocari ideo quia panis fuerit. Nam pane fracto & calice accepto Paſcha confectum diſerte dicit. Victor quoque qui ἀνάκρασιν noſtræ carnis cum carne Chriſti per ſacramenta agnoſcit, nullam admittit ipſius panis in corpus Chriſti μετουσίωσιν, ſed tantum ait Chriſtum pani & vino immittere vitæ virtutem, & ea μεθιστάναι πρὸς ἐνέργειαν τῆς ἰδίας σαρκός, ἵνα εἰς μέθεξιν ζωοποιὸν ἔχωμεν αὐτά. *Convertere ad efficaciam ipſius carnis, ut in communicationem ſive participationem vivificam panem & vinum haberemus.* Hæc μέθεξις ζωοποιός, participatio eſt Spiritus Sancti, ut vocatur auctori de Cœna. Cyrillus commentario in Iohannem libro decimo appellat τοῦ ἁγίου πνεύματος κοινωνίαν τε καὶ μετουσίαν, qua illam unitatem cum Chriſto conſequimur. Si panis autem ſubſtantia in corporis Chriſti ſubſtantiam revera & carnaliter verteretur, ipſa etiam ἀνάκρασις & commixtio carnis ejus cum noſtra fieret naturalis & ſubſtantialis, φυσικὴ καὶ οὐσιώδης. & ſic conſubſtantiales ipſi Chriſto exiſteremus. Quod nemo niſi abſurdiſſime & falſiſſime dixerit. Paulus κοινωνίαν ſimpliciter dixit in Epiſtola priore ad Corinthios cap. x. panem qui frangitur κοινωνίαν eſſe corporis Chriſti. At multum differt κοινωνία à naturali conjunctione quæ φυσικὴ συνάφεια dicitur Græcis. Veteres quidem dixere nos συσσώμους & συναίμους Chriſto fieri

fieri concorpores & conſanguines per participationem corporis & ſanguinis ejus, quę videntur adſtruere συνάφειαν illam φυσικὴν. Verum non σωματικῶς eam procedere, ſed πνευματικῶς iidem affirmarunt, uſque ad participationem Spiritus, non uſq; ad naturalem ſubſtantiarum contemperationem. Nam ut ait Auctor de Cœna, *Solus Filius Patri conſubſtantialis eſt, nec diviſibilis nec partibilis ſubſtantia Trinitatis. Noſtra vero & ipſius commixtio, nec miſcet perſonas, nec unit ſubſtantias, ſed affectum conſociat, & confœderat voluntates.* Οὐσιώδη vero τὸν ἑνότητα [illegible] ἢ τρόπον eum vocant Græci quo Chriſtus & Pater unum ſunt. Idem Auctor de Cœna: *Panis iſte communis in carnem & ſanguinem mutatus procurat vitam & incrementum corporibus, ideoque ex conſueto rerum effectu fidei noſtræ adjuta infirmitas ſenſibili argumento edocta eſt viſibilibus ſacramentis ineſſe vitæ æternæ effectum; & non tam corporali quam ſpirituali tranſitione Chriſto nos uniri.* Mutationem illam panis communis in carnem & ſanguinem Chriſti ſpiritalem eſſe plane agnoſcit, & proinde ex eorum participatione non tam corporali quam ſpiritali tranſitione Chriſto nos uniri. Nam *cum viſibilibus ſacramentis ineſſe effectum vitæ æternæ* dicit, viſibilia ſacramenta non mutari realiter ac ſubſtantialiter in corpus & ſanguinem Chriſti ſignificat, ſed vim tantum & efficaciam earum rerum habere quarum ſigna ſunt, & proinde effectum iis vitæ æternæ ineſſe.

Quomo-

Quomodo iſta fidelium cum Chriſto fiat ἕνωσις etiam diſerte docet Cyrillus lib. XI. cap. XI. in Iohannem, his verbis: ἕνωσις δὲ ἡ πρὸς θεὸν οὐχ ἑτέρως ἂν ὑπάρξαι τισὶν, ἢ διὰ τῆς μετουσίας τοῦ ἁγίου πνεύματος, τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐνθέντος ἡμῖν τοῦ ἁγιασμοῦ, καὶ εἰς τὴν ἰδίαν ἀναπλάττοντος ζωὴν τὴν ὑποπεσοῦσαν τῇ φθορᾷ φύσιν· οὕτω δὲ πρὸς τὸν θεὸν, καὶ πρὸς τὴν ἐκείνου μόρφωσιν ἐπανάγοντος τὸ τῆς ἐπὶ τούτῳ δόξης ἐστερημένον. Idem lib. eodem cap. eodem paulo poſt diſtinguit unitatem quæ nobis eſt cum Chriſto ab ea quæ Chriſto intercedit cum Patre. Hanc enim φυσικὴν νοεῖσθαι dicit, & ἀληθῆ καὶ ἐν τῷ τῆς ὑπάρξεως λόγῳ θεωρουμένην, naturalem intelligi & veram, & ratione hypoſtatica conſideratam, illam vero τὸ τῆς ἀληθοῦς ἑνότητος ὑπεικονίζεσθαι σχῆμα, veræ unitatis formam imitari. In fine tamen tractatus probare conatur nos etiam poſtquam fidem recepimus, unum inter nos & cum Deo effici σωματικῶς & πνευματικῶς, *corporaliter & ſpiritaliter*. Quod ex eo inſtituit dicere ut repercuteret eos qui argumentabantur Chriſto cum Patre unitatem non eſſe naturalem quia noſtra cum Chriſto non eſſet talis, Chriſtus autem dixiſſet, *ut omnes unum ſint, tu Pater in me & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint.* Idem tamen Cyrillus ad Caloſyrium ſcripſit Chriſtum quodammodo noſtris uniri corporibus per ſacram ejus carnem & pretioſum ſanguinem, hoc eſt, τρόπον ἕνα. Hoc eſt quod dixit Victor eum συνανακιρνᾶσθαι ὥσπερ τοῖς ἡμετέροις σώμασι. Sane modus ille quo Verbum ſemel ipſum conjunxit

cum

locis ſe credere aperte oſtendit. Inter alia ille eſt celebris & à multis jactatus, qui habetur lib. IV. adverſus Hæreſes, cap. XXXIV. *Quemadmodum enim qui eſt à terra panis percipiens invocationem Dei jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrena ac cœleſti.* Ecce panis qui à terra, poſt invocationem Dei, qua ſanctificatur, vel ut loquuntur, conſecratur, non deſinit eſſe panis, ſed tantum communis panis. *Iam non*, inquit, *panis communis eſt.* Ergo panis eſt ſed non communis, ſed ſanctificatus, ſed ſacratus. *Non communis panis eſt, ſed Euchariſtia.* Atqui *Euchariſtia* etiam appellatur panis ab Apoſtolo & Patribus, non quod panis fuit, ſed quia panis eſt benedictus, nec quod benedictus ſit in ſacramentum corporis, propterea panis eſſe deſinit. Origenes lib. VIII. contra Celſum: ἐστὶ δὲ καὶ σύμβολον ἡμῖν τῆς πρὸς τὸν θεὸν εὐχαριστίας, ἄρτος εὐχαριστία καλούμενος. *Eſt & nobis ſymbolum actionis gratiarum apud Deum, panis qui Euchariſtia appellatur.* Panis eſt ſubjectum, Euchariſtia prædicatum. Non tamen ſimplex panis eſt, ſed benedictus gratiarum actione, qui & εὐχαριστηθεὶς ἄρτος vocatur, & εὐχαριστηθεῖσα τροφή, ut apud Iuſtinū. Panem Euchariſtiæ ἄρτον εὐχαριστίας, & panem benedictionis alii dicunt. Panis ille jam non communis, ſed benedictione ſacratus, & Euchariſtiæ nomine nuncupatus, ſecundum Irenæum *ex duabus rebus conſtat, terrena & cœleſti.* Iam lubet interro-

terro-

terrogare Pontificios an de ſua Euchariſtia idem poſſent dicere, duabus eam rebus conſtare terrena,& cæleſti? Irenæo terrena res Euchariſtiæ panis eſt verus, ſubſtantiam ſuam & proprietatem naturæ retinens. Si credidiſſet Irenæus panis ſubſtantiam in Euchariſtia prorſum ad purum nihil, ut loquuntur Doctores Pontificii, eſſe redactam, an potuiſſet ex vero dicere eam ex duplici re conſtare? An pro re numerandum eſt, quod non eſt amplius? Res quæ nulla eſt, quæ jam nihil, non veniet in partitionem corporis vel ſubſtantiæ, cum cæteris partibus ejus eſſentialibus, vel etiam integrantibus. Quis colorem vel ſaporem partes eſſe dixerit panis? Quis panem ex colore & ſapore conſtare? Ex frumento & aqua conſtat. Hominis corpus dividitur in partes ſimilares & diſſimilares. An inter has aut illas partes numerum facit color extimæ cutis? Nequaquam. Ita ſecundum doctrinam Pontificiorum Euchariſtia non poteſt conſtare videri ex terrena & cœleſti, cum terrena ipſis nulla ſit, quæ per ſe ſubſiſtat, cum in ſolis accidentibus conſiſtat. Cum autem accidentia plura ſint ejus ſubſtantiæ, quam prorſum volunt aboleri & abjici in Euchariſtia poſt conſecrationem, ſic prorſum dividi deberet, Euchariſtiam conſtare ex ſapore & colore panis, & ex corpore ipſo Chriſti: ex ſanguine Chriſti, & ex guſtu, & colore vini. Quæro ab illis an ſapor & color, ſine ſubſtantia

ſtantia poſſit *rei terrenæ* appellatione cenſeri, & in partis locum venire integrantis vel eſſentialis, cum ipſa re divina. Duæ res ſunt quæ Euchariſtiam componunt, terreſtris & cœleſtis. An terreſtrem ſine ſubſtãtia ſua eſſe dicent, aut prorſus, ut loquuntur, annihilatã, at cœleſtem in ſua ſubſtantia ibi ſolam contineri? Ergo ex una tantum re conſtare neceſſe eſt illis Euchariſtiam, ex ſola re nimirum cœleſti, quandoquidem terreſtris in eam tota tranſiit, ubi deſiit eſſe *ſecundum ſe & quodlibet ſui*. Quibus verbis ſignificant non ſolum ſubſtantiam ejus ac formam perire, ſed etiam materiam ipſam panis. Quod non fit in iis quæ per corruptionem alterius generantur. Nam in his manet materia communis generati & corrupti. Alio loco idem Irenæus etiam teſtatus eſt ſe quid eſſet Tranſſubſtantiatio in pane Euchariſtiæ & calice neſciſſe. Sic enim ſcribit lib. v. *Quando mixtus calix & fractus panis percepit verbum Dei fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia.* Hæc ipſa eſt Euchariſtia ſanguinis & corporis, quam lib. IV. dixerat ex duabus rebus conſtare, terrena & cœleſti. Quod & hic plane ſignificat cum dicit ex pane fracto & mixto calice in Euchariſtiam ſanguinis & corporis per invocationem Verbi Dei mutatis augeri & conſiſtere ſubſtantiam corporis noſtri, αὔξεται καὶ συνίσταται. Quod ſola præſtare res terrena Euchariſtiæ

 poteſt,

poteſt, id eſt, panis & calix. Non enim res cœleſtis quæ ſola mente intelligitur, abire poteſt in σύστασιν & incrementum corporis noſtri. Nec id diffitebuntur adverſarii. Hæc eadem & Iuſtini ſententia, ſcribentis ex ea eſca quam *εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν* vocavit, & *εὐχαριστηθέντα ἄρτον καὶ οἶνον*, & *εὐχαριστίαν*, *αἷμα καὶ σάρκα κατὰ μεταβολὴν τρέφεσθαι ἡμῶν*, *ſanguinem & carnem noſtram per mutationem nutriri*. Vt autem Irenæus Euchariſtiam ex duabus rebus conſtare ſcripſit, terreſtri & cœleſti, ita alii Patres ſimiliter ex totidem partibus eam compoſitam dixerunt, ex viſibili & inviſibili, vel quod idem eſt, ex ſacramento & re ſacramenti. Auguſtinus in libro ſententiarum Proſperi apud Gratianum: ***Hoc eſt quod dicimus, hoc modis omnibus adprobare contendimus, ſacrificium ſcilicet Eccleſiæ duobus confici, duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini noſtri Ieſu carne & ſanguine, ſacramento & re ſacramenti, id eſt, corpore Chriſti, ſicut Chriſti perſona conſtat & conficitur Deo & homine cum ipſe ſit Chriſtus verus Deus & verus homo.*** Omnes Patres hac ſimilitudine & comparatione uſi ſunt principalis myſterii per quod Verbũ caro factum eſt, & ejus quod ad illud eſt, ut ἀντίτυπον vel ἰσότυπον ad ἀρχέτυπον, quo panis corpus Dei fit, & vinum ſanguis. Vt enim ſine confuſione Verbi & carnis, humanitatis & divinitatis, & ſine alterius ſubſtantiæ in alteram converſione Chriſtus verus eſt Deus & verus homo, ita ſine ullæ

ulla Tranſſubſtantiatione in myſterio Euchariſtiæ qua imago & ſimilitudo incarnationis & paſſionis celebratur, Euchariſtia verus eſt panis & verum corpus Chriſti, non convertibiliter, permanente nimirum ſubſtantia panis in ſua proprietate, nec mutata in corpus Chriſti cujus ſignum eſt ac ſymbolum. *Conficitur autem*, addit idem Auguſtinus, *ſacrificium Eccleſiæ ſacramento & re ſacramenti, id eſt, corpore Chriſti. Eſt igitur ſacramentum & res ſacramenti, id eſt, corpus Chriſti.* Ratio ibi in præcedentibus poſita eſt, quia omnis res illarum *rerum naturam & veritatem in ſe continet, ex quibus conficitur.* Duæ ſunt igitur partes ex quibus conficitur & conſtat Euchariſtia, ſive ſacrificium Eccleſiæ, ut vocat Auguſtinus, *ſacramentum & res ſacramenti.* Quod ſacramentum eſt Auguſtino, Irenæo eſt res terrena. Quod huic res cœleſtis, illi eſt res ſacramenti, ſive corpus Chriſti. Sacramentum idem Auguſtinus ibidem aliter appellat *viſibilem elementorum ſpeciem*, rem autem ſacramenti alio modo nuncupat eo loco, inviſibilem Domini noſtri Ieſu carnem & ſanguinem. *Sacramentum* ipſum eſſe viſibilem Euchariſtiæ partem inter omnes conſtat. Hinc *viſibile ſacramentum* appellant Auguſtinus & alii. Auctor libelli de Cœna: *Et ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur & latebat divinitas, ita ſacramento viſibili ineffabiliter divina ſe infundit eſſentia.* Divina ergo eſſentia res eſt cœleſtis & inviſibilis

L 2 Eucha-

Euchariſtiæ, *ſacramentum* vero res viſibilis & terreſtris. Idem auctor ſub finem: *Hæc quoties agimus non dentes ad mordendum acuimus, ſed fide ſyncera panem ſanctum frangimus & partimur, dum quod divinum & humanum eſt diſtinguimus & ſeparamus, itemque ſimul ſeparata jungentes, unum Deum & hominem fatemur.* Eadem eſt ſimilitudo & comparatio qua uſos alios Patres ſæpe docuimus ex archetypo myſterio incarnationis ad ἀντίτυπον Euchariſtiæ. Vt in eo igitur nullam converſionem ſubſtantiarum admiſerunt, ita nec in iſto agnoverunt. Quod humanum eſt in Euchariſtia, ſpecies eſt elementorum viſibilis, ſive ſacramentum viſibile, quod divinum & inviſibile, res ſacramenti, ſive corpus Chriſti. Idque in iis quæ protinus ſubjiciuntur, ſic diſerte explicavit, *Sed & nos ipſi corpus ejus effecti, ſacramento & re ſacramenti, capiti noſtro connectimur & unimur.* Rem ſacramenti Chriſtum ipſum eſſe docet cui nos connectimur & unimur. Auguſtinus Tractatu XXVI. in Iohannem, *viſibilem cibum* cum dixiſſet nos accipere, ſtatim id interpretatus eſt de ſacramento his verbis: *Nam & nos hodie accipimus viſibilem cibum, ſed aliud eſt ſacramentum, aliud virtus ſacramenti.* Quaſi diceret, ſed aliud eſt viſibilis cibus, aliud inviſibilis. Nam inviſibilis eſt res ſacramenti, ſacramentum viſibilis cibus. Quod non poteſt eſſe cibus niſi ſubſtantia ſit. Non enim alimur ſolo odore, vel ſapore, vel colore rerum edulium,

ſed eorum ſubſtantia. Si ſacramentum eſt cibus viſibilis, non intra ſola accidentia ſpecies conſiſtit alibilis, ſed in ipſa panis ſubſtantia & naturę ejus proprietate ad alendum idonea. Sic ſacramentum Euchariſtiæ non habent Pontificii quia id quo fit ſacramentum, & quo continetur non habent. Materia ſacramenti panis eſt. At panis eſt illis nullus, utpote in nihilum redactus. Cum autem ſacramentum non habeant nec rem ſacramenti ſe habere poſſunt dicere. Vt enim ſignum non eſt ſine re, ita nec res ſine ſigno vel ſacramento, ſaltem nobis mortalibus qui rem ipſam percipere in hac vita non poſſumus niſi perceptione ſacramenti. Carnaliter quippe & viſibiliter, ut ait idem Auguſtinus in eodem Tractatu, *dentibus premitur ſacramentum corporis & ſanguinis*, inviſibiliter autem ſumimus id quod inviſibile eſt ac divinum. Hæc res ſacramenti *& virtus ſacramenti*, ſicut ipſe pluribus locis appellat, ut & alii Patres. Hæc etiam *veritas* ſacramenti dicitur, & *ſpiritus* & *gratia*, nempe ſpiritalis, & *corpus Chriſti*, ſpiritale ſcilicet. Cyprianus de unctione Chriſmatis: *ſed virtus divina potentius operatur, ſed adeſt veritas ſigno & ſpiritus ſacramento, ut & ipſis rerum efficientiis gratiæ dignitas pateat.* Veritas conſtat ſigno & res ſacramento per Spiritum. Ipſa etiam virtus ſacramenti & gratia per eundem ſpiritum. Hic *Spiritus gratiæ* vocatur Paulo in Epiſt. ad Hebræos cap. x. ubi Spiritum gratiæ ab iis

injuria ſcribit affici qui profanum æſtimaverunt teſtamentum ſanguinis Chriſti. Item Clementi ſic vocatur in Epiſtola ad Corinthios, οὐχὶ ἕνα θεὸν ἔχομεν καὶ ἕνα Χριστὸν, καὶ ἓν πνεῦμα τῆς χάριτος τὸ ἐκχυθὲν ἐφ' ἡμᾶς. Vbi Spiritum Sanctum ita vocari palam eſt. Hinc & *Gratia* abſolute vocatur ipſa Euchariſtia, ut jam notatum viris doctiſſimis, hoc eſt, ipſum viſibile ſacramentum. Certum eſt ita accipi, cum dicit Auguſtinus, *ipſa gratia partes vocantur*. Vbi partes ſunt μερίδες vel buccellæ quæ accipiebantur de menſa ſacra à communicantibus. Alias pro ipſa virtute & re ſacramenti, hoc eſt, pro ipſo corpore Chriſti, vel ſpiritu. Nam & rem ſacramenti ipſe Auguſtinus ita interpretatur, id eſt, corpus Chriſti, in ſententiis Proſperi. Hic eſt etiam Spiritus Chriſti. Cum enim Chriſtus ipſe profeſſus ſit apud Iohannem, verba quæ dixiſſet de carnis ſuæ neceſſaria ſalvari cupientibus manducatione, idque durum videretur audientibus, poſtea id interpretatione mollivit & addidit, *Spiritum* eſſe & vitam quæ ipſis loquutus eſſet. Ad quæ verba notavit Cyrillus in Cathena, Chriſtum ſemetipſum πνεῦμα appellare, Πνεῦμα δὲ φησὶν ἑαυτὸν, πνεῦμα γὰρ ὁ Θεὸς, καὶ κατὰ τὸν μακάριον Παῦλον ὁ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐστι. Paulus ipſe in Epiſtola ad Romanos cap. VIII. verſ. IX. ait, *Si quis Spiritum Chriſti non habet, nec hunc eſſe ejus.* Quo loco de Chriſto per Spiritum Sanctum nobis communicato qui intelligunt

gunt Spiritum Chriſti, non aberrant à vero. Manducandam ſuam carnem præcepit & bibendum ſuum ſanguinem in Iohannis Euangelio, & *Spiritum* ea verba eſſe dixit, id eſt, ut exponit Ammonius, πνευματικά ἐστιν, οὐκ ἔχοντα φυσικὴν καὶ ἀκολουθίαν, ἀλλ' ἔξω ἐστὶ τοιαύτης ἀνάγκης. Spiritalia ſunt, id eſt, ſpiritaliter intelligenda. Non igitur aliter accipiendũ quod dixit itidem Chriſtus apud reliquos Euangeliſtas cum corpus ſuum manducandum in pane tradidit, & ſanguinem in poculo bibendum. Hæc enim illius verba, *accipite, manducate, hoc eſt corpus meum*, eodem ſenſu ab eo dicta debent accipi, quo apud Iohannem carnis ſuæ manducationem & ſanguinis potum commendavit. Nam & Auguſtinus libro III. de conſenſu Euangeliſtarum ſcribit Iohannem nullã facere mentionem corporis & ſanguinis Chriſti eo loco ubi cæteri Euangeliſtæ narrant ſacramenti inſtitutionem, ſed alibi, nẽpe cap. VI. Ex quibus conſtat de eadem manducatione corporis & ſanguinis potu quæ apud Iohannem dixit Chriſtus, & quæ apud reliquos Euangeliſtas, eundẽ ſenſum habere ex interpretatione ipſa Chriſti, & utriq; manducationi corporis & carnis eſſe accommodanda. Hoc eſt corpus meum quod do vobis in pane comedendum. Caro mea vere eſt cibus. Hæc verba Spiritus ſunt & vita, id eſt, ſpiritaliter intelligenda. Hinc Spiritum deſcendere ad invocationem Dei ſuper panem &

calicem dicebant. Alii Dominum ipſum, ut Hieronymus in Sophoniam de Sacerdotibus, *qui ad Euchariſtiam Domini precantur adventum.* Alii Chriſtum ipſum de cœlo deſcendere, nempe per Spiritum ſuum. Gratiam etiam deſcendere quidam dixere, quia Spiritus ille gratiæ, & gratia ab eo ſpiritalis. Apud Nicetam Choniatem libro III. Ἐνέργεια τῶν μυστηρίων dicitur πληρωθεῖσαν τὸ ἐξ ἱερῶν χειλέων. Gratia igitur, Spiritus, corpus Chriſti ſpiritale, Chriſtus ipſe Dominus, ſacramentis ineſſe cenſentur eodẽ ſenſu, hoc eſt, ſpiritaliter, & per ἁγίου πνεύματος παρουσίαν. Ammonius verba illa quę dixit Chriſtus de carnis ſuæ manducatione, πνεῦμά ἐστι interpretatur, πνεῦμα αὐτὴν καλεῖ τὴν σάρκα πεπληρωμένην τῆς τοῦ πνεύματος ἐνεργείας, μένει γὰρ ἡ σάρξ σάρξ. *Spiritum vocat carnem repletam efficientia Spiritus. Manet enim caro caro.* Nempe in myſterio principali incarnationis. Sic in ipſo ſacramento corporis & ſanguinis, panis panis permanet, ſed cum eo virtus ſacramenti, res ſacramenti, exhibetur, ipſe nempe Spiritus, ipſum denique corpus Chriſti πεπληρωμένον τῆς τοῦ πνεύματος ἐνεργείας. Ut igitur ex re duplici conſtat Euchariſtia ex re corporali & ſpiritali, ex pane & ſpiritu, ex ſacramento & re ſacramenti, ita dupliciter etiam accipitur, ſacramentaliter & ſpiritaliter. Sacramentaliter accipiuntur ſpecies, ſive terreſtris materia ſacramenti. Spiritaliter ipſum corpus Chriſti efficacia ſpiritus repletum. Nec ſane aliter

hoc

hoc ſumi poteſt, nec etiam opus eſt, cũ corpori morituro res nõ peritura minime debeat infundi.. Effectus ſacramenti qui in participatione corporis & ſanguinis Dominici cõſtat, & ex vera συν[illegible] carnis Chriſti cum noſtra, & unitate certiſſima quam in ipſo ad ſalutem animæ & æternæ vitæ fruitionem habere debemus, poſt reſurrectionem in ipſa glorificatione corporum noſtrorum locum habebit. Hoc eſt quod dixit Chriſtus cum explicaret quo ſenſu carnem ſuam comedendam fidelibus præciperet, carnem nihil prodeſſe. Quid enim nunc nos juvaret carnem ipſam Chriſti ex pane myſtico & ſacramentali ſubſtantialiter converſam in ventrem noſtrúm demittere, ut corpori noſtro per ἀνάδοσιν & σύνδοσιν ac σύστασιν conciliaretur ad ejus ſubſtantiam augendam? Res incorruptibilis in corruptibilem tranſiret ſubſtantiam, & ipſa quoque pariter corruptibilis evaderet. Nec enim aliter poteſt. Quid enim fieret illi Chriſto quem quotidie ſumeremus, ſi ſingulis diebus, ut fecere veteres, communicaremus? Nullo certe cum effectu in corpus noſtrum tranſiret quod à morte nos non poſſet prohibere. Nam, ut ait Auguſtinus, *quam multi de altari accipiunt & moriuntur, & accipiendo moriuntur?* Quod tamen de æterna morte intelligendum eſt. Si enim de hujus vitæ exceſſu caperentur, non multi moriuntur tantum accepto ſacramento, ſed omnes, tametſi totis vitæ ſuæ die-

 bus

bus nullo excepto communicaverint corpori & ſanguini Chriſti ſub panis & vini ſpeciebus. Non igitur carnis vivificæ virtus ſpectanda eſt in hoc corpore morti & corruptioni obnoxio, in quo vim ſuam perderet, tametſi ſubſtantialiter converſa poſſet dentibus teri, & in alimentum noſtræ carnis mutari. Cum corpore quippe pereunte & diffluente poſt mortem & ipſa diffluerct ac dilaberetur tota, & in nihilum vel in cinerem cum ipſo redigeretur. Quinimmo & vivente adhuc ipſo, ſi morbis deminueretur & tabeſceret, idem ex ea tabe detrimentum ſentiret. Fruſtra igitur panis ſacramentalis, & vinum ſacramẽtale in verum Chriſti corpus & verum ejuſdem ſanguinem converterentur, tametſi eam converſionem recipere poſſent, quia cum maximo pretioſi corporis & ſanguinis ejus dedecore id fieret quæ ſine effectu acciperentur, & corruptibilia ex incorruptibilibus neceſſario cum corpore ipſo cui admiſcentur, exiſterent. Cujus rei ſacramentum eſt Euchariſtia? An non unitatis corporis & ſanguinis Chriſti? Certe ita cenſent omnes Patres. At perfecta illa unitas non poteſt fidelibus contingere, qua in Chriſto ſunt & Chriſtum in ſe habent, niſi poſt reſurrectionem, & glorificatis jam corporibus. Vitam ęternam promiſit Chriſtus carnem ſuam manducantibus & ſanguinem bibentibus, nempe reſuſcitatis ex morte. Sic enim Auguſtinus

Tractatu

Tractatu XXVI. in Iohannem: *Ne autem putarent ſic in iſto cibo & potu promitti vitam æternam, ut qui eum ſumerent jam nec corpore morerentur, huic cogitationi dignatus eſt occurrere. Nam cum dixiſſet, qui manducat carnem meam & bibit meum ſanguinem habebit vitam æternam, continuo ſubjecit, & ego reſuſcitabo eum noviſſimo die.* Chryſoſtomus in Iohannem ad eundem locum ſimiliter dixit, διὸ καὶ τὴν ἀνάστασιν προστέθηκεν, ἐπειδὴ ζωὴν αἰώνιον ἐπήγγελται, δεικνὺς ὅτι οὐ νῦν ἐστὶν αὐτὴ, ἀλλὰ μετὰ τὴν ἀνάστασιν. *Quapropter, & reſurrectionem addidit, cum vitam æternam repromiſit, oſtendens, quod non nunc ea eſt, ſed poſt reſurrectionem.* Reſurrectio ad corpus proprie pertinet, ut & vita æterna, quia mors ejus propria. At merito carnis Chriſti in qua naſci voluit, in qua pati, & in qua reſuſcitatus eſt, nos quoque ſimile beneficium reſurrectionis, & vitæ inde æternæ nacti ſumus. Carnis autem ſuæ quæ pro nobis mortem paſſa eſt, & ſanguinis qui pro nobis in cruce effuſus eſt, duo ſymbola dedit credẽtibus in ſe & paſſionem ſuam, panem & vinum, & in illo carnem ſuam edendam, in iſto ſanguinem bibendũ, in eo cibo & potu vitam repromittens æternam, quæ poſt reſurrectionem demum ſequeretur, non qua in hoc corpore frueremur. Ergo effectus promiſſorum Chriſti, ut & veritas ſymbolorum, per quæ ea nobis promiſſio vitæ æternæ facta eſt, à reſurrectione corporũ noſtrorum incipiet. Sed dicet aliquis,

quid

quid ergo hic nobis prodeſt ſacramentis corporis & ſanguinis Dominici communicaſſe, ſi in hoc corpore non repræſentatur vita æterna, quæ poſt reſurrectionem demum futura promittitur? Dicam non plus prodeſſe, quam ipſam fidem, quam in Chriſtum habemus, & quæ de ipſo per Patrem revelata eſt, quod ſit ex Deo Deus & Patris Dei filius, & pro nobis è cœlo miſſus, ut nos redimeret & liberaret à morte æterna. Docent Patres carnem ejus quam edimus in pane Euchariſtiæ, & ſanguinẽ quem bibimus in calice myſtico, eſſe velut ſcintillam ignis, qui conſervatur in acervo palearum, qui tanquam fomes reviviſcere ad eam excitandam poſſit. Ad eum prorſus modum & Dominum Ieſum Chriſtum, carnem ſuam in nobis abſcondere & cuſtodire, quæ tanquam ſemen immortalitatis in corporibus noſtris indita omnem in nobis mortalitatem & corruptionem exterminat. Ita Cyrillus: ὥσπερ δὲ εἴτις πινθῆρα λαβὼν ἀχύροις ἐγκαταχώσῃ πολλοῖς ἵνα σωζόμενον ἔχῃ τὸ τοῦ πυρὸς σπέρμα, οὕτω καὶ ἐν ἡμῖν ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς διὰ τῆς ἰδίας σαρκὸς ἐναποκρύπτει ζωὴν ἢ ὥσπερ σπέρμα τὴν ἀθανασίαν ἐντίθησιν, ὅλην τὴν ἐν ἡμῖν ἀφανίζων φθοράν. Non tantum de Euchariſtiæ ſacramento, quo carnem ejus ſub ſymbolo panis manducamus, ſed de fide ſola, qua credimus citra ſacramenta, & de cognitione ipſius Chriſti tanquã vere Dei & hominum redemptoris hoc dixerunt, ut idem Cyrillus alio loco dicit in Iohannem, ζωοποιεῖ δὲ ὁ υἱὸς, ὡς τὸ ἴδιον ἀγαθὸν.

ἀγαθὸν τῆς οἰκείας φύσεως καταφθείρεσθαι πεφυκόσιν ἐντιθείς, καὶ καθάπερ σπινθῆρα αὐτοῖς τὴν ζωοποιὸν τοῦ πατρὸς δύναμιν, ὅλους δ' ὅλῳ μεταπλάττων εἰς ἀθανασίαν. *Vivificat & filius, & proprium bonum natura ſua indit in corruptibilitate natis, & velut ſcintillam ipſis immittit, & vivificat Patris virtute, totos in totum tranſformans ad immortalitatem.* Id mox explicat de cognitione filii quam per Patrem habemus, & fid in qua credimus eum eſſe Deum ex Deo Patre. Sed & qui Verbum Dei audit, vitæ panẽ edere, & aquam vivam ex fonte bibere, & ex vite vinum cor hominis exhilarans creditur. Ὅθεν, inquit Didymus in cathena Iohannis, καὶ τὴν πρακτικὴν ἀρετὴν μεταλαμβάνοντες ἐσθίομεν, καὶ δὲ τὴν διανοητικὴν πίνομεν. Sine Sacramentorum participatione ſalvus fieri poteſt homo, ſed non ſine fide qua credimus in Chriſtum. Hæc eſt etiam fides, qua cum panem tanquam ſymbolum corporis ejus fracti ſumimus & calicem tanquam ſanguinis effuſi ſignum bibimus, mortuum eum & crucifixum pro nobis credimus, & memoriam ejus paſſionis celebrantes, ut eam inſtituit celebrandam, oſtendimus nos ita credere, ut ille in ſe credi voluit qui per hæc nos etiam voluit ſervatos. Non igitur per ſe ea ſymbola quicquam proſunt ad immortalitatem conſequendam, ſed quatenus cum ea digne ſumimus & per ea credimus nos ſanguinis & corporis Chriſti participes fieri, dum ejus memoriam ſic celebramus, fidem noſtram teſtificamur. De qua & nos infra. Non re itaque ſed

ſpe

ſpe corpora noſtra nos incorruptibilia habemus, dum fidem habemus ea per Chriſtum reſurrectura & immortalia futura. In imagine ergo nunc, & per ſpiritum carni & ſanguini cõmunicamus, non in veritate. Ea veritas cõſiſtit in vera unitate ac perfecta corporis & ſanguinis Chriſti cum ſanctis quæ ſolos glorificatos conſequetur. Idem Auguſtinus ibidem ad ea verba : *Caro enim mea vere eſt cibus* : *Cum enim*, inquit, *cibo & potu id appetant homines, ut neque eſuriant, neque ſitiant, hoc veraciter non præſtat niſi ille cibus & potus qui eos à quibus ſumitur, immortales & incorruptibiles facit, id eſt, ſocietas ipſa ſanctorum ubi pax erit & unitas plena atque perfecta*. Caro Chriſti quam in ſacramento ſumimus non efficit in hac vita ut non eſuriamus, neque ſanguis ejus in vino potus, ne ſitiamus, neque nos prohibent mori. Ergo veritas hujus promiſſionis apparebit in die judicii poſt reſurrectionem cum ille potus & ille cibus nos immortales reddet & incorruptibiles, & unum cum ipſo Chriſto efficiemur, cujus unitatis hic ſacramenta viſibilia percipimus in pane & vino, non convertendis in verum corpus & verum ſanguinem ipſius, ſed permanentibus in propria ſubſtantia. Idem Doctor Eccleſiæ eo loco: *Quartum vero nunc in ſpe eſt, in re autem futurum eſt, id eſt, glorificatio. Hujus rei ſacramentum, id eſt, unitatis corporis & ſanguinis Chriſti, alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in*

Dominica

Dominica menſa præparatur. Hæc eſt unitas quam in ſequentibus plenam & perfectam futuram ait cum ſocietate ſanctorum. In hac vita etiam prædeſtinatis, vocatis & juſtificatis ſocietas & unitas eſt cum Chriſto per ſacramenta, ſed non plena & perfecta, nec naturalis nec propria. Auguſtinus: *Hunc itaque cibum & potum ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt ſancta Eccleſia in prædeſtinatis & vocatis, & glorificatis ſanctis & fidelibus ejus.* Hæc ſocietas & unitas confœderatio potius eſt voluntatis & συμβουλίας, quam naturæ & ſubſtantiæ. Poſt reſurrectionem vera erit & abſoluta numeris ſuis, & φυσικὴ συνάφεια. Hilarius de Trinitate libro VIII. *Si vere igitur carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & vere homo ille quia ex Maria natus fuit, noſque vere ſub myſterio carnem corporis ſui ſumimus, & per hoc unum erimus, quia Pater in eo eſt & ille in nobis, quomodo voluntatis unitas aſſeritur, cum naturalis per ſacramentum proprietas perfecta ſacramentum ſit unitas?* Notandum & eum dicere, *nos unum erimus*, non *unum ſumus.* Nempe poſt reſurrectionem jam glorificati unum erimus cum Chriſto perfecta unitate, cujus ſacramenta hic percipimus in ſymbolis corporis & ſanguinis Dominici, pane & vino. Sic auctores ſunt conciliandi quorum alii unitatem noſtram cum Chriſto voluntatis eſſe affirmant, alii naturæ. Quidam abſolute naturalem eam eſſe pronuntiant, nonnulli ὥσπερ

Digitized by Google

φυσικὼ & τελείαν ἕνα φυσικόν. In imagine & ſacramento nunc eam unitatem tenemus, in veritate & reapſe eam obtenturi, cum in vitam æternam reſurrexerimus. Ideo ἄρτος ἐπιούσιος vocatur in Oratione Dominica, id eſt, panis venturus, ut vox ipſa vere ſonat, & recte Damaſcenus interpretatur, ἄρτον τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, hoc eſt, ἐπιόντος. Tunc nobis vere erit vivificus ille panis, qui unitatē veram ſui corporis & noſtri efficiet. Sed eam unitatem in ea prece quam ipſe Dominus docuit, repreſentari quotidie petimus dicendo, δὸς ἡμῖν σήμερον τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον. Per ſacramenta panis quem quotidie ſumimus in cœna Dominica unitatem cum Chriſto ſed non plenam neq; perfectam, qualē tamen poſſumus habere, nunc habemus. Ubi Chriſtus advenerit qui ſe ἄρτον ἐπιούσιον noſtrum ibi indigitat, plene & perfecte eum poſſidebimus. Idcirco ut in ea oratione precamur, *adveniat regnum tuum*, ita etiam panem vēturum noſtrum, id eſt, Chriſtum dari nobis ſingulis diebus oramus. Id eſt, ut interpretatur Tertullianus, individuam cum eo unitatem quanta hic nobis eſſe poteſt, ubi carnem Chriſti, id eſt, panem noſtrum vivum ſacramento tantum tenus, ut loquitur Auguſtinus, manducamus. At vera manducatio ut vera unitas, fiet in regno Dei cum ſocietate & communione ſanctorum. Nam πλήρωσις eorum omnium quæ nobis ſub myſterio hic repromiſſa ſunt in cœna Dominica, in regno Dei

futura

futura eſt. Græci in Euchologio ſuo quodam Hymno Paſchali canunt. δίδου ἡμῖν ἐκτυπώτερον σοῦ μετασχεῖν ἐν τῇ ἀνεσπέρῳ ἡμέρᾳ τῆς βασιλείας *Da nobis ut tui ſimus expreßiore veritate participes in die regni tui qui caret veſpere.* Hinc Chriſtus inſtituens ſacramenta corporis & ſanguinis ſui, poſt traditum calicem diſcipulis in ſanctionē novi fœderis, *non bibam à modo de hoc genimine vitis uſque in diem illum cum illud bibam vobiſcum in regno Patris mei.* Item alibi: *Ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei.* Dicit Paulus panem edendo & calicem bibendo nos adnuntiare mortem Chriſti ἄχρις οὗ ἔλθῃ. Hoc eſt quod dixerat Chriſtus in tradendis ſacramentis mortis ſuæ, *Hoc facite in mei commemorationem*. Memoria paſſionis Chriſti propter quam ea myſteria panis & vini nunc celebrantur, imago tantum eſt mortis ejus, quæ ceſſabit in adventu Domini. Non enim amplius erit celebranda ubi res ipſa & veritas cum effectu fructuque veræ ejus commemorationis in hac vita celebratæ conſtiterit. Sacramenta veteris legis in typo tantum fuere, utpote quæ viſibilia ſolummodo forent, quantum ad materiam ac ſubſtantiam ſuam. Adumbrabant quippe ſolummodo quaſi rudioribus lineis myſteria novi per Chriſtum ſanciendi fœderis, quæ & ipſa non plenam nec perfectam veritatem continent rerum quas ſignificant, id eſt, corporis & ſanguinis Chriſti, ſed ſolam imaginem, expreſſioribus tamē lineamentis

M

mentis repreſentatam, & non ſolum viſibili & ſenſibili ſpecie elementorum conſtantem, ſed & intelligibili & inviſibili virtute & gratia præditam. Omnia enim ſacramenta novæ legis non tantum viſibilia, ſed etiam inviſibilia per Spiritus Sancti præſentiam gratiam additam habent ſalutarem & vivificam. Poſt adventum autem Chriſti in regno Dei, veritas ſolida exhibebitur eorum quæ ἐν τύπῳ lex vetus figurabat, & in imagine novum fœdus repræſentat. Tunc enim ipſius Chriſti divinitatis participes reddemur, non ſpiritu tantum ſed & corpore; non ſub ſacramento ſed reipſa; non ſolo intellectu ſed etiam viſu, facie ad faciem ei communicaturi. In orationibus quæ poſt myſterium ſanguinis corporiſque Chriſti dicebantur, & à populo reſpondebatur amen, *ſic ſacerdotis voce dicebatur, Pignus æternæ vitæ capientes humiliter imploramus ut quod imagine contingimus ſacramenti manifeſta partipatione ſumamus.* Quod cum ita eſt, inquit Bertramus, *apparet quod hoc corpus & ſanguis pignus & imago rei ſunt futuræ, ut quod nunc per ſimilitudinem oſtenditur, in futuro per manifeſtationem reveletur. Quod ſincere ſignificant, in futuro autem pâtefacient. Aliud eſt quod nunc geritur, aliud quod in futuro manifeſtabitur. Quare & corpus Chriſti & ſanguis eſt quod Eccleſia celebrat, ſed tanquam pignus, tanquam imago.* Alibi dicebatur ut idem affirmat, *perficiant in nobis, Domine, quæſumus, tua ſacramenta quod continent, ut*

quæ

quæ nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus. Quibus verbis ſubjungit hæc ſic idem Bertramus: *Dicit quod in ſpecie gerantur iſta, non in veritate: id eſt, per ſimilitudinem non per ipſam rei manifeſtationem. Differunt autem à ſe ſpecies & veritas. Quapropter corpus & ſanguis quod in Eccleſia geritur, differt ab illo corpore & ſanguine quod in Chriſti corpore per reſurrectionem glorificatum cognoſcitur. Et hoc corpus pignus eſt & ſpecies, illud vero ipſa veritas. Hoc enim geritur donec ad illud perveniatur, ubi vero ad illud perventum fuerit, hoc removebitur.* Damaſcenus cujus verba perperam ſcribuntur ex lib. IV. de fide c. XIV. Ἀντίτυπα δὲ τῶν μελλόντων λέγονται, οὐχ ὡς μὴ ὄντα ἀληθινὰ σῶμα καὶ αἷμα, ἀλλ' ὅτι νῦν δι' αὐτῶν μετέχομεν τῆς τοῦ Χριστοῦ θεότητος νοητῶς, τότε δὲ διὰ μόνης θέας. Trãſpoſita vulgo hæc verba ſunt, hoc modo, τότε δὲ νοητῶς διὰ μόνης θέας. Quæ non poſſunt conſiſtere. Nam intellectus & viſus non bene cohærent, cum ea quæ ſolo viſu uſurpantur non opus ſit intellectu percipi. Hic autem veritatem ſymbolorum corporis & ſanguinis Dominici ſolo intellectu participamus, non etiam viſu, cum in ſola conſiſtant gratia & virtute inviſibili. Perperam autem panem & vinum ἀντίτυπα dicit appellari quod futurorum ſigna ſint, immo quod præteritorum. Sunt quippe ἀντίτυπα & ſymbola corporis in cruce fracti, & ſanguinis ex latere effuſi, ut omnes antiqui Patres teſtantur, ut ſupra abunde docuimus. Typus igitur, id eſt, adumbratio, fuit in veteri lege, imago in novo

fœdere, veritas in regno Dei, id eſt, in cœlo. Ambroſius in lib. I. Officiorum cap. XLVIII. *Umbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cœleſtibus. Ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Chriſtus offertur, quaſi homo, quaſi recipiens paſſionem, & offert ſe ipſe quaſi Sacerdos, ut peccata noſtra dimittat, hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quaſi advocatus intervenit. Hic ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus, illic facie ad faciem.* In imagine hic ambulamus quia per myſteria, per ſymbola, per ſacramenta corpori Chriſti & ſanguini communicamus, & merito paſſionis ejus participamus, dum ſigna corporis ejus & ſanguinis percipimus, id eſt, dum panem edimus myſticum, & calicem æque myſticū bibimus. Quæ ſigna cum viſibilia ſint, & ſenſibus aliis percipiantur, non tamen carent ſua gratia ſpiritali & intelligibili, quam non habuere ſacramenta veteris legis quæ αἰσθητὰ tantum fuere, non etiam νοητά. Hodie vero, quæ doctrina eſt Pontificiorum. Sacramenta nobis ponuntur, quæ non ſunt Sacramenta, non enim id habent quo poſſint ita dici & eſſe; cum non habeant ullam ſubſtantiam & materiam corporalem quæ ſignis veris competit, ſed nebulæ ſint, & aliquid inane quod ſolos oculos ferit, & ſenſus alios fallit. Sapor quippe illis ineſt cum ſubſtantia non adſit, cui ſapor ineſſe ſolet. Colorem aliquem præferunt & ſpeciem, ſed ſine re quæ colori ſub-

ſubſternitur. Quod in ſacramentis eſſe debet inviſibile & intelligibile duntaxat, id faciunt corporeum, immo corpus ipſum, cum ſubſtantia realis & veri corporis, quod tamen neque videtur, neque tangitur ulli. Signa volunt eſſe non corporis à quo ſanguis ſeparatus uti pro nobis oblatum fuit in cruce, ſed præſentis, cum ſanguine ſuo, & cum ipſo ſigno conſiſtentis, immo vel ſine ſigno quia ſubſtantia qua debet ſignum cenſeri, abeſt. Ita ſigna illis non ſunt Sacramenta quia materia ſignorum non adeſt. Signa non ſunt, quia in rem ſignificatam converſa ſunt. Res ipſa ſacramenti non eſt quia ea duntaxat intelligibilis eſt & ſpiritialis, hi vero faciunt eam corporalem & ſubſtantialem, & tamen non viſibilem. Viſibile ſignum eſt, cui nihil ſolidi & ſubſtantialis ſubeſt, neque corporei. Quod vere corpus eſt non eſt illis corpus, quod non eſt corpus, corpus eſt. Spiritale confundunt cum corporali, formale cum materiali, ſignum cum re ſignificata, & ſic naturam & uſum ſacramentorum prorſus abolefaciunt. Dicamus igitur ad eos revincendos conſtare Euchariſtiam ex re viſibili & inviſibili: ex ſenſibili & intelligibili: ex terreſtri & cæleſti: ex corporali & ſpiritali: ex corruptibili & incorruptibili: ex temporali & æterna: ex naturali & ſupernaturali: ex ſigno denique & re ſignificata. Ad hoc ultimum cætera omnia revocantur. Nam

ſignum eſt viſibile, ſenſibile, terreſtre, corporale, res ſigni autem inviſibilis, ſenſibilis, cœleſtis, ſpiritalis. Signum in rem ſignificatam ſi ſubſtantialiter mutaretur & transformaretur, ut ſubſtantia ſua & natura excideret, ita etiam ſignum eſſe deſineret. Non enim ſignum eſt & ſimilitudo niſi per propriam ſubſtantiam. Accidentia quippe, color & ſapor, aliaque non habent cum re ſignificata eàm ſimilitudinem, quæ efficere queat ut ſignum & res ſignificata relata ſint. Nam in hoc ſacramento veteres omnes tradunt inter panem & corpus eſſe ſimilitudinem, propter alendi virtutem. Vt panis alimentum præſtat corporibus, ita corpus Chriſti pabulum animabus præbet. At alendi virtus in pane ex ſubſtantia & natura panis procedit, non ex accidentibus. Ergo quod in pane maxime eſt eſſentiale; hoc eſt, nutriendi vis corporis, id pro ſymbolo eſt carnis Chriſti quæ ſacrà eſt animæ eſca. Eadem de cauſa & ſemetipſum *panem* nuncupat & quidem cœleſtem, ſive ex cœlo deſcendentem. Quo nomine & panem Euchariſtiæ paſſim patres Latini vocant, qui tamen propterea non deſinit eſſe terreſtris, ſed quia ſignificat rem cœleſtem, atque etiam cum fide ſumentibus exhibet. Ideo cœleſtis vocatur. Similiter & *ſuperſubſtantialis* dicitur, atque ita interpretati ſunt multi τὸν ἐπιούσιον ἄρτον orationis Dominicæ. Auctor de cœna Domini, *Panis iſte ſuperſubſtantialis &*

lis & calix benedictione ſollemni ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutemque proficit. Quod *ſuperſubſtantialis* dicatur, hoc non efficit, ut non etiam ſit ſubſtantialis, aut ut ſubſtantialis panis in ſuperſubſtantialem tranſſubſtantietur. Corpore ſubſtantialis eſt, virtute ſuperſubſtantialis. Subſtantia terreſtris, gratia cœleſtis. Signum denique eſt ſubſtantiale & terreſtre, res ſignificata ſuperſubſtantialis ac cœleſtis. Abolito autem ſigno per annihilationem ſubſtantiæ ejus, ut ſignum tollitur, ita etiam ſacramentum. Nam ſacramentum rei divinæ ſignum eſt. At panis ille terreſtris ac ſubſtantialis corporis Dominici ſacramentum eſt. Hujus autem ſacramenti ſi aboleatur & in nihilum abeat ſubſtantia, ne res ipſa quidem quæ ſignificatur, poterit ſtare. Hæc enim ſunt τῶν πρός τι, ſignum & res ſigni. Signo ſublato quod eſt ſacramentum corporis, corpus etiam Chriſti nuſquam erit, ſaltem quantum ad participationem ejus & manducationem ſacramentalem. Nam & Chriſtus non aliter nobis carnem ſuam manducandam præbuit, quam ſub ſacramento, neque ſanguinem bibendum niſi per ſacramentum. Sacramentum autem corporis ſui in pane conſecrato inſtituit, & ſacramentum ſanguinis ſui in calice benedicto. Facundus: *Sacramentum corporis & ſanguinis quod eſt in pane & ſanguine conſecrato.* Tolle igitur panem ſive ſubſtantiam panis & ſub-

ſtantiam vini, ſuſtuleris ſacramentum corporis & ſanguinis quod in utroque eſt inſtitutum & traditum. Sublato autem ſacramento corporis & ſanguinis Dominici, non poſſumus carnem ejus manducare neque ſanguinem bibere, quia utriuſque communicatio Chriſtianis fit in pane & vino, ſubſtantiam ſcilicet ſuam retinentibus. Non enim panis eſt neque vinum quidquid non habet eſſentialem & propriam panis & vini naturam. Signum & res ſignificata ſimul eſſe in ſacramento nihil vetat, ſed modo utrumque diverſo. Nam ſignum eſt ſubſtantialiter, res ſignificata ſacramentaliter, id eſt, ſignificatione, non per proprietatem, ut loquitur Auguſtinus. Signum per naturam, res ſignificata quæ divina eſt per virtutem, utique divinam. Non negant Pontificii ſignum eſſe cum re ſignificata in hoc ſacramento. Cum autem res ſignificata ſit corpus Chriſti, rei præſentis quia corpus eſt præſens, ſignum panem eſſe volunt. Ne id quidem verum eſſe poteſt. Nam panis non eſt quod nec ſubſtantiam nec materiam panis habet, nec formam. Ergo nullũ apud eos ſignum eſt rei ipſius præſentis in ſacramento, hoc eſt corporis Chriſti, quia ſignum debet eſſe ſubſtantiale & corporale. Nec enim corpus ſignificari poteſt, re nihili & nulla, re quæ res non eſt. Præterea ſi res ipſa adſit, quid opus ejus ſigno? Dicunt Arabes in proverbiis ſuis, qui feram videt non

curare

curare ejus veſtigia. Sic qui corpus ipſum Chriſti tangit, tractat, ore ſumit, & dentibus conterit, non requirit ejus ſignum aut ſymbolum. Signa in ſacris, aut ſunt rerum futurarum, aut præſentium, aut præteritarum. In vetere Teſtamento ſacramenta erant ſigna futurarum rerum. Vt agnus Paſchalis figura fuit agni qui pro nobis immolandus erat in cruce. Serpens æneus à Moſe in deſerto erectus, typus ejuſdem Chriſti fuit. Petra de qua in deſerto bibebant Iſraëlitæ, Chriſtum figurabat. Vrim & Thunimim ex lapidum clarore inſolito Deum ſacris adeſſe & propitium eſſe ſignificabant. Ita & gentiles ſuorum Deorum ἐπιφανείας & παρουσίας per quædam ſigna notabant. *Agnoſco*, inquit ille, *per ſua ſigna Deum*. Omnia ſigna ſive quæ rem futuram deſignant, ſive quæ præſentem, ſive quæ præteritam, corporalia & ſubſtantialia eſſe oportere certo certius eſt. Sacramenta novæ legis rerum præteritarum an præſentium fuerint ſigna diſpici oportet. Nam rei futuræ typum per ea adumbratum eſſe, nemo recte dixerit. Baptiſmus ſignificat paſſionem Chriſti, & aqua lavacri ſanguinem ejus denotat quo loti fuimus & purgati à peccatis. Immerſio & emerſio ex aqua, ſepulturam ejus & reſurrectionem. Hoc ſacramentum in remiſſionem peccatorum datur. Similiter & Euchariſtiæ ad quam accipiendam qui Baptiſmum receperant, ſtatim accedebant. Aliquid etiam

divinum hoc ſacramento ſignificatum eſt. Nam ſacramenta omnia divinæ rei ſunt ſigna aliqua. Vt aqua ſignum fuit ſanguinis Chriſti in Baptiſmo, ita & calix ejuſdem ſanguinis figura eſt. De utroque ſacramento paria veteres Patres dixerunt, ut in Epiſtola notavimus. Vtrumque *ſalutem* & *vitam* nominarunt, utrumque κοινωνίαν ſanguinis Chriſti, utrumque gratiam & ſpiritale donum, utrumque denique in remiſſionem dari tradiderunt, utroque memoriam paſſionis ejus celebrari, utroque ſanguinem pro nobis in cruce effuſum ſignificari. Alterius ſacramenti aqua materia eſt, alterius vinum, utraque viſibilis, utraque ſubſtantialis, & proprietatem naturæ ſuæ retinens. De Baptiſmo dixit Hilarius Commentariorum in Lucam lib. x. cap. xxii. *Et ideo regenerationis noſtra de tribus una eſt teſtis. Tres enim teſtes ſunt aqua, ſanguis & ſpiritus. Aqua ad lavacrum, ſanguis ad pretium, ſpiritus ad reſurrectionem.* Ambroſius libro de iis qui initiantur myſteriis cap. iv. *Hinc colligo quod aqua non mundat ſine ſpiritu. Ideoque legiſti quod tres teſtes in baptiſmate unum ſint. Aqua, ſanguis, & ſpiritus, quia ſi unum horum detrahas non ſtat baptiſmatis ſacramentum. Quid enim eſt aqua ſine cruce Chriſti? Elementum commune ſine ullo ſacramenti effectu.* Vbi *aqua* eſt materia ſalutaris lavacri, *ſanguis* ſacramentum vel aqua conſecrata ad preces Sacerdotis Sanctum Spiritum invocantis. Vbi vides ſanguinem

Digitized by Google

nem vocari Ambroſio ex Iohannis verbis, ſanguinis ſacramentum, quo Baptiſma dicitur eſſe ἀντίτυπον mortis & παθημάτων Chriſti. Nã eos qui baptizantur, in mortem Chriſti baptizari dixit Paulus. *Spiritus* autem virtus vel gratia ſpiritalis quam ſacro lavacro tincti conſequuntur. Ita ergo in ſacramento calicis, vinum eſt, ſanguis, & ſpiritus. *Vinum* eſt quod ſine cruce & ſanguine Chriſti nihil eſt, elementum nempe commune ſine ullo ſacramenti effectu. *Sanguis* ſacramentum eſt ſanguinis cujus ſignũ vel ſymbolum eſt vinum, ſub cujus ſpecie vere ſanguini Chriſti communicamus. *Spiritus* virtus eſt ſpiritalis, ſive efficacia ſacramenti quam Spiritus Sancti præſentia præſtat, ex verbis Chriſti & fide accipientis ſimul concurrentibus. Nam alterum ſine altero nihil proficit, neque quicquam efficit, ut ſupra docuimus. Fruſtra quippe pronuntiaſſet Chriſtus ſanguinem ſuum eſſe illud vinum quod in calice tradebat diſcipulis niſi eſſe credidiſſent, neque rurſus fides juvaret credentem eſſe ſanguinem ſi non Chriſtus hoc dixiſſet. Hinc auctor libelli de cœna optime ſcripſit: *Sed ex quo à Domino dictum eſt, hoc facite in mei cõmemorationem, hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus, quotieſcunq; his verbis & hac fide actũ eſt, panis iſte ſubſtantialis & calix benedictione ſolemni ſacratus ad totius hominis vitã ſalutemq; proficit.* Verba Chriſti conjungit & fidem accipientium, ut panis & calix ſacratus proficiat ad ſalu-

Digitized by Google

tem & vitam totius hominis, hoc eſt tam corporis quam animæ ejus: Sic Hilarius *profeſſionem Chriſti* & *fidem noſtram* efficere dixit, ut panis vere ſit caro, & calix vere ſit ſanguis. In Baptiſmo ad ſingulas merſiones interrogabatur Catechumenus an crederet, & ille reſpondebat, *credo*. Similiter in tradendo calice, & in dando pane dicebat Diaconus, *Corpus Chriſti*, *ſanguis Chriſti*, & communicans reſpondebat *Amen*, id eſt, *credo*, aut *verum*, ut ipſe Ambroſius interpretatur. In baptiſmo non Spiritum tantũ Sanctum intervenire, ſed ipſum etiam Ieſum Chriſtum credebant, ut ex his Ambroſii liquet, de iis qui myſteriis initiantur, cap. v. quo agit de baptiſmo, *Crede ergo adeſſe Dominum Ieſum invocatum precibus Sacerdotum qui ait, ubi fuerint duo vel tres, ibi ego ſum. Quanto magis ubi eſt Eccleſia, ubi myſteria ſua ſunt, ubi dignatur ſuam impertire præſentiam.* Ita eſt ergo Ieſus Chriſtus in baptiſmo præſens, ut in ſacramento calicis. Quinimmo corpus ipſum Chriſti adeſſe in baptiſmo dicit idem, ſi idem eſt, lib. I. de ſacramentis cap. I. ubi tractat de unctione in baptiſmo, *Conſidera ubi capias ſacramenta cœleſtia. Si hîc corpus eſt Chriſti, hîc & angeli conſtituti ſunt*, Chriſti corpus intelligit ſpiritale vel ſpiritum ejus, capite ultimo de his qui initiantur myſteriis: *In illo ſacramento Chriſtus eſt, quia corpus eſt Chriſti. Non ergo corporalis eſca, ſed ſpiritalis eſt. Vnde & Apoſtolus de typo ejus ait,*

quia

quia Patres noſtri eſcam ſpiritalem manducaverunt & potum ſpiritalem biberunt. Corpus enim Dei corpus eſt ſpiritale. Corpus Chriſti, corpus eſt divini ſpiritus, quia ſpiritus eſt Chriſtus, ut legimus. Ita & Auguſtinus in Euchariſtia ſacramenti *virtutem* quam alibi *gratiam* vocat, interpretatur alio loco, *id eſt corpus Chriſti.* Idem Ambroſius libro de his qui myſteriis initiantur cap. III. de baptiſmo, *Crede ergo divinitatis illic eſſe præſentiam.* Similiter & θεότητα Græci, & *divinam eſſentiam* ac *ſubſtantiam*, item *divinitatem* in ſacramento Euchariſtiæ eſſe Græci Patres ac Latini dixerunt. Precabantur Sacerdotes deſcenſum Spiritus Sancti in aquam Baptiſmalem. Ambroſius libro II. de Sacramentis cap. v. *Venit Sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, præſentiam Filii & Spiritus Sancti.* Idem libro I. cap. v. *Non ſanat aqua niſi Spiritus Sanctus deſcenderit, & aquam illam conſecraverit.* Prece myſtica, ut vocabatur, qua Sacerdos conſecrabat panem & vinum in Euchariſtia, Sanctum Spiritum invocari olim ſolitum ut deſcenderet in poſita in altari dona, ut que iis infunderetur, notius eſt quam ut doceri debeat. Eum Spiritum in baptiſmo *gratiam Chriſti* æque vocaſſe ut in Euchariſtia locis aliquot Ambroſii palam fiet Libro I. de ſacramentis cap. v. *Vidiſti & aquam, ſed non aqua omnis ſanat, ſed aqua ſanat quæ habet gratiam Chriſti.* Chriſtum ipſum præſentem alibi dixit eſſe in baptiſmo, Spiritum Sanctum,

&

& ipſum corpus Chriſti, ut ſupra notavimus. Idem libro VI. cap. I. de Euchariſtia gratiam veræ naturæ, id eſt, corporis Chriſti virtutemque nos conſequi ait. *Ideo in ſimilitudine quidem accipis ſacramentum, ſed vera natura gratiam virtutemque conſequeris.* Non ipſam nos corporis Chriſti ſubſtantiam ſumere dicit, ſed corporis virtutem & gratiam. Idem capite ſequenti: *Accepiſti ergo Spiritum Sanctum in corde tuo. Accipe aliud, quia quemadmodum Spiritus Sanctus in corde, ita etiam Chriſtus in corde.* Non aliter igitur induimus Chriſtum in baptiſmo quam cum ſumimus in calice. Aquam in baptiſmo videmus, ſanguinem non videmus. Sic in calice vinum videmus, ſanguinem non item. Non minus tamen aqua baptiſmi ſimilitudinem habet ſanguinis Chriſti, quam vinum calicis. Sed vere cum aqua Chriſtum induimus, in cujus mortem baptizamur, ut in vino ſanguinem ejus bibimus, cujus ſimilitudinem accipimus. Idem Ambroſius libro IV. de ſacramentis caput IV. *Sed forte dicis, ſpeciem ſanguinis non video, ſed habet ſimilitudinem. Sicut enim mortis ſimilitudinem ſumpſiſti, ita etiam ſimilitudinem pretioſi ſanguinis bibis, ut nullus horror cruoris ſit, & pretium tamen operetur redemptionis.* Didiciſti ergo quia quod accipis corpus eſt Chriſti. In unctione, parte baptiſmi, ſumi corpus Chriſti dixit, ut ſupra notavimus libro I. caput II. Hæc eſt igitur

tur ſacramenti baptiſmi & ſacramenti calicis comparatio, ac ſimilitudo, quæ tanta eſt in utroque ut ſignis diverſa ſint, re vero ſignificata prorſus eadem. Ideo de ſacramento calicis prius diximus quia veteres ſæpe eum nominant ante panis ſacramentum, ſicut oſtendimus in Epiſtola ut apud Irenæum loco paulo ante citato: Τὸ ἀπὸ τῆς κτίσεως ποτήριον αἷμα ἴδιον ὡμολόγησε, καὶ τὸν ἀπὸ τῆς κτίσεως ἄρτον ἴδιον σῶμα διεβεβαιώσατο. Ne caſu & fortuito ita factum ab eo putes, eundem ordinem ſervavit, & lib. v. his verbis: *Quando mixtus calix, & fractus panis percepit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit ſubſtantia corporis noſtri.* Quod dignior eſſet ea pars Euchariſtiæ, ut diximus, & qua ſola mors & paſſio Chriſti tota ſignificaretur, ideo priorem nominarunt. Cum igitur ut aqua in Baptiſmo ſymbolum eſt & ἀντίτυπον ſanguinis, & per eum paſſionis ac mortis Chriſti, ſimiliter & vinum in ſacramento Euchariſtiæ ejuſdem ſanguinis ac mortis Chriſti ſit ſymbolum, non rei præſentis ſed præteritæ tam aquam baptiſmi quam vinum Euchariſtiæ ſigna eſſe credendum eſt. Memoria quippe rei geſtæ in paſſione Domini per ea ſymbola celebratur. Quod de Euchariſtiæ ſacramento præcipue ab ipſo Domino, cum illud ipſum inſtitueret, in pane fracto & mixto calice dictum eſt. *Hoc facite in mei commemorationem.* Quod fit in commemorationem alicu-

alicujus rei, non habetur ſignum id rei præſentis, ſed anteactæ. Cum vero & ſeorſim ab eo inſtitutum fuerit ſacramentum calicis, ut ſanguinis ſui pro nobis effuſi eo ſigno memoria inſtauraretur, præſentis ſanguinis qualis eſt nunc in Chriſti corpore glorioſo, non poteſt videri hoc eſſe ſacramentum, ſed ejus plane qualis olim in cruce ex latere ejus fluxit. Sanguis ille ſic in terram effuſus ex corpore Chriſti tum mortali & mortuo, non ſervatus eſt, non poſtea rediit in corpus ejus. Quomodo igitur vinum quod illius typum ſanguinis in Euchariſtia gerit poteſt videri in eum ſanguinem converſum eſſe, qui olim fluxit ex latere Chriſti, & more aliorum hominum ſanguinis in terram effuſus exaruit, cum aqua quæ inde pariter profluxit, & in nihilum redactum eſt utrumque? Panis igitur corporis illius quod in cruce pependit, quod effuſo ſanguine factum eſt exangue & mortuum, ſymbolum in Euchariſtia nobis traditur, non illius quale vixit ante paſſionem ſuam, & quale poſt ſepulturam reſurrexit, & in cœlum aſcendit, ubi nunc eſt. Sed jam hæc ſupra ſatis diſpuncta ſunt. Ajunt Doctores Pontificii, ut imago imperatoris unum eſt cum imperatore, & ſimul eſſe poſſunt, ita ſignum in Euchariſtia ſimul cum re ſignificata eſſe nihil vetari. Nihil omnino ſimile. Signa quæ in Euchariſtia nobis exhibentur præſentia ſunt & viſibilia, nempe panis & vinum

num; res quæ iis repræſentatur, nempe paſſio Chriſti quæ in copore ejus fracto & ſanguine effuſo contigit ſub ſymbolis panis & vini celebranda & commemoranda, non præſentis eſt temporis, ſed præteriti. Hinc Euchariſtiam *memoriæ ſacramentum* appellat Auguſtinus. Alibi *in memoriam Dominicæ paſſionis* id ſumi ait. Item ſermone ad infantes: *Hoc accipietis in pane quod pependit in cruce. Hoc accipietis in calice quod effuſum eſt de Chriſti latere.* Clarius de fide ad Petrum Diaconum cap. XVIII. *In iſto ſacrificio gratiarum actio atque commemoratio eſt carnis Chriſti, quam pro nobis obtulit, & ſanguinis quem pro nobis idem Deus effudit.* Hilarius commentario in Epiſtolam ad Corinthios priorem capite XI. ad illa verba, Hæc facite in mei commemorationem: *Oſtendit illis myſterium Euchariſtiæ inter cœnandum celebratum non cœnam eſſe. Medicina enim ſpiritalis eſt quæ cum reverentia deguſtata purificat ſibi devotum. Memoria enim redemptionis noſtræ eſt, ut redemptoris memores majora ab eo conſequi mereamur.* Idem ad ea verba: *Mortem Domini annuntiantes: Quia enim morte Domini liberati ſumus, hujus rei memores in edendo, & potando carnem & ſanguinem quæ pro nobis oblata ſunt, novum Teſtamentum in his conſecuti quod eſt nova lex quæ obedientem ſibi tradit cœleſtibus regnis.* Euchariſtia memoria eſt paſſionis Chriſti, & per eam redemptionis noſtræ. Ejus rei memores edimus carnem ſub ſigno panis & potamus ſan-

Digitized by Google

guinem ſub ſigno vini ſeorſim, ut ſeparatus eſt ſanguis à corpore Domini in paſſione ejus. Rei quæ fuit non quæ eſt hæc ſigna ſunt, corporis crucifixi & mortui Panis, ut ſanguinis effuſi Calix. Per hæc pignus & monumentum nobis reliquit ſui erga nos amoris, & mortis quam pro nobis paſſus eſt. Memoria Ieſu mortui quam ſub ejus ſignis & ſub ea figura recolimus, ut rei abſentis & præteritæ imago eſt, ita non poſſunt ſigna quibus celebratur cum re ipſa cujus commemoratio fit unum videri, nec in eam tranſſubſtantiari. Panis itaque & vinum quę nomine ſacramenti ſumimus in Euchariſtia non ſunt τῶν παρόντων ἀντίτυπα vel ſigna ut volunt Pontificii, nec τῶν μελλόντων ut ſcribit Damaſcenus, ſed τῶν παρῳχημένων. Memoria quippe cum imago ſit rerum præteritarum, argumenta vel monumenta quibus ea refricatur & concelebratur, non poſſunt eſſe niſi rerum abſentium μνημόσυνα. Bertramus in libro de corpore & ſanguine Domini: *Docemur à Salvatore, nec non à Sancto Paulo Apoſtolo, quod iſte panis & iſte ſanguis qui ſuper altare ponitur, in figuram ſive memoriam Dominicæ paſſionis ponatur, ut quod geſtum eſt in præterito, præſenti revocet memoriæ, ut illius paſſionis memores effecti per eam efficiamur divini muneris conſortes, per quam ſumus à morte liberati.* Sic imago quam pater filiis relinquit, ut memoriam ſui poſtquam deceſſerit cuſtodiant, non eſt eadem cum ipſo defuncto patre.

Ne

Ne viventis quidem imago unum eſt cum ipſo archetypo unitate ſubſtantiæ, ſed unitate quæ eſt τῆς ποιότητος. Imago ſubſtantia differt ab archetypo, & materia & forma, ſola ſpecie & imitatione vultus & externi habitus ſimilis eſt, quæ ſimilitudo mutatis coloribus poteſt deleri manente tabula picta, vel etiam ceræ materia ex qua ſimulata eſt. In ſacramento autem Euchariſtiæ ſecundum Pontificios ſignum & res ſignificata ita unum ſunt, ut una ſit utriuſque ſubſtantia. Nam quæ panis fuit, in corporis Chriſti ſubſtantiam fingitur converſa. Quod alia etiam ratione non poteſt cohærere neque conſtare. Nam quod humanum eſt & materiale non poteſt converti in divinam naturam ac ſubſtantiam, cum ne in myſterio quidem incarnationis quod ſupra omnia myſteria fuit admirandum, id factum ſit. Non enim divina natura in humanam, nec humana in divinam per τροπὴν ſubſtantiarum commutata eſt, ſed acceſſit ad humanam divina. Chriſtum in palpabili & impalpabili ſubſtantia, in viſibili & inviſibili noſcitatum fuiſſe veterum Patrum conſtans & ſana eſt opinio. Nemo enim mentis compos dixerit, inquit Ephraimius Patriarcha Antiochiæ, quod eadem ſit φύσις ψηλαφητοῦ καὶ ἀψηλαφήτου, in Chriſto, ὁρατοῦ καὶ ἀοράτου. Quibus continuo ſubjicit, ſimiliter & Chriſti corpus quod fideles accipiunt, ſenſibilem ſubſtantiam non amittere, & ab intelligibili gratia non ſeparari.

parari. Senſibilis & viſibilis ſubſtantia panis eſt, inviſibilis & intelligibilis gratiæ divinæ quæ pani tanquam corpori Chriſti adjuncta eſt. At ſecundum Pontificios, una eſt φύσις καὶ οὐσία τοῦ αἰσθητοῦ εἴδους ſacramenti, & τῆς νοητῆς χάριτος. Quod nemò ſanus crediderit, haud ſane magis quam τὴν αὐτὴν φύσιν ψηλαφητοῦ καὶ ἀψηλαφήτου, καὶ ὁρατοῦ καὶ ἀοράτου in Chriſto homine Deo fuiſſe. De viſibili nunc & inviſibili dicamus, ex quibus duabus rebus etiam conſtare Euchariſtiam dixit Auguſtinus. Res viſibilis non poteſt tranſire in naturam & ſubſtantiam rei inviſibilis, niſi & ipſa reddatur inviſibilis. Sic quæ inviſibilis eſt non poteſt viſibilis fieri niſi in ſubſtantiam corporis mutetur. Tunc deſinit eſſe inviſibilis & intelligibilis, ubi ſub aſpectum cadere incipit. Sed quæro an aliqua ſit ſubſtantia in rerum natura quæ per converſionem naturæ ſuæ ex inviſibili fieri poſſit viſibilis. Genii corpus aſſumunt ex aëre cum ſe videri ab hominibus volunt. At non tranſmutantur in illud corpus aërium. Ita nec viſibile ex inviſibili, nec inviſibile ex viſibili mutatione & converſione ſubſtantiæ alterius in alteram fieri poteſt. Plantæ ſunt viſibiles. Virtus earum quæ δύναμις Græce vocatur, nec viſu, nec alio quo ſenſu percipi aut deprehendi poteſt, non odore, non guſtu, non colore. Quam multorum, idem color & ſapor, atque idem odor quarum facultates diverſæ? Aloë amara & manna dulcis

cis ventrem ſolvunt. Saccarum dulce eſt nec ventris tamen ciendi poteſtatem habet, ut manna. Quanto magis δύναμις divina & occulta hærere queat in aliqua ſubſtantia humana & viſibili quæ tamen diſcretæ ſit ab ea eſſentiæ atque ἀσυγχύτως? De ſenſibili & intelligibili idem dicendum. Nam ex utraque etiam conſtat ſacramentum Euchariſtiæ. Αἰσθητὴν in eo οὐσίαν & νοητὴν agnoſcit Ephraimius, ita invicem disjunctas, ut αἰσθητὴ οὐσία nõ impediat νοητὴν, nec νοητὴ αἰσθητήν. Ita enim ſcribit, τὸ παραλαμβανόμενον παρὰ πιστῶν σῶμα Χριστοῦ, καὶ τῆς αἰσθητῆς οὐσίας οὐκ ἐξίσταται, καὶ τῆς νοητῆς ἀδιαίρετον μένει χάριτος. *Quod accipitur à fidelibus corpus Chriſti nec ſenſibili ſubſtantia excidit, nec ab intelligibili gratia manet ſegregatum.* Non igitur ſenſibile ſubſtantiam ſuam permutat ac permiſcet cum intelligibili; ſed utrumque diſcretum ſubſiſtit. Nec ſane poteſt quod ſenſibile eſt per naturæ ſuæ ac proprietatis converſionem fieri intelligibile niſi amittat id omne quo ſenſibus percipitur. Quod an per rerum naturam exiſtere queat, peritos rerum naturalium ſupernaturaliumque interrogo, cum ne in ſupernaturali quidem myſterio τῆς οἰκονομίας id factum videamus. Ita in baptiſmo alia eſt οὐσία ſenſibilis, nempe aqua, alia intelligibilis, virtus nempe gratiæ: Non tranſit illa in hanc, ſed ut ait idem Ephraimius, qui de Euchariſtia idem dixerat, τὸ βάπτισμα τὸ ἴδιον τῆς αἰσθητῆς οὐσίας, τοῦ ὕδατος λέγω, διασώζει, καὶ ὃ γέγονεν οὐκ ἀπώλεσεν.

ἀπώλεσεν. *Baptiſma & quod proprium eſt ſenſibilis ſubſtantiæ ſervat, & quod factum eſt, non perit.* Quod factum eſt: Nempe ſacramentum fidei, ac regenerationis inde noſtræ. Quæ gratia in eo ſpiritalis eſt atque intelligibilis. Ab ea gratia intelligibili in Euchariſtia quam vocat Ephraimius, Heſychius Presbyter Hieroſolymitanus cujus commentarium in Leviticum habemus, *intelligibilem ſanguinem* appellat, quia nempe vinum calicis ſenſibilis eſt οὐσίας, ſanguis autem τῆς νοητῆς χάριτος. Ita enim lib. 11. *Ipſe Dominus primus in cœna myſtica intelligibilem accepit ſanguinem, atque deinde calicem Diſcipulis dedit.* Quidquid ſenſibus non poteſt percipi ſed ſolo capitur intellectu, ut res myſticæ quæ aliud proprie ſunt aliud improprie ſignificant, dicitur Græcis auctoribus νοητόν. Sic αἰσθητὸς eſt οἶνος in calicis ſacramento, τὸ αἷμα autem νοητὸν, id eſt, virtus vel efficacia ſanguinis. Quidquid enim naturam habet corpoream, & intelligibile vocatur, de virtute ejus interna & inviſibili id intelligi oportet, non de ipſo ejus corpore. Non enim dici poteſt intelligibile, quod ſenſibus patet percipiendum, ſed id quod ſolo capitur intellectu. In corporalem etiam rem & ſpiritalem dividitur Euchariſtiæ ſacramentum. Atque ita neceſſe eſt etiam dividi ſiquidem ex terreſtri conſtet & cœleſti, ut conſtare dixit Irenæus. Nam terreſtris pars, omnino & corporalis eſt ac materialis, ſpiritalis autem quæ

cœleſtis.

cœleſtis. *Corporalia ſymbola* paſſim auctores vocant alii, & *res corporales*, quarum ſub tegumento virtus divina in myſteriis recondita eſt. Si corporales illæ res ſunt, non ſpecie tantum tenus conſtant, nec intra ſola conſiſtunt accidentia ſine re ac ſubſtantia. Iſidorus: *Sunt autem ſacramenta baptiſmus & chriſma, corpus & ſanguis quæ ob id ſacramenta dicuntur quod ſub tegumento rerum corporalium virtus divina ſecretius ſalutem eorundem ſacramentorum operatur.* Corporalis autem res non poteſt in ſpiritalem converti per ſubſtantiæ τροπὴν, haud ſane magis quam corpus in ſpiritum mutari converſione ſubſtantiæ, ſed quod ſpiritale eſt poteſt una eſſe cum corporali, ut ſpiritus & animus eſt in corpore. Ita caro & ſpiritus in Chriſto homine Deo naturam ſuam tenuere in unitate impermixta & ἀσυγχύτῳ. Irenæus lib. IV. *Offerimus ei quæ ſunt ejus, congruenter communicationem & unitatem prædicantes carnis & ſpiritus.* Alio modo qui carnales ſunt, ſpiritales fiunt & ipſi ſine ſubſtantiæ ſuæ mutatione, cum vetus tamen creatura ſic fiat nova. Quod non ſine mutatione fieri certum eſt, ſed non ea quæ ſubſtantiam vertat. Ambroſius libr. IV. de ſacramentis cap. IV. mutationem quæ fit in Euchariſtia cum iſta comparat his verbis: *Tu ipſe eras ſed eras vetus creatura, poſteaquam conſecratus es nova creatura eſſe cœpiſti. Vis ſcire quam nova creatura? Omnis,* inquit, *in Chriſto nova creatura. Accipe*

ergo quemadmodum ſermo Chriſti creaturam omnem mutare conſueverit, & mutat quando vult inſtituta naturæ. Dicit, & tu ipſe eras, nova factus es creatura. Mutatio fit, & tamen manet quod erat is qui mutatur, quantum ad ſubſtantiam. Sic panis & vinum, ut ibidem dicit, in Euchariſtia *ſunt quæ erant, & in aliud commutantur.* Hic panis materialis eſt, vel corporalis pars Euchariſtiæ quæ non convertitur permutatione vel converſione ſubſtantiæ ſuæ in ſpiritalem, ſed mutatur tamen, & vocatur *ſpiritalis panis*, non quod ſpiritalis ſit, ſed quod rem ſpiritalem ſignificet. Vt etiam dicit Auguſtinus in Pſalmum LXXVI. *Omnes quidem eundem cibum ſpiritalem manducaverunt, & eundem ſpiritalem potum biberunt, id eſt, ſpiritale aliquid ſignificantem, ſed non in omnibus illis beneplacitum eſt Deo.* Sic *cœleſtem* eum panem vocant qui in Euchariſtia à fidelibus accipitur, non quod cœleſtis ſit ejus natura & ſubſtantia, ſed quod cœleſte aliquid ſignificet. Quod in eo autem divini eſt, ſpiritale appellatur quia vere Spiritus eſt, ut dixit etiam Chriſtus cum ſe explicaret de præcepto quod dederat carnis ſuæ manducandæ. *Caro* etiam *ſpiritalis* eadem de cauſâ dicta eſt, ut *caro intelligibilis*, & *ſanguis intelligibilis* Heſychio, & *ſpiritalis*, qui de virtute & efficacia ſpiritali atque intelligibili debet intelligi. Sic & *corpus ſpiritale* quod in ſacramento ſumitur appellavit Ambroſius explicans illa Apoſtoli, *Quia patres*

noſtri

noſtri eſcam ſpiritalem manducaverunt, & potum ſpiritalem biberunt. Et ſubjicit protinus: *Corpus enim Dei corpus ſpiritale, corpus Chriſti corpus eſt divini ſpiritus, quia ſpiritus eſt Chriſtus, ut legimus.* Bertramus: *Eſt quidem corpus Chriſti, ſed non corporale, ſed ſpirituale. Eſt ſanguis Chriſti, ſed non corporalis, ſed ſpiritualis.* Et paulo poſt: *At vero corpus quod myſterium Dei dicitur, non eſt corporale ſed ſpirituale. Quod ſi ſpirituale, jam non viſibile, neque palpabile.* Idem Ambroſius in eodem libro in hoc ſacramento Chriſtum eſſe dicit quia corpus eſt Chriſti. *Non ergo,* ſtatim ſubjicit, *corporalis eſca ſed ſpiritalis.* Hinc Auguſtinus virtutem ſacramenti quæ plane ſpiritalis eſt, *corpus Chriſti* eſſe interpretatur ut & *rem ſacramenti*: Res ſacramenti, id eſt, corpus Chriſti. Hieronymus *carnem ſpiritalem* Chriſti ſimiliter appellat, & eam à vera ejus & corporali diſtinguit in Epiſtola Pauli ad Epheſios: *Dupliciter ſanguis Chriſti & caro intelligitur. Vel ſpiritalis illa eſt atque divina, illa de qua dicit, caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus: vel caro quæ crucifixa eſt & ſanguis qui militis effuſus eſt lancea.* Clementi Alexandrino, αἷμα πνευματικόν. Quod eſt ſpiritale, eſt etiam intelligibile, ut ſanguis intelligibilis Heſychio, qui virtutem myſteriorum ab ipſis myſteriis diſtinguit: *Per ignorantiam autem percipit qui virtutem ejus & dignitatem ignorat, qui neſcit quia corpus hoc & ſanguis eſt ſe-*

 cundum

cundum veritatem, ſed myſteria quidem percipit, neſcit autem myſteriorum virtutem. Hanc virtutem myſteriorum alibi, ut ſupra docuimus, corpus Chriſti vocat, ubi dixit in myſterio *panem* ſimul eſſe & *corpus*, panem nempe *corporaliter*, corpus *ſpiritaliter*. Myſteria ſunt panis & vinum, virtus myſteriorum quod in iis eſt ſpiritale & intelligibile. Hæc & *virtus ſacramentorum* dicitur Auguſtino & auctori de Cœna Domini. Nam ſacramentum, quod idem cum myſterio, viſibile eſt ac ſenſibile, non intelligibile, neque ſpiritale. Ideo Patres Latini diſtinguunt inter ſacramentum & rem ſacramenti, & malos ajunt accipere ſacramentum, id eſt, panem & vinum, non rem ſacramenti, id eſt, corpus Chriſti ſpiritale & intelligibile. Auguſtinus in ſermone de altari Domini: *Quomodo corpus ejus? & calix, vel quod habet calix ejus quomodo ejus eſt ſanguis? Iſta, fratres, ideo dicuntur ſacramenta quia in eis aliud videtur, & aliud intelligitur. Quod videtur ſpeciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet ſpiritalem.* Vbi *ſpeciem corporalem* vocat panis ſubſtantiam quæ videtur non intelligitur, cum corpus & ſanguis non videantur quia intelliguntur tantum, utpote ſpiritalia non corporalia nec carnalia. Quibus verbis ex Auguſtino allatis ſubjungit iſta Bertramus interpretamẽti gratia. *Iſta venerabilis auctor dicens inſtruit nos quid de proprio corpore Domini, quod de Maria natum, &*

nunc

nunc ad dexteram Patris ſedet, & in quo venturus judicare vivos & mortuos, & quid de iſto quod ſuper altare ponitur, & populo participatur ſentire debeamus. Illud integrum eſt, neque ulla ſectione dividitur, nec ullis figuris obvelatur: Hoc vero quod ſupra menſam Domini continetur, & figura eſt quia ſacramentũ eſt, & externum quod videtur ſpeciem habet corpoream, quæ paſcat corpus, internum vero quod intelligitur fructum habet ſpiritalem quia vivificat animam. Species iſta corporea quæ paſcit corpus, non de accidentibus ſolis intelligenda eſt panis, quæ non paſcere idonea ſunt, ſed de ipſa ſubſtantia, ut infra explicabimus. In ſequentibus *myſticum corpus* appellat quod ſupra menſam Domini ponitur, at verum & proprium quod de Maria natum eſt. *Hoc autem*, inquit, *quod ſupra menſam Dominicam poſitum eſt myſterium continet illius, ſicut etiam identidem myſterium continet corporis, populi credentis Apoſtolo teſtante, unus panis, unum corpus multi ſumus in Chriſto.* Sic æque myſticum corpus Chriſti dictum eſt veteribus quod in cœna accipitur quam Eccleſia ipſa, ſive corpus credentium in Chriſtum cujus ille caput eſt. Nec ſolum myſticum corpus appellatur, ſed *ſpiritale* ut Ambroſio, *intelligibile* Heſychio, *typicum* & *ſymbolicum* Origeni. Quibus omnibus vocabulis diſtinguitur à vero & proprio quod de Virgine natum eſt, & in cruce fixum. Vere quidem corpus eſt Chriſti quod in altari accipitur, quod ſpiritaliter

ſpiritaliter ſumitur, ſed non verum. Quod enim in ſpiritu accipitur & in efficacia ac virtute corporis ſecundum veritatem accipi intelligitur, non tamen ut verum corpus Chriſti dicatur. *Secundum veritatem*, ut ait Heſychius, corpus eſt & ſanguis cui communicamus, id eſt, vere. At ipſa veritas rei, non eſt, neque corpus hoc neque ſanguis hic. *Differunt*, inquit Bertramus, *ſpecies & veritas. Quapropter corpus & ſanguis quod in Eccleſia geritur differt ab illo corpore & ſanguine quod in Chriſti corpore per reſurrectionem jam glorificatum cognoſcitur. Et hoc corpus pignus eſt & ſpecies., illud vero ipſa veritas.* Vt ex corporali porro & ſpiritali re conſtat Euchariſtia, ita duplex ejus ſumendæ modus eſt, corporalis & ſpiritalis. Corporaliter tantum à malis accipitur, quos ſacramentum tantum accipere dixit Auguſtinus, ſpiritaliter à fidelibus qui rem ſacramenti accipiunt, ut ipſe ait, non uno loco. Non alia eſt partitio qua dividitur in rem corruptibilem & incorruptibilem. Nam & ex his duabus conſtat rebus, corruptibili & incorruptibili. Sic enim neceſſe eſt. Corporalem quippe ſpeciem in hoc ſacramẽto & terreſtrẽ, *corruptibilem* etiam eſſe oportet, cœleſtem & ſpiritalem *incorruptibilem*. Corruptibilis porro in incorruptibilem mutari non quit converſione ſubſtantiæ. Poteſt quidem quod corruptibile eſt fieri incorruptibile non mutata ſubſtantia. Noſtra corpora ex corruptibilibus fiunt

fiunt incorruptibilia, non tamen mutando ſubſtantiam. Quod enim corruptibile eſt ſuperinduit incorruptibilitatem, ut & corpus ipſum Chriſti, cum ex mortali & mortuo per reſurrectionem factum eſt immortale, non in aliam tranſiit ſubſtantiam, ſed humanam eandem retinuit quam in utero matris per virtutem Spiritus Sancti acceperat. Quamvis igitur daretur poſt conſecrationis verba ſpeciem panis corruptibilem jam fieri incorruptibilem, non tamen eam incorruptibilitatem accipere cenſeretur per converſionem ſubſtantiæ corruptibilis in incorruptibilem, ſed virtute divina, quod eſſet corruptibile manens in eadem ſua natura & ſubſtantia redderetur incorruptibile; ut de corporibus noſtris certum eſt quæ incorruptibilia erunt poſt reſurrectionem, ex corruptibilibus & corruptis plane facta ejuſmodi citra ullam ſubſtantiæ ſuæ mutationẽ. Atqui certum eſt & experientia ipſa id teſtari poteſt, ſacramẽtum Euchariſtiæ ex corruptibili & incorruptibili conſtare, ut ex terreſtri & cœleſti, ex corporali & ſpiritali. Vt enim manet ſubſtantia panis corporea ita etiam quod eſt in eà corruptibile non deſinit eſſe quod fuit, nec incorruptibilitatem adſciſcit. Experientia autem oſtendit tale eſſe. Cauſæ internæ & externæ ſpecies ſubſtantiales corrumpunt, & necem eis adferunt. Ab externis non eſt tutus panis Euchariſtiæ. Igne poteſt conſumi, aqua diſſolvi, manibus

friari

ſtiari & conteri & in pulverem diſſipari, à mu-
ribus corrodi, à canibus vorari, & aliis qui-
buſcumque injuriis quæ extrinſecus accidunt, exponitur. Ab internis non magis eſſe intactum certo certius eſt. Poteſt mucidus fieri, poteſt vermes facere, poteſt quibuſcumque aliis vitiis corripi & corrumpi haud ſecus ac panis quilibet communis. Huic incommodo ut occurrerent, & opinioni populi mederentur quaſi qui contrarium videre poſſet quam ſentire cogitur, excogitarunt chartacea cruſtula quæ cum ſicca diu conſervari queant nec adeo humori ex quo vitium venit internum obnoxia ſint, ideo longiore tempore manent incorrupta. Sed ab externis corruptelis non poſſunt ſarta tecta cuſtodiri. Quomodo igitur incorruptibilia aſſeruntur, quæ quotidie corrumpi ac perdi videmus? *Negari*, inquit Bertramus, *non poteſt corrumpi quod per partes comminutum diſpartitur ad ſumendum, & dentibus commolitum in corpus trajicitur.* Vini ſpecies incorruptibilis ſit oportet, ut eſt panis, ſi vera eſt Pontificiorum ſententia. At etiam magis corruptibile eſſe conſtat, certe non paucioribus quam panem vitiis & damnis obnoxium. Effundi poteſt & in terram ſparſum cum pulvere miſceri, in aquam conjici & totum dilui, igne conſumptum in fumum exhalare, aceſcere, & alia pati vitia quæ ſunt ei propria inter liquores. Qualia duo numerant rerum naturalium periti,

periti, muceſcere, & in acetum verti. Neque hic eos audiemus ſi dicant ſola accidentia vini in vitium inclinare non ejus ſubſtantiam, nempe colorem, odorem & ſaporem. Nam mutatus in eo color ſignum eſt mucoris vel acoris. Odor quoque qui naſum ferit ex integro, in corrupto evaneſcit. Similiter & ſapor alius eſt in vappam deſinentis & dum flos eſt liberi. Non igitur in eo accidentia alterantur ſine pernicie ſubſtantiæ ac virtutis nativæ. Si in ſanguinem Chriſti verteretur merum ac verum ſubſtantialemque, an talibus noxiis eſſet ſubjectum externis interniſque? Nullo modo. Aliquot medicamentis condiebatur olim, ut per multos annos ſervari poſſit, ut pice, aloë, myrrha & aliis aromatis. Sola benedictione conſecratum nunquam obtinebit, ut perennare poſſit. Qui negare parati erunt, experiantur. Bertramus in libro de corpore & ſanguine Domini: *Corpus Chriſti quod mortuum & reſurrexit, & immortale factum jam non moritur, & mors illi ultra non dominabitur, æternum eſt jam non paſſibile. Hoc autem quod in Eccleſia celebratur temporale eſt non æternum, corruptibile eſt non incorruptum, in via eſt non in patria.* Ex his deinde argumentum ducit non eſſe verum corpus Chriſti quod in Eccleſia celebratur, neque verum ſanguinem. Nam ſi eſſent in veritate & proprietate ſubſtantię ac naturę quod dicuntur, incorruptibile utique eſſet hoc corpus, & incor-

ruptibilis

ruptibilis hic ſanguis qui in ſacramento Euchariſtiæ accipitur. Atqui corrumpitur idque negari non poteſt, dum frangitur & comminuitur dentibus, dum digeritur in ſtomacho, dum in corpus it, dum multis vitiis ſubjectum eſt. Ergo cum non ſit incorruptibile, non eſſe verum corpus Chriſti arguitur. In Græcia tempore Alexii Angeli diſputatum eſt utrum corruptibile eſſet an incorruptibile. Iam opinio prior tenuerat ſub Georgio Xiphilino Patriarcha Conſtantinopolitano, eamque etiam defendit ſucceſſor ejus in ſede Iohannes Camaterus. Primum ejus opinionis auctorem fuiſſe tradit Nicetas l.III. de geſtis Alexii Angeli Monachum quendam Siciditem. Quæſtionem eam ita proponit, εἰ τὸ μεταλαμβανόμενον ἅγιον σῶμα Χριστοῦ ἄφθαρτόν ἐστιν ὁποῖον μετὰ τὸ πάθος καὶ τὴν ἀνάστασιν, εἴτε μὴν φθαρτὸν ὡς πρὸ τοῦ πάθους. *Si Chriſti ſanctum corpus cui communicatur incorruptibile eſt quale fuit poſt paſſionem & reſurrectionem, an corruptibile quale erat priuſquam pateretur.* Qui incorruptibile eſſe contendebant, divinorum ſacramentorum perceptionem quaſi commemorationem eſſe ajebant & recordationem non ſolum quod Chriſtus pro nobis paſſus eſſet ſed etiam quod à mortuis reſurrexiſſet. Inde argumentabantur, quicunque vel particulam ejus acciperet, totum ſuſcipere quale à Thoma pertractatum eſſet. Qui contrariam ſententiam tuebantur de corruptibilitate, non eſſe id quod

quod gerebatur in hoc ſacramento memoriam reſurrectionis aſſerebant, ſed ſolius paſſionis & mortis, & ſacrificium id fieri ſive ſacrificii commemorationem, ac propterea conſequi, ut corruptibile eſſet & exanime,& mentis expers, ut nimirum fuit ipſum corpus in cruce jam mortuũ. Idcirco & qui de eo pane Euchariſtiæ participat,non totum Chriſtum manducare ſed partem ejus duntaxat. Nam ſi, inquiebant, incorruptibile ponatur & anima menteque præditum, quod nec tactu comprehendatur nec viſu, neque dentibus comminuatur, & molatur, veriſſime iſti ſenſiſſe & rectiſſime videntur. Nihil enim certius quam panem qui ſumitur in Euchariſtia figuram eſſe corporis Chriſti crucifixi & mortui, ac proinde exanimis & exanguis, calicem autem ſimiliter ſanguinis ejus in cruce effuſi eſſe ſymbolum, ac proinde non verum ſanguinem nec cum ſpiritu mixtum, ut eſt in corpore vivente, ſed qualis eſt extra vaſa emiſſum repræſentare. Non poteſt porro ſignum plus habere quam res ipſa cujus habetur ſignum. Si panis fractus ſignum eſt corporis fracti & jam mortui, non poteſt videri converſus in corpus Chriſti incorruptibile & glorioſum quale fuit poſt reſurrectionem. Sed neque vinum calicis quod ſub typo ſanguinis effuſi datum eſt, in eum ſanguinem mutatum videtur, quod intra venas currit ſpiritu viventis corporis animatum. Plus adhuc dicam,

ne ſi quidem diceretur panem eſſe ſignum corporis Chriſti qui nunc ad dextram Patris ſedet, & qualis extitit poſt reſurrectionem & aſcenſionem, ſic dici tamen poſſet ipſum ſignum eſſe incorruptibile, quia rem incorruptibilem ſignificaret. Nonnulli Patrum dixere eo ſacrificio mortem Domini, reſurrectionem ejus & elevationem, remiſſionemque peccatorum ſignificari, ut Auguſtinus, qui tamen incorruptibilem eſſe panem ſacramẽti non dixit. Immo contra hoc ſacrificium ex viſibili elemẽtorum ſpecie, & inviſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti corpore confici & conſtare docet, ex ſacramento & re ſacramenti, in libro ſententiarũ Proſperi apud Gratianum. Sacramentum igitur ipſum quod eſt ipſiſſima elementorum ſpecies, quod eſt viſibile & terreſtre, ut eſt apud Irenæum, etiam corruptibile eſſe oportet. Ne illi quidem Græci Patres quos pro ſua cauſa allegabant illi defenſores incorruptibilitatis, aſſerebant incorruptibile eſſe quod in cœna Domini acciperetur. Dicit quidem ibi Chryſoſtomus, *qui ad dextram patris ſedet in manibus peccatorum inveniri.* Sed ex eo non ſequitur, ſpeciem ipſam quæ ſumitur, non eſſe corruptioni obnoxiam. Neque unquam Patres Græci veteres aut novi ſenſerunt panis ſubſtantiam aboleſcere & evaneſcere. Si manet eadem, etiam corruptibilis maneat neceſſe eſt cum proprietates naturæ ſuæ non amittat. Sumitur corpus Chriſti

Chriſti qui ad Patris dextram ſedet, ſed ſpiritaliter, non corporaliter. Non poteſt corporaliter ſumi quia caro ejus edenda eſt, qualis in cruce fracta pro nobis fuit, cum illius carnis figura in pane detur fidelibus non caro ipſa, Verba etiam Chryſoſtomi hæc afferebant: Ἤνθησεν ἐν τῷ νόμῳ, ηὔξησεν ἐν τοῖς προφήταις, ἐπέπανεν ἐν τῷ σταυρῷ, ἐσθίεται μετὰ τὴν ἀνάστασιν, *Floruit Ieſus in lege, adolevit in Prophetis, maturuit in cruce, manducatur & poſt reſurrectionem.* Hæc omnia figurate ab illo Patre dicuntur. Et verum quidem eſt mãducari poſt reſurrectionem, ſed ſpiritaliter quantum ad corpus ipſum, corporaliter vero quantum ad ſignum, id eſt, panem qui figura carnis eſt ejus. Ita Patres alii dixere τὸ λόγον θεοῦ ἐσθίεσθαι, non proprie ſed improprie, non enim poteſt edi Deus Verbum, nec dentibus conteri. Figura eſt etiam quod loquutus eſt idem Pater non proprietas cum dixit, *non aliud eſſe quod percipitur quam illud corpus quod morte ſuperius evaſit & vitæ noſtræ primordia auſpicatum eſt.* Οὐδὲ γὰρ ἄλλο τὸ μεταλαμβανόμενον ἐστὶν ἢ ἐκεῖνο τὸ σῶμα ὃ τοῦ θανάτου κρεῖττον ἐδείχθη, καὶ τῆς ζωῆς ἡμῶν προκατήρξατο. Nullum ex Patribus Græcis locum illi Aphtartiſtæ producebant ex quo conficeretur panem Euchariſtiæ & calicis ſacramentalis vinum eſſe ἄφθαρτα. Sed neque verba Eutychii quæ ibidem à Niceta citantur tanquam ab illis prolata ad ſuæ opinionis firmamentum, quidquam tale evincunt. Ex communi

muni Græcorum ſententia nullam in ſymbolis ſubſtantiæ mutationem fieri plane eadem adſtruunt, ſed virtutem corporis incorruptibilis Chriſti, & ſanguinis indi antitypis, id eſt, pani & vino, per conſecrationem. Non enim alium ſenſum habent hæc verba, quæ ſic apud Nicetam legenda ſunt. Μηδεὶς οὖν ἀμφιβολίαν ἐχέτω τὸ ἄφθαρτον μετὰ τὴν μυστικὴν ἱερουργίαν, καὶ τὴν ἁγίαν ἀνάτασιν, καὶ ἀθάνατον σῶμα, καὶ ἅγιον, καὶ ζωοποιὸν αἷμα τοῦ κυρίου τοῖς ἀντιτύποις ἐντεθέμενον διὰ τῶν ἱερουργῶν ἔλαττον τῶν προειρημένων παραδειγμάτων τὰς οἰκείας ἐναπομάγνυσθαι δυνάμεις. *Nemo igitur ambigat quin incorruptibile poſt myſticam conſecrationem, ſanctamque elevationem, & immortale corpus cum ſancto & vivifico ſanguine, per Sacerdotes impoſitum antitypis, non minus quã prædicta exẽpla proprias impreſſas habeat virtutes.* Peſſime ab interprete viro alioquin docto hæc reddita fuere. Perperam legitur in Græcis, διὰ τῶν ἱερουργιῶν, pro διὰ τῶν ἱερουργῶν, id eſt, per Sacerdotes. Nam jam præceſſerat, μετὰ τὴν μυστικὴν ἱερουργίαν. Male etiam editum eſt, μετὰ τὴν ἁγίαν ἀνάστασιν pro ἀνάτασιν. Intelligit elevationem ſive ὕψωσιν quæ etiam in Eccleſia Græca uſurpabatur in illis temporibus. Non tamen Eutychius ille cujus locum recitat Nicetas poteſt idem videri cum magno Eutychio qui interfuit Concilio Conſtantinopolitano ſecundo. Nunc mentem hujus Eutychii videamus. In præcedentibus uſus fuerat comparatione ac ſimilitudine ſigilli quod idem manet poſtquam ectypam impreſſionem ſuam indidit ceris ſuſci-

ſuſcipientibus, nec ullam propterea mutationem aut diminutionem patitur, quamlibet plura ſint corpora quibus idem ſignaculum imprimitur. Ita ut vocem ab aliquo prolatam & in aërem ſparſam omnium audientium auribus accidere ſine ullo detrimento cujuſquam, ſed ſolidam integramque ad omnes pervenire. Ad hunc plane modum ſcribit & totum corpus Chriſti ſumi, & totum ſanguinem quamvis particula ex utroque accipiatur. Nam partiri in omnes impartibiliter διὰ τὴν ἔμμιξιν. Hoc plane eſt quod dixit auctor libelli de cœna. *Aequa omnibus portio datur, integer erogatur, diſtributus non demembratur, incorporatus non injuriatur, recipitur non includitur.* Poſtremo ſubjungit Eutychius, non dubitari debere quin poſt myſticam conſecrationem corpus incorruptibile & immortale Chriſti, item ſanctus & vivificus ejus ſanguis imprimatur & indatur antitypis, id eſt, pani & vino, ut ſignaculi imago ſolet imprimi ceræ. Illa imago plane ἐκτύπωμα eſt, impreſſione expreſſa, quæ non poteſt eſſe una & eadem cum ipſo τυπωτηρίῳ, vel σφραγῖδι quæ ſignum imprimit. Corpus autem Chriſti immortale quod imprimi dicit antitypis de virtute corporis intelligendum eſt, quæ immortalis eſt & æterna, atque incorruptibilis. Ridiculum quippe eſſet, ſi quis acciperet ipſum corpus immortale & æternum Chriſti pani imprimi. Sola virtus eſt quæ imprimitur, ut

etiam paulo poſt clarius expreſſit, cum dixit de corpore & ſanguine ea ἀντιτύποις ἐντεθειμένα τὰς οἰκείας ἐναπομένειν δυνάμεις, antitypis ſive ſymbolis impoſita proprias virtutes in iiſdem impreſſas relinquere. Non igitur ipſa ἀντίτυπα ſunt ἄφθαρτα, ſed virtus iis impreſſa incorruptibilis & æterna, utpote ab æterno & incorruptibili corpore Chriſti indita. Ea eſt virtus quam & *gratiam* vocabant & è cœlo deſcendere opinabantur cum omni antiqua Eccleſia qui eo tempore corruptibile eſſe ſacramentum, ut eſt viſibile & ſenſibile, contendebant. Καὶ ἡ τῶν θείων μυστηρίων ἐνέργεια, διὰ τῆς πρὸς τὸν θεὸν εὐχῆς καὶ ἐπικλήσεως καὶ ἐπελεύσεως τῆς ἐξ οὐρανοῦ χάριτος πληροῦται. *Et divinorum ſacramentorum operatio per precem ad Deum fuſam & invocationem, & deſcenſum è cœlo gratiã impletur.* Quæ veriſſima fuit de his myſteriis, & ſana orthodoxaque ſententia & antiquorum Patrum ſcriptis conſona, quam tamen pro hæretica plures illius temporis in Græcia homines habebant, & ipſe Nicetas illis etiam imperatorem ſuum calculum refert addidiſſe eamque condemnaſſe, ac τῇ κρείττονι δόξῃ προστεθῆναι. Sed illam opinionem Græcorum quæ tunc prævaluit, atque obtinuit in Græcia multum diverſam fuiſſe à Latinorum Transſubſtantiatione infra docebimus. Alii dicebant ideo ἄφθαρτον videri quod in cœna ſumitur, quia ex ejus communione & unione incorruptibilis ho-

mo

mo redditur, &in divinam naturam immutatur. λέγοντες ἐξ αὐτῆς ἑνώσεως καὶ κοινωνίας ἠφθάρθαι τὸ κυριακὸν ἄνθρωπον καὶ ἀναλυθῆναι εἰς θεότητα, καὶ διὰ τοῦτο φρονοῦντες καὶ τὸ μεταλαμβανόμενον ἄφθαρτον εἶναι. Atqui virtus eſt ſacramenti quæ eam nobis immortalitatem & incorruptibilitatem conciliat non ipſum ſacramentum quod corruptibile eſſe conſtat, cum res ipſa ſacramenti, id eſt, ſpiritalis gratia ſit incorruptibilis ſola. Non ipſa autem perceptio hujus ſacramenti nos magis immortales reddit, quam verbum ipſum Dei auditum, & cum fide acceptum. Nam & *panis vitæ* dicitur apud Iohannem, ut omnes fere Patres interpretantur, ὁ θρεπτικὸς τοῦ θεοῦ λόγος, ἄρτος ἐστὶ ζωῆς. Sed & carnem Chriſti manducare dicuntur & ſanguinem ejus bibere qui in eum credunt, & verbum ejus audiunt. Non per ſe igitur ſacramenta illa corporis & ſanguinis ad immortalitatem nos evehunt, ſed ex fide id habent quæ in his percipiendis adhibetur, quia ſine fide hæc ſacramēta nihil proſunt, & fides ſine ſacramentis ad ſalutem & vitam æternam abunde eſt efficax. Nam & multi inter Pontificios crediderunt non eſſe medium ſimpliciter neceſſarium ad conferendam primam gratiam, neque ad eam in finem conſervandam. Nec proinde eſſe neceſſariam ad ſalutem neceſſitate medii. Sed hæc diſcuſſio non eſt hujus loci. Quod viſibile porro eſt in hoc ſacramento & ſenſibile, idem quoque eſſe corruptibile, nempe

Digitized by Google

panis & vini etiam conſecrati ſubſtantiam, ex eo liquet, quia non cõvertitur in corpus & ſanguinem Chriſti. Et recte ita argumentabantur qui contra Ἀφθαρτιστὰς diſputabant, ſi incorruptibile eſt ſacramentum, etiam inviſibile & impalpabile eſſe oportet. Viſibile autem eſt & palpabile, ergo & corruptibile. Εἰ γὰρ ἦν ἄφθαρτον, ἦν ἂν καὶ ἀναφὲς καὶ ἄθικτον. Inter Epiſtolas Zonaræ nondum editas una eſt ſicut teſtatur Caſaubonus qui vidit, cujus argumentum, εἰ φθαρτὴ ἐστὶν ἡ ἁγία τοῦ Χριστοῦ μετάληψις, εἴτε καὶ ἄφθαρτος. *Utrum corruptiva ſit ſancta Chriſti participatio, an incorruptibilis.* Ubi μετάληψιν poſuit, ἀντὶ τοῦ μεταλαμβανομένου ἄρτου. Alia ratione illi Græci ἄφθαρτον aſſerunt, alia Latini. Iſti quia ſubſtãtia panis quę corruptibilis eſt ſua natura, deſinit eſſe, ideo cũ nihil ſit in hoc ſacramẽto amplius corruptibile, totũ adſtruunt incorruptibile, illi vero quia hypoſtatica unitate credebant jungi divinitatẽ ſive divinam corporis ſubſtantiam cum ſpecie corruptibili, idcirco cenſebant quod eſt in Euchariſtia corruptibile quaſi incorruptionem induere propter ei adnexam divini ſpiritus gratiam. Ita Chriſtum induimus per baptiſmum abſque ulla ſubſtantiæ mutatione. Ita apud Paulum 1 ad Cor. cap. XV. verſ. LIII. *Corruptibile induit incorruptionem, & mortale immortalitatem.* Quod non fit ſine mutatione, ſed non tali quæ naturam & ſubſtantiam vertat. Tranſitus quidem ipſe corruptibilitatis eſt ad incorruptibilitatem

&

& mortalitatis ad immortalitatem immutatio eſt, non de ſubſtantia corporis in aliam ſubſtantiam, ſed de animali corpore in ſpiritale. Σπείρεται σῶμα ψυχικόν, ἐγείρεται πνευματικόν, ut ſcribit idem Paulus in eadem Epiſtola, *Seritur corpus animale, reſurgit ſpiritale.* Eodem loco ait, ſe myſterium Corinthiis dicere, *quod omnes quidem moriemur, ſed non omnes immutabimur.* Vbi varietas lectionis etiam olim reperta eſt in exemplaribus quæ extabant tempore Hieronymi, ſic ut ipſe notat in Epiſtola ad Minerium & Alexandrum. Nam alii codices legebant, *Omnes quidem dormiemus, non autem omnes immutabimur.* In aliis ſcriptum erat, *Non omnes dormiemus, omnes autem immutabimur.* Alia eſt etiam Scripturæ diverſitas quam produnt antiquiſſima exemplaria non ab Hieronymo obſervata, πάντες ἐγερθησόμεθα, οὐ πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα, quam vetus interpres vulgaris videtur etiam in ſuis reperiſſe cum reddidit, *Omnes quidem reſurgemus, non omnes autem immutabimur.* Cujus lectionis idem ſenſus eſt quæ illius alterius, πάντες κοιμηθησόμεθα. Nam omnes qui dormiunt, id eſt, moriuntur, utique reſurgent, ſed non omnes immutabuntur, ut mors ac reſurrectio communis ſit omnium tam bonorum quam malorum, immutatio autem in melius, & glorificatio propria Sanctorum. Iuxta quam ſententiam ſequitur apud Paulum, *& mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Quod pleri-

que interpretantur veterum de mortuis peccatoribus qui reſurgent incorrupti ut poſſint ſufficere æternis ſuppliciis quibus addicentur, eos autem qui immutantur eſſe juſtos qui transferuntur in vitam æternam in gloria agendam. Quidam incorruptos reſurgentes de corporibus mortuorum intellexere, eos autem qui immutandi ſunt de animabus debere accipi, quia in gloriam tranſeunt, non ſolum incorruptionem conſequuntur. Quocunque intelligatur modo hęc incorruptio & immutatio corporum, non mutata ſubſtantia corporali eam fieri certũ eſt. Hæc ἀλλαγὴ dicitur quæ eſt commutatio qua nummus nummo permutatur, aureus argenteo, non ἀλλοίωσις nec τροπή. Eadem ſubſtantia eſt nummorum quorum eſt idem pretium. Dicitur & μεταστοιχείωσις, ut ſupra notavimus. Ita & mundus qui & ipſe eſt immutandus, & ad æternitatem transferendus, non tranſſubſtantiabitur, ſed ἀλλαγήσεται. In Apocalypſi habemus καινὸν οὐρανὸν καὶ καινὴν γῆν, & πρῶτος οὐρανὸς παρῆλθε καὶ πρώτη γῆ. Quæ contra illos faciunt, qui opinantur mundum ἄφθαρτον eſſe & ἀνώλεθρον. Qui ſtatuunt corruptibilẽ eſſe, & immutatum iri ad incorruptibilitatem, hanc mutationem Patres μεταστοιχείωσιν vocarunt. Vt Euſebius Epiſcopus Theſſalonicenſis apud Photium: Ἡ δὲ λεγομένη πρὸς τὸ ἀΐδιον τοῦ κόσμου μεταστοιχείωσις. Naturalis porro & ſupernaturalis diviſio etiam locum habet in Euchariſtiæ ſacramento. Naturalis res eſt pa-
nis

nis ſive ſacramentum, ſupernaturalis id quod eo ſignificatur, nempe corpus Chriſti. Naturalis autem in ſupernaturalem ſubſtantiam mutatio dari non poteſt, ſed poteſt fieri ut quod ſupernaturale eſt una ſit, & in eadem ſede moretur cum naturali. Partibili etiam & impartibili re conſtare Euchariſtiam dicamus cum veteribus. Quod ſubſtantiæ converſionem alterius in alteram refutat. Partibilis eſt panis qui in plures frangitur & diſtribuitur, impartibilis gratia, quæ ſacramento adjuncta eſt. Totum Chriſtum in corde ſumimus, partem corporis ejus per ſacramentum ore accipimus. Auguſtinus apud Bedam in 1. ad Corinthios cap. x. *Per partes manducatur, & manet integer totus. Per partes manducatur in ſacramento, & manet integer totus in cœlo, per partes manducatur in ore tuo, & manet totus integer in corde tuo.* Idem Epiſtola LXXXVI. *Ait ceßiſſe pani pecus tanquam neſciens, & tunc in Domini menſa panem propoſitionis poni ſolere, & nunc ſe de agni immaculati corpore partem ſumere.* Clemens Alexandrinus Stromateon libro primo: Ἤ καὶ τὴν εὐχαριστίαν τινὲς διανείμαντες, ὡς ἔθος, αὐτὸν δὴ ἕκαστον τοῦ λαοῦ λαβεῖν τὴν μοῖραν ἐπιτρέπουσιν, *partem ſuam cuique ſumere permittunt.* Totum percipimus Chriſtum per gratiam, partem corporis ejus per ſacramentũ. Nam unus panis de quo plures participant fideles, corpus Chriſti repræſentat, ſinguli fidelium qui partẽ de eo accipiunt totidem

teger totus. Cum Chriſtus inſtituit hoc ſacramẽtum corporis & ſanguinis ſui ſub ſymbolis panis & vini ad memoriam paſſionis, qua ſe morti pro nobis obtulerat poſteritati fidelium tradẽdam, panẽ accepit & fregit. Panis ille fractus corporis ejus frangendi figuram geſſit, & quidem totus, non ſingulæ particulæ ex eo defractæ, & diſcipulis datæ. Ita & in Paſchate legali celebrando ſolebat paterfamilias unum panem frangere, & convivis ſingulis dividere inde buccellas magnitudine olivæ. Similiter & poculum tradendo, cum bibere juſſit ex eo omnes, totum vinum quod diſcipulis bibendum tradidit ſanguinis ſui effundendi typum gerere voluit, non eam portionem quam ſinguli exhaurirent. Πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες dixit, ut per partes manducatur, ita & per partes bibitur Chriſtus. Totus panis qui ſic erogatur per partes figuram habet corporis Chriſti, & totum vinum de quo omnes participant, figuram ſanguinis ejus. In ſacramento non eſt totum ſed in cœlo eodem Auguſtino teſte. In ſacramento ſanguis à corpore ſeparatur non in cœlo. At non ſeorſim in corde ſumentis ſanguis & caro, ſed corpus integrum. Cum dicit igitur Auguſtinus totum in corde eſſe Chriſtum qui per partes manducatur in ſacramento, ſatis oſtendit extra uſum ſumentium, non eſſe in corde totũ qui per partes in ore ſumitur. Falſa itaque doctrina hodierna Pontificia quæ ſtatuit extra uſum ſumendi quodcunq;

ex eo fiat, non ſolum eſſe totum in parte quam ſinguli fideles accipiunt, ſed etiam in qualibet minima illius partis particula quāvis ἄτομος ſit. Quæ opinio eſt fanatica & nulla veriſimilitudine, nedum ulla veritate, nixa. Quo facilius autem ſtultis & idiotis perſuaderent etiam totum Chriſtum in ſacramento ſumi, ſicut totus eſt in cœlo, & totus eſſe in corde debet accipientium pro frúſtis vel buccellis ſive partibus ex integro pane defractis qui totus Chriſti corporis figuram referebat, panes integros finxerunt ſingulis dandos, ut videretur in ea forma rotunda, & imagine Chriſti figurata, totum corpus Chriſti contineri quale in cœlo eſt apud Patrem, & quale venit in Virginem. Adeo autem verum eſt ex veterum Patrum ſententia Euchariſtiam non ſolum ex cœleſti ſed etiam ex terrena re conſtare, & in ſubſtantia panis hoc ſacramentũ conſiſtere cui profeſſione Chriſti, & vi ipſius ſacramenti virtus divini corporis adjuncta ſit, ut crediderit omnis Eccleſiæ antiquitas ea ſumpta jejunium ſolvi. Id quod in Epiſtola abunde docuimus, ſed ſtultis non ſatisfecimus qui de jejunio obiter à nobis aliquid ibi dictum tractatumque ſine reprehenſione non tulerunt, quaſi digreſſio ea eſſet ab argumento quod ſuſceperam. Cum putarunt ergo antiqui Patres participatione Euchariſtiæ ſolvi ſolere jejunium ex eo judicaſſe eos apparet, aliquid in eo ſacramento accipi quod prohiberet eſſe jejunum,

num, & quod more cibi communis non ſolum in ventrem & veſicam iret, ſed etiam in ſellam familiaricam & matulam. Ea de cauſa diebus Dominicis quibus non jejunabant matutino tempore Euchariſtiam celebrabant. Iejuniorum diebus prout ea eſſent longiora vel breviora, qua hora erant finienda, ea hora conveniebant ad conventum Eccleſiaſticum, & ſacramentorum communionem, qua accepta jejunium ſolvebatur. In Stationibus, hoc eſt, jejuniis ordinariis καὶ τεταγμένοις ſextæ & quartæ feriæ quia hora nona finiebantur, ideo & hora eadem ad ſynaxim veniebant, non prius quidquam guſtaturi cibi aut potus. Prudentius qui vixit ſæculo ſexto de martyrio Fructuoſi:

Quoſdam de populo videt Sacerdos
Libandum ſibi poculum offerentes
Iejunamus, ait, recuſo potum
Nondum nona diem reſolvit hora.

In Sabbatis hora ſexta, vel paulo ante ſextam, celebrabatur Synaxis apud eos qui jejunium illius diei uſque ad ſextam aut ſeptimam extendebant. Nolebant Græci totum diem Sabbathi jejunio eſſe extrahendum, ſed concedebant in eo jejunari uſque ad ſextam vel ſeptimam. Vetus ἔκθεσις πίστεως ex Actis Nicæni concilii I. Τὸ σάββατον μὴ νηστεύειν ὅλην τὴν ἡμέραν, ἀπρεπὲς γὰρ ἐὰν ἐχῃ ὅλην τὴν ἡμέραν τοῦ σαββάτου νηστείας μέχρι δυσμῶν ἡλίου· ἔξεστι δὲ ἕως ὥρας ἕκτης ἢ ἑβδόμης. *Die*

Sabbati

Sabbathi ne jejunaveris eum totum. Indecens quippe eſt ſi toto eo die jejunes, ſed licet uſque ad horam ſextam, id eſt, meridiem, vel ſeptimam. Omnino inalieni conventus fiebant quia eo die nefas omnino jejunare. Qui uſque ad ſolus occaſum jejunabant, ἐν προσαμφίοτως, ſi jejunium ſuum votivum incideret in eum diem quo ad horam uſque ſextam, aut nonam jejunia Eccleſiæ ſollemnia & ἁπλῶς prorogabantur, Euchariſtiam in templo ſumptam domum ferebant, ut qua hora inſtituerant jejunium ſuum terminare eam ſumerent. Aliquando ὑπέρθεσις in Eccleſia celebrabatur, hoc eſt, jejunium uſque ad mediam noctam. Et nocturni conventus Euchariſtiæ participandæ gratia tum fieri ſoliti. VValafridus Strabo cap. XXIII. de tempore miſſæ: Interdum ante meridiem, interdum circa nonam, interdum ad veſperam, interdum noctu celebratur Miſſa. Eadem ἔκθεσις fidei: εἰ δὲ ὑπέρθεσιν δυνάσαι ποιεῖν πλείονα μισθὸν ἕξεις. Si ſuperpoſitionem potes facere, majorem accipies mercedem. Hoc eſt, *ſi unum diem cibo ſuperponere potueris.* In his voluntariis ſuperpoſitionibus reſervabant Euchariſtiam qui eam in Eccleſia acceperant, uſque ad mediam noctem. Ita conſtans tum fuit credulitas Euchariſtiæ ſumptione haud ſecus ac cibi communis, jejunium interpellari & finiri. Hæc opinio non ſolum ætate Tertulliani obtinuit in Eccleſia, ſed aliquot etiam ſequentibus ſæculis duravit

vit quamdiu nimirum creditum eſt panem eſſe verum & verum vinum, quæ ſumerentur ſacramenti nomine. Nunc vero pro ea quæ hodie viget perſuaſione ſcelus eſt opinari quod jejunantibus noceat ſumpſiſſe Euchariſtiam, ut fit quoties alius cibus communis ſumptus eſt. Terrena & materialis ſpecies & ſubſtantialis in hoc ſacramento, ut corpus alit carnemque auget & ſanguinem, ita etiam ne jejunus aliquis ſit, ſi ſumatur, interpellat, atque ita jejunium ſolvit. Si ſola adeſſet divina quæ per precationem acceſſit & ſacramentum conficit, tum jure meritoque dici poſſet jejunii ab non ea provenire impedimentum nec ſolutionem, utpote quæ animæ tantum cenſeatur pabulum ſpiritale. Origenis in Matthæum locus inſignis eſt, de iſta diſtinctione τοῦ ὑλικοῦ in pane ſanctificato, & τοῦ πνευματικοῦ. Sic enim habet: *Quod ſi quidquid ingreditur in os in ventrem abit, & in ſeceſſum ejicitur, & ille cibus qui ſanctificatus per verbum Dei juxta id quod habet materiale in ventrem abit, & in ſeceſſum abjicitur. Cæterum juxta precationem quæ illi acceſſit proportione fit utilis, efficiens ut perſpicax ſit animus ſpectans ad id quod utile. Nec materia panis ſanctificati, ſed ſuper illum dictus ſermo qui prodeſt non indigne comedenti illum.* Qui indigne autem comedit, ſolam eam partem quæ materialis eſt, hoc eſt, panem ſolum accipit, ſive ſacramentum, ut loquitur Auguſtinus,

non rem ſacramenti: & panem Domini, ut idem alio loco ait, non panem Dominum. Rupertus Abbas ex recentioribus, lib. II. cap. IX. *In illum in quo fides non eſt, prater viſibiles ſpecies panis & vini, nihil de ſacrificio pervenit.* Et paulo poſt: *Panis ergo inviſibilis qui de cœlo deſcendit, vita eſt: panis viſibilis qui de terra crevit, unus tamen panis eſt, quomodo qui de cœlo deſcendit; & qui conceptus, & natus eſt de utero virginis, Chriſtus unus eſt. Quapropter qui viſibilem panem ſacrificii comedit, & inviſibilem à corde ſuo non credendo repellit, Chriſtum occidit, quia vitam à vivificato ſejungit, & dentibus ſuis mortuum laniat corpus ſacrificii, atque per hoc reus eſt corporis & ſanguinis Domini.* Ergo & panis eſt viſibilis in Euchariſtia & inviſibilis, terrenus & cœleſtis, corporalis & ſpiritalis. Idem capite eodem circa initium ubi tractat de materia & ſubſtantia ſacrificii, non ſimplicem eſſe dicit, ſicut nec pontifex ipſe, id eſt, Chriſtus ſolius divinæ, vel ſolius humanæ ſubſtantiæ eſt. *Eſt enim*, inquit, *tam in Pontifice quam in ſacrificio divina ſubſtantia & terrena. Terrena in utroque eſt id quod corporaliter vel localiter videri poteſt: divina in utroque verbum inviſibile eſt, quod in principio Deus erat apud Deum.* Quod terrenum itaque in hoc ſacramento Euchariſtiæ, idem quoque & corruptibile eſt, & ex duabus etiam partibus conſtat, alibili & excrementicia. Cætera omnia inde conſequuntur, quæ rei terreſtri

reſtri conveniunt, de quibus dictum eſt. Sumo igitur & concludo ex antedictis omnibus, in ſigno terreſtri, viſibili, ſenſibili, palpabili, naturali, corporali, mortali, corruptibili, partibili, citra ullam naturæ ejus ſive ſubſtantiæ formæve immutationem rem à fidelibus accepi impartibilem, incorruptibilem, immortalem, ſpiritalem, ſupernaturalem, inpalpabilem, intelligibilem, inviſibilem, & uno verbo cœleſtem, id eſt, corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui dixerunt ex Patribus *in pane* eam ſumi neſcierunt prorſus Tranſſubſtantiationem hodiernam tam re quam nomine. Nam ſine pane eſſe quod ſumitur, hodierna ſancit doctrina. Tertullianus de Oratione corpus *in pane cenſeri* ſcripſit: *Tum quod & corpus ejus in pane cenſetur. Hoc eſt corpus meum.* Id eſt, conſiſtit, eſt in pane. Quod Græci dicerent, ἐν ἄρτῳ ἐξετάζει. Ita idem alio loco dixit, *Scythas ſub axe frigido cenſeri.* An cenſeri poteſt in pane aliquid, ubi panis non eſſe cenſeatur, ſicut hodie à Romanis creditur? Auguſtinus in ſermone ad infantes: *Hoc accipietis in pane quod pependit in cruce, hoc accipietis in calice quod effuſum eſt de Chriſti latere.* Victor Antiochenus cujus locum ſupra jam attulimus, ὃ δὴ καὶ ἐχρηματίσθη εἰς εὐλογίαν ζωοποιὸν ἐν ἄρτῳ τε καὶ οἴνῳ. Eadem prorſus habet & Cyrillus in Epiſtola ad Caloſyrium: *Quæ accepimus in benedictionem vivificativam in pane & vino.* Cyril-

lus alter Hieroſolymitanus ἐν τύπῳ ἄρτου καὶ οἴνου dixit, quod liceat Latine reddere, *in ſpecie panis & vini.* Nam & *ſpecies* aliquando accipitur pro typo & figura. Ἐν τύπῳ γὰρ ἄρτου δίδοταί σοι τὸ σῶμα, καὶ ἐν τύπῳ οἴνου δίδοταί σοι τὸ αἷμα. *In ſpecie vel figura panis datur tibi corpus Chriſti, & in ſpecie vini datur tibi ſanguis ejus.* Quod non ita intelligendum quaſi in pane detur tantum figura & ſuperficies panis inanis & ſubſtantiæ expers, ſed panem qui datur, figuram eſſe ac ſpeciem corporis Chriſti. Ac proinde in pane corpus dari, quia ſignum ſit & figura corporis. VValafridus Strabo capite XVI. libri de rebus Eccleſiaſticis, *In panis & vini ſubſtantia* à Chriſto tradita fuiſſe corporis & ſanguinis ſui ſacramenta ſcripſit, tantum abeſt, ut ſubſtantiam ab his abeſſe crediderit, aut panem & vinum in corpus & ſanguinem Tranſſubſtantiata. *In Cœna ſiquidem,* inquit, *quam ante traditionem ſuam ultimam cum Diſcipulis habuit, poſt Paſcha veteris ſolemnia, corporis & ſanguinis ſui in panis & vini ſubſtantia eiſdem Diſcipulis tradidit, & ea in commemorationem ſanctiſſimæ ſuæ paſſionis celebrare docuit.* Veteres qui in *ſpecie* vel *ſub ſpecie* panis & vini inſtituta, aut tradita ea ſacramenta dixere, idem omnino intellexiſſe cenſendi ſunt, quod Strabo qui *ſubſtantiam panis & vini* nominavit. Nam panis ſpecies eſt, & vinum ſpecies, utraque nimirum ſubſtantia nutritiva. Græci Gloſſatores, ἄρτος, εἶδος. In-

de

de *ſpecies annonaria* apud auctores juris & alios paſſim, inter quas vinū & panis ſive frumentum præcipuæ ſunt. Gregorius de Valentia talem proponit Euchariſtiæ definitionem, *eſſe nimirum ſacramentum corporis & ſanguinis Domini in ſpecie panis & vini divinitus inſtitutum ad alimentum ſive refectionem ſpiritalem animorum.* Omnes diſſentientium partes in hanc definitionem convenire poſſunt, ut & ipſe profitetur dum ita ſacramentum iſtud deſcribitur in notione quadam generali, & modo loquendi communi. Præcipua difficultas, ubi quis deſcenderit ad ea de quibus diſputatur, in illis verbis conſtabit, *in ſpecie panis & vini*, quomodo intelligenda ſint. Pontificii dicent panis & vini extimam ſuperficiem intelligi debere ſine re & ſubſtantia, non corpora vini & panis, ſubſtantiamque eorum nomine ſpeciei eſſe accipienda. Hæc igitur erit quæſtio utri melius, & magis ex veterum ſententia, & notione Latinorum, eam vocem ſumant. Nam & antiqui paſſim eo vocabulo utuntur in hujus ſacramenti natura & ſubſtantia explicanda. Si per ſpeciem itaque illi intellexerunt id quod ſolum cadit ſub aſpectum, ſed inane de cætero, & re vacuum, utpote ſoliditatis expers, & ſubſtantia caſſum, ut ſunt accidentia quæ dicuntur Philoſophis, non ἡμέτερος eſt ὁ πυραμοῦς, ſed adverſariorum. *Speciem* Iuriſconſulti, ut & vulgus Latinorum, proprie poſuere, pro omni cor-

 pore

pore vel quacumque re cujus uſus eſt aliquis non ſolum in victu & potu, ſed etiam in omni negotio & commercio quo vita hominum conſtat. Hinc *publicæ ſpecies*, & *fiſcales*, & *largitationales*, quæ in Comitis Largitionum erant poteſtate, quæque ad officium ejus pertinebant. In Codice Theodoſii de curſu publico, *Sane angariarum curſum ſubmoveri non oportet, propter publicas ſpecies quæ ad diverſos portus deferuntur.* Eodem Titulo leg. LXVII. vocantur largitionales, *Vt aurum cæteraque ſpecies largitionales non ad libidinem proſequutorum vel ſuſceptorum, ſed aptis oneri ac ponderi vehiculis deferuntur.* Aurum igitur ſpecies eſt. Sed & gemmæ, ut cõſtat ex veteri Orbis deſcriptione, ſub Conſtantio ex Græco concinnata auctore, de Seribus: *Non ſeminant neque arant. Sunt enim ſpecies excellentes variæ & pretioſæ, veluti lapides pretioſi, hoc eſt, ſmaragdi, margaritæ, hyacinthi, & carbunculus, & ſapphirus in montibus, & inde omnes exeunt.* Aromata etiam omne genus, ſpecies ſunt. Idem auctor de Alexandria: *Omnes autem ſpecies in aromatis aut aliquibus negotiis barbaricis in ea abundant.* Inde hodieque Galli idiomate ſuo aromata vocant *ſpecies, Eſpices.* Et *ſpeciarium*, hoc eſt, aromatarium vel pigmentarium qui ea vendit. In eodem capite & *chartam* quæ conficiebatur ex papyro in Ægypto *ſpeciem* appellat, *Et quid eſt quod ſic à nobis laudatur? Chartam, quod ipſa faciens, & omni mundo emittens, utilem*

lem ſpeciem omnibus oſtendit. De Epiro loquens piſcem marinum qui in ea abundat, *ſpeciem* nuncupat. Paulo poſt de Dalmatia caſeum, tigna ad ædificandum apta, & ferrum *ſpecierum* nomine indigetat: *Poſt hanc paulo ſuperius Dalmatia eſt, quæ in negotiis eminens eſſe dicitur, caſeum itaque Dalmatium, & tigna tectis utilia, ſimiliter & ferrum, tres ſpecies cum ſint utiles abundanter emittit.* Nummi etiam Iuriſconſultis ſunt ſpecies, nempe corpora ſingula nummorum quæ in mutui contrahenda obligatione alienantur, quæque opponuntur quantitati, hoc eſt, numero, ponderi & menſuræ in quibus mutuum conſiſtit, & ad quæ contrahitur ipſa obligatio mutui, & proinde non alienantur, ut ſtulti Doctores hoc tempore opinantur. Hodie quoque Galli *ſpecies* appellant monetæ genera varia, *Eſpeces.* Quæ ad victum pertinent, tam hominum quam animalium, eæ ſunt Iuriſconſultis & aliis auctoribus *annonariæ ſpecies*, ut paulo ante dixi. Sic fœnum, hordeum, capita jumentorum, & quibuſcunque vita continetur, ſpecies ſunt, nihilque frequentius occurrit in Codice. Interdum abſolute *ſpecies* nominantur. Vnde Titulus in eodem Codice, *ut nemini liceret in coëmptione ſpecierum ſe excuſare, & de munere Sitoniæ.* Vbi ſpecies annonariæ intelligi debent. Lex ipſa frumenti & aliarum ſpecierum comparationem interpretatur. Item apud Arcadium leg. ultim. D. de muneribus & hono-

ribus: *Cura quoque emendi frumenti, olei. Nam harum ſpecierum curatores quos* σιτώνας *&* ἐλαιώνας *adpellamus, creari moris eſt.* Item lege unica Cod. de conditis in publicis horreis, *ſi forte vetuſtate ſpecies ita corrupta eſt.* Multi loci ſunt in Codice Theodoſiano ac Iuſtiniano & aliis auctoribus ubi hoc ſenſu *ſpecies* dicta occurrit, ut ſpecies vini, ſpecies olei, ſpecies tritici. Caſſiodorus l. XII. *Laridi atque tritici ſpecies nullis temporibus coëmptionis nomine inde decernimus poſtulari.* Vegetius libro III. capite III. *Sollers eſſe debet tractatus ut pabula, frumentum cæteraque annonariæ ſpecies quas à provincialibus conſuetudo depoſcit, maturius exigantur.* Titulus eſt in Codice Theodoſio quo jubentur tributa in ipſis ſpeciebus inferri, nempe ut non pretia ſpecierum, ſed ipſæ ſpecies quæ poſtulantur inferantur. Lege II. eodem Titulo *ſpeciem vini* pro vino appellavit, *commoda cogitantes urbis æternæ, vini ſpeciem ita provinciales ſtatuimus comportare ut apochandi licentia damnata vina Romam portentur.* Plura non adponam. An alia, quæſo te, *ſpecies vini* intelligenda cum dixit Gaudentius Brixianus, *vini ſpecie ſanguis ejus exprimitur*, quam in illa lege Theodoſii? Item apud Ambroſium Serm. XXI. de die ſancto Epiphaniæ: *Plerique in hac ſancta Epiphaniæ die hactenus à Domino mirabilia facta eſſe commemorant, ut rogatus ad nuptias aquæ ſubſtantiam in vini ſpeciem commutaret.* Vini ſpecies vinum eſt, ut *tritici ſpecies* triticum, more

loquendi

loquendi Latinis tunc uſitato. Ergo *in ſpecie* panis ſacramentum eſt corporis Chriſti, id eſt, in pane: *In ſpecie* vini ſacramentum ejus ſanguinis, id eſt, in vino. *Speciem* ita Patres uſurpaſſe ut ſuo tempore hæc vox ſumebatur, ſi non conſtaret, probandum foret. Vno & altero teſtimonio id evincere ſatis fuerit, Ambroſius in libro de iis qui myſteriis initiantur, *ſpeciem* nominat panem ante conſecrationem. Nondum igitur ſubſtantiam ſuam perdiderat, ſed ipſum corpus panis ita vocat his verbis: *Ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur. Poſt conſecrationem corpus ſignificatur.* Ante benedictionem nominatur panis. Hæc eſt ſpecies alia. Ex quo apparet, & ipſum Chriſti corpus eodem nomine intelligi velle cum dicit, *alia ſpecies.* Vult enim plane ante conſecrationem aliam ſpeciem nominari, nempe panem: poſt conſecrationem, aliam, nempe corpus Chriſti. Auguſtinus in Expoſitione in Pſalmum LXXXII. *Speciem* appellat ipſam carnem Chriſti, ſubſtantiam ejus nimirum corporalem. Poſtquam docuit ex Apoſtolo etiam Iſraëlitas baptizatos fuiſſe per Moſem in nube & in mari, & omnes eundem cibum ſpiritalem manducaviſſe, & omnes eundem ſpiritalem potum bibiſſe, bibiſſe enim de conſequente eos petra, petram autem fuiſſe Chriſtum, ſubjicit: *Idem itaque in myſterio cibus & potus illorum qui noſter, ſed ſignificatione non ſpe-*

cie quidem idem. Ipſe Ieſus, illis in petra figuratus, nobis in carne manifeſtatus eſt. Vbi ſpeciem appellat ipſam Chriſti carnem. Significabatur in petra Iudæis Chriſtus, gentibus in carne manifeſtatus eſt, ita idem fuit Iudæis qui eſt nobis, ſed illis ſignificatione, nobis ſpecie. Ita εἶδος poſuerat Origenes Homilia ſeptima in Numeros, ut etiam ipſe fatetur Petronius Cardinalis pro ipſa ſubſtantia cum de hac ipſa re loqueretur: *Antea erat baptiſmus in ænigmate, in nube & in mari, nunc regeneratio eſt in ſpecie, in aqua & Spiritu Sancto. Tunc in ænigmate manna erat cibus, nunc in ſpecie.* Caro Verbi Dei eſt cibus, ut ipſe dicit his verbis. Græce dixerat, ἐν εἴδει. Nam & Græci paſſim τὰ εἴδη vocarunt res corporales tam edules quam non edules, tam quæ uſui ſunt quam quæ non uſui hominibus. Vetus Lexicon, ἄρτος εἶδος. Theophylactus eo plane ſenſu uſurpavit cum ſcripſit in Marcum XIV. Chriſtum in cœna τὸ εἶδος ἄρτου καὶ οἴνου φυλάττειν, *ſpeciem panis & vini conſervare*, id eſt, ipſam ſubſtantiam. Sic τὰ εἴδη paſſim apud Iuriſconſultos Græcos in Baſilicis quæ *ſpecies* ſunt annonariæ in Codice. Auctor libri de ſacramentis lib. IV. cap. IV. *Speciem ſanguinis* pro ipſa ſubſtantia ſanguinis poſuit: *Ergo didiciſti quod ex pane corpus fiat Chriſti, & quod vinum & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione. Sed forte dicas, ſpeciem ſanguinis non video. Sed habet ſimilitudinem. Sicut enim mortis ſimilitudinem*

ſumpſiſti,

ſumpſiſti, ita etiam ſimilitudinem pretioſi ſanguinis bibis, ut nullus horror cruoris ſit, & pretium tamen operetur redemptionis. In quibus verbis *ſpecies ſanguinis* omnino pro ſubſtantia ſanguinis ponitur, iiſque etiam manifeſtum fit, ita de vino ſanguinem fieri, ut vini ſpecies, id eſt, ſubſtantia maneat, nec in ſpeciem ſanguinis ſive ſubſtantiam vertatur. Similitudinem quippe tantum ſanguinis bibi qui pro nobis effuſus eſt, declarat, ſicut & ſimilitudo mortis ſumitur, cum panis in Euchariſtia ſumitur. *Sicut enim*, inquit, *ſimilitudinem mortis ſumpſiſti, ita etiam ſimilitudinem pretioſi ſanguinis bibis.* Sed verba illa, *ſimilitudinem mortis ſumpſiſti* de baptiſmo intelligenda ſunt, cui & ſacramentum corporis comparat, in quo ſimiliter & ſimilitudo carnis ſumitur, & ſimilitudo ſanguinis bibitur. Auguſtinus apud Gratianum, de conſecratione Diſtinctione II. can. LXXII. *Nihil rationabilius quia nos jam ſimilitudinem mortis ejus in baptiſmo accepimus, ſimilitudinem quoque carnis ejus ſumamus, & ſimilitudinem pretioſi ſanguinis ejus potemus, ut veritas non deſit ſacramento.* Victor Antiochenus eodem ſenſu dixit, ἐν τάξει αἵματος poculum nos debere cenſere, id eſt, in ſimilitudine ſanguinis, vice ſanguinis ducere, τὸ δὲ ποτήριον ἐν τάξει αἵματος ἡγεῖσθαι. Idem in pane & vino nobis hæc ſacramenta exhiberi dixit, ne horrore defixi ſtuperemus, videntes carnem & ſanguinẽ in ſacra menſa, ἐν ἄρτῳ τε καὶ

οἴνῳ

ὅπως ἵνα μὴ ἀποναρκήσωμεν σῶμά τε καὶ αἷμα προκείμενα βλέποντες ἐν ταῖς ἁγίαις τραπέζαις. Eadem eſt ratio quam reddidit Theophylactus ad eum locum Marci, cur Chriſtus ſpeciem panis & vini ſervavit, quia αἷμα προκείμενον καὶ σῶμα ὁρῶντες οὐκ ἂν ἰλιγγιῶμεν ἀλλ' ἀπεναρκήσαμεν. Alcuinus de divinis officiis *formam* dixit quod εἶδος eſt Theophylacto cum eandem vellet ſententiam exprimere. *Sed cum myſterium ſit*, inquit, *unde corpus & ſanguis Chriſti dicitur? Conſulens omnipotens Deus infirmitati noſtræ qui non habemus uſum comedere carnem crudam & ſanguinem bibere, facit ut in priſtina remaneant forma illa duo munera.* Formam intelligit plane ſubſtantialem & corporalem, quam etiam ibidem *ſpeciem corporalem* nominat, *Myſterium eſt quod aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur ſpeciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet ſpiritalem.* Hæc verba ex Auguſtino ſumpſit quæ ex ſermone de altari Domini citantur à Bertramo in libro de corpore & ſanguine Domini, jam ſupra à nobis producta. Hæc ſpecies corporalis πρᾶγμα vocatur Theodoreto, libro 1. de hæreſibus in hæreſi Aſcodrupitarum, qui negabant divina ſacramenta celebrari debere aut poſſe, cum ſymbola rerum ſint inviſibilium, per res ſive ſpecies corporales viſibiles: Οὗτοι δὲ φασὶ μὴ χρῆναι τὰ θεῖα μυστήρια ἀοράτων ὄντα σύμβολα δι' ὁρωμένων ἐπιτελεῖσθαι πραγμάτων καὶ τὰ ἀσώματα δι' αἰσθητῶν καὶ σωματικῶν. Ergo panis & vinum σωματικὰ ſunt &

πρά-

πράγματα, res corporales & ſpecies viſibiles, ut in Baptiſmo aqua. Ideo illi hæretici, οὔτε βαπτίζουσι τοὺς προσιόντας, οὐδὲ ἐπιτελεῖται παρ' αὐτοῖς τοῦ σώματος μυστήριον. *Nec tingunt qui ad ſe accedunt, neque apud hos corporis myſterium celebratur.* Cur hoc? Quia hoc myſterium in pane celebratur quod eſt σωματικὸν & αἰσθητὸν πρᾶγμα, res corporalis & ſenſibilis, & baptiſmi ſacramentum ſimiliter aqua peragitur, quod eſt ὁρώμενον πρᾶγμα & σωματικὸν, res viſibilis & corporea. Perfectam redemptionem & remiſſionem peccatorum conſtituebant in vera rerum cognitione, quæ cum ſpiritalis ſit, reſpuit & aſpernatur τὰ σωματικὰ & ἱερὰ τὰ σύμβολα & πράγματα. Similiter λύτρωσις quæ ex ea conſequitur, ſpiritalis eſt. Species ſunt ſubſtantiæ, tam divina & cœleſtis quam humana ſive terreſtris ex quibus Euchariſtia conficitur apud Cyprianum de unctione Chriſmatis, his verbis: *Quomodo vinum & panis caro eſſet & ſanguis, & quibus rationibus cauſæ effectibus convenirent, & diverſa nomina vel ſpecies ad unam reducerentur ſubſtantiam, & ſignificantia & ſignificata eiſdem vocabulis cenſerentur.* Hæc verba, *diverſa nomina & ſpecies*, ſunt diverſæ ſubſtantiæ ſive naturæ, diverſis vocabulis ſignatæ. Ab una parte, nempe panis & vini ſpecies, ab altera virtus divina & gratia. Quibus ex rebus duabus, conſtat ſacramentum Euchariſtiæ. *Species* ille vocavit, id eſt, naturas ſive ſubſtantias. Ex diverſis itaque ſpeciebus una conficitur eſſentia,

tia, nempe ſacramentum, ex re divina & terrena conſtans. Species igitur corporalis, corpus eſt, quod & *ſpecies* abſolute dicitur. Signa non ſunt niſi corporalia, res autem quæ iis ſignificantur ſpiritales ſunt non corporales, in ſacramentis præcipue. Vnde & Iſidorus qui ab Auguſtino vel ab alio antiquiore ſcriptore Eccleſiaſtio ea deſumpſit, Originum lib. VI. cap. XIX. *Sunt autem ſacramenta Baptiſmum & Chriſma, corpus & ſanguis Chriſti, quæ ob id ſacramenta dicuntur quia ſub tegumento corporalium rerum virtus divina ſecretius ſalutem eorundem ſacramentorum operatur, unde & à ſecretis virtutibus vel ſacris dicuntur.* Omnia hic primum quæ tunc habebantur in Eccleſia ſacramenta enumerat, nempe quatuor. Hæc duo ſunt tantum ſi corporis & ſanguinis ſacramentum pro uno computetur, Chriſma & Baptiſmum pro uno. Sacramenta ea dici aſſerit quod ſub tegumento corporalium rerum virtus divina lateat & operetur ſalutem ſacramento participantium. Non hæc autem ſic intelligenda quaſi tegumentum ſolum earum rerum corporalium, id eſt, exterior ſpecies, & ſumma ſuperficies remaneat pro ſacramento, ſed res ipſas corporales pro tegumento eſſe dicit virtutis illius ſecretioris quæ ſub illis operatur. Corporales igitur illæ res ſunt, σωματικὰ πράγματα in baptiſmo aqua, in Chriſmate oleum, in corporis ſacramento panis, in ſacramento calicis vinum.

num. *Speciem* alii vocant. Nam ſpecies ex uſu tunc Latine loquentium & ſcribentium res eſt quælibet corporalis. Idem igitur dixiſſet Iſidorus ſi ſcripſiſſet, *ſub tegumento ſpecierum*, vel ſub ſpeciebus. Auguſtinus apud Gratianum in libro ſententiarum Proſperi, carnem Chriſti forma panis opertam accipi in ſacramento ait, & ſanguinem ejus ſub vini ſpecie & ſapore potari. *Caro ejus*, inquit, *quam forma panis opertam in ſacramento accipimus, & ſanguis ejus quem ſub vini ſpecie & ſapore potamus.* Per formam panis intelligit ſubſtantiam ipſam formalem, ut & per ſpeciem. Nam ſpecies vini, ut ſupra oſtenſum, eſt pro vino vel vini ſubſtantia. Hoc dixit *in ſpecie vini & ſapore*, id eſt, in ſubſtântia vini & ſapore. Si per ſpeciem intellexiſſet exteriorem ſuperficiem & accidentia, ut vulgo accipiunt, non addidiſſet, *& ſapore*, quia & ſapor inter illa quoque eſt quæ ſubſtântiæ accidunt. Sed ideo ſpecie, id eſt, ſubſtãtia nominata, addidit, *& ſapore*, quia vini genus eſt tota liquoris ſubſtantia, & colore aquæ ſimile, ut pro aqua poſſit imponere, niſi ſapore diſcerneretur. Eodem loco idem ſcripſit, *ſacrificium Eccleſiæ duobus confici, duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini noſtri Ieſu carne & ſanguine, ſacramento & re ſacramenti.* Viſibilis illa elementorum ſpecies, eſt ipſa ſubſtantia vini & panis. Nam ſigna ſive ſacramenta rei cujuſcumque ſpeciȩ ſolida & corporali cenſentur,

ſed

ſed aliud ſignificant quam in illa ſpecie monſtrant quæ ſenſibus ingeritur, ut idem ait Auguſtinus libro II. de Doctrina Chriſtiana. Cum dicitur ergo in ſacramento Euchariſtiæ ſub ſpeciebus panis & vini Ieſum Chriſtum contineri, loquutio eſt tam noſtra quam Pontificiorum, quæ & Patrum Eccleſiæ veteris fuit. Sed aliter illi intellexerunt, aliter nunc Pontificii intelligunt. Nos cum Patribus ſentimus, ſpecies eſſe r. s corporales, ipſum vinum & panem, ſubſtantialiter acceptas. Nunquam enim aliter hanc vocem Roma neque dum fuit gentilis, neque ubi Chriſtiana extitit, ſed orthodoxa, uſurpavit. Chriſtum autem ipſum, id eſt, Chriſti corpus ſub illis ſpeciebus ſive rebus corporalibus contineri credimus, ut ipſe Chriſtus nos docuit ſuum corpus illis eſſe contentum, nempe ſpiritaliter. Cum carnem ſuam manducandam præcepit & ſanguinem ſuum bibendum, horrentibus ad hanc duritatem ſermonis dixit ſpiritum eſſe & vitam quæ eſſet loquutus. Cum dixit panem tradendo corpus eſſe ſuum, & poculum ſanguinem, ſi interrogatus à diſcipulis fuiſſet, quomodo poſſet qui panis eſſet corpus eſſe Chriſti, an aliter putamus reſponſurum fuiſſe, quam ſpiritaliter? Spiritum enim vivificare, carnem nihil prodeſſe, ὡς παρὰ φύσιν ὄντος τοῦ πράγματος, nimirum de Chriſti carne manducanda, & ſanguine bibendo, ἀπιστοῦσιν ὡς ψυχικοὶ, καὶ οὐ νοοῦσι τὸ πνευματι-

κὸν

τὸν τοῦ κυρίου ῥῆμα, inquit Ammonius, *Quod præter naturam & rem videtur, increduli ſunt animales & carnales homines, nec intelligunt ſpiritalem Domini ſermonem.* Qui aliter ſentiunt, tam malos ſe Grammaticos eſſe oſtendunt quam imperitos Theologos profitentur. Certe nec linguam norunt Patrum, nec doctrinam Chriſti. Species Patribus ſunt res corporales, ut vinum & panis quæ ſigna ſunt corporalia rei divinæ, hoc eſt, divini corporis Chriſti. Ipſum autem Chriſti corpus non ſubſtantiale ſub illis ſpeciebus latitat, ſed ſpiritale. Tria ſunt in Euchariſtia conſideranda, ſpecies, ſacramentum, & corpus Chriſti. Species panis eſt ante benedictionem, ut ipſe Ambroſius dixit, ſacramentum poſt conſecrationem. Nam ſacratus panis ex communi per conſecrationem factus eſt, & panis ita ſanctificatus ſacramentum exiſtit corporis Chriſti, & calix ſanctificatus ſacramentum ſanguinis ejus. Iſidorus libro I. de Eccleſiaſticis officiis, cap. XVIII. *Sed panis quia confirmat corpus, ideo corpus Chriſti nuncupatur, vinum autem quia ſanguinem operatur in carne, ideo ad ſanguinem Chriſti refertur. Hæc autem duo ſunt viſibilia, ſanctificata tamē per Spiritum Sanctum, in ſacramentum divini corporis tranſeunt.* Duæ viſibiles ſunt ſpecies, panis & vinum, quæ per Spiritum Sanctum ſanctificatæ, tranſeunt in ſacramentum corporis & ſanguinis. Hæc etiam *Euchariſtia corporis & ſanguinis* dicitur Ire-

næo lib. v. *Quando mixtus calix, & fractus panis percepit verbum Dei fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti.* Vetus homilia incerti, Auguſtini an Eligii? *Sed qui ægrotat in ſola Dei miſericordia confidat, & Euchariſtiam corporis & ſanguinis cum fide & devotione accipiat.* Euchariſtia igitur nihil aliud eſt quam panis & vini elementa benedictione ſanctificata, εὐχαριστηθεὶς ἄρτος καὶ οἶνος Iuſtino. Origeni contra Celſum, εὐχαριστία eſt σύμβολον τῆς εὐχαριστίας ſive gratiarum actionis quam Deo debemus. Σύμβολον eſt ſacramentum. Sic ſacramentum corporis & ſanguinis Dominici, & Euchariſtia corporis & ſanguinis, idem eſt. Dicitur etiam ſacramentum panis & vini ſive calicis, quia vini & panis ſubſtantia remanet, etiam poſt quam ad ſacramentum corporis & ſanguinis utrumque conſecratione, ſive benedictione, tranſiit. *Speciem* & *ſacramentum* ſimul jungit auctor libri de cœna, quia ſacramentum ex pane eſt & in pane. *Panis itaque*, inquit, *hic azymus, cibus verus & ſincerus, per ſpeciem & ſacramentum nos tactu ſanctificat, fide illuminat, veritate Chriſto conformat.* Id eſt, per panem & ſacramentum. Nam ſpecies eſt panis, qui ſanctificatus per benedictionem fit ſacramentum, cujus & ipſa manet etiam poſt conſecrationem natura. Species illa eſt viſibilis ex qua ſimul & inviſibili conficitur Euchariſtia. Per hanc etiam ſacramentum dicitur viſibile. Hactenus igitur ſpecies & ſacramentum,

Digitized by Google

mentum, panis nempe ſacramenti ſive Euchariſtiæ. Nam hoc ſacramentum Euchariſtiæ non eſt ſine pane, cum ſit in pane & ex pane, ut ſacramentum ſanguinis ex vino & in vino. Tertia pars reſtat, id eſt, corpus Chriſti, & ſanguis Chriſti, hic in calicis ſacramento, illud in panis. Hæc eſt res ſacramenti ſive virtus ſacramenti,ut interpretatus eſt Auguſtinus, ſicut jam ſupra vidimus. Ex ſpecie vel pane communi fit ſpecies conſecrata ſive panis ſacratus,hoc eſt, ſacramentum. Virtus autem ſacramenti unde,& quando,& quomodo? *Sacramenta quidem*,inquit auctor libri de cœna,*quantum in ſe eſt ſine propria eſſe virtute non poſſunt, nec ullo modo divina ſe majeſtas abſentat myſteriis.* Dicit ſimpliciter ſacramentum ſine propria virtute eſſe non poſſe, ſed quantum in ſe eſt. At quantum ad communicantem attinet, propria plerumque caret virtute, ut ipſe ſtatim ſubjungit, *Sed quamvis ab indignis ſe ſumi vel contingi ſacramenta permittant, non poſſunt tamen ſpiritus eſſe participes, quarum infidelitas vel indignitas tantæ ſanctitudini contradicit.* Spiritus non poſſe eos eſſe participes ait qui ſacramenta indigne ſumunt, & ſine fide. Virtus illa eſt ſacramenti, ſive res ſacramenti, quam non percipiunt infideles, & qui indigne illud accipiunt. Ergo ſacramentum iſti tantum accipiunt, non rem neque virtutem ſacramenti, id eſt, ſpiritum, ſive gratiam ſpiritalem. Quod

Q 2 etiam

etiam idem auctor teſtatur ſub finem: *Sed & nos ipſi corpus ejus effecti ſacramento & re ſacramenti capiti noſtro connectimur & unimur.* Soli igitur qui corpus Chriſti effecti ſunt, id eſt, fideles, ſacramento & re ſacramenti participant. Auguſtinus expoſitionis in Iohannem Tractatu XXVI. *Norunt fideles corpus Chriſti, ſi corpus Chriſti non negligant eſſe. Fiant Corpus Chriſti, ſi volunt vivere de ſpiritu Chriſti.* Spiritus ille Chriſti, virtus eſt ſacramenti, cujus ſunt participes ſoli qui fiunt corpus Chriſti. Ibidem ſcribit, *Non niſi qui mundus eſt digne accipere ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti.* Inde & in prece myſtica qua apud Ægyptios olim conſecratio fiebat, iſta verba habentur: *Tu mitte ſuper nos gratiam Spiritus tui Sancti, ut mundi reddamur, & convertamus munera hic poſita in corpus & ſanguinem Servatoris noſtri.* Idem ejuſdem expoſitionis Tractatu ubi de Iuda ſermo eſt, cui & ipſi haud minus quam aliis Diſcipulis divina ſacramenta Domini tradita ſunt, mirantibus pleriſque quî factum ſit, ut poſt panem à Chriſto acceptum introivit in illum Satanas. *Dicunt enim*, inquit Auguſtinus, *ita ne hoc meruit panis Chriſti porrectus de menſa Chriſti ut poſt illum intraret in ejus diſcipulum Satanas? Quibus reſpondemus, hinc nos potius doceri, quod ſit cavendum male accipere bonum. Multum quippe intereſt, non quid accipiatur, ſed quis accipiat.* Si infidelis vel indignus accipit, ſacramentum tantum

tum

tum accipit, ſi bonus, fidelis & dignus, rem quoque percipit ſacramenti, id eſt, Spiritum Chriſti, ſive corpus Chriſti, ſpiritale nempe, quia teſte Auguſtino non quid accipiatur intereſt, ſed quis accipiat. Hoc eſt quod idem Auguſtinus alibi ſcripſit, *Bonus accipit ſacramentum & rem ſacramenti, malus vero ſacramentum & non rem.* Idem alio loco, *aliud eſt ſacramentum, aliud res ſacramenti.* Aliud eſt igitur id quod proprie ſacramentum vocatur corporis, aliud corpus ipſum Chriſti, aliud ſacramentum ſanguinis aliud ipſe ſanguis. Corpus res eſt ſacramenti & virtus, ſanguis res quoque ſacramenti & virtus, ſed iſte ſpiritalis & illud ſpiritale, utrumque ſpiritus Chriſti & gratia. Vt igitur non idem eſt ſacramentum & virtus ſacramenti, ſic corpus Chriſti, & ſacramentum corporis non poteſt eſſe idem. Quibus poſitis & firmatis, ſuper incude diſcuſſæ, quaſi vitreæ, franguntur tres illæ diverſæ ſentētiæ Scholaſticorum, diſputantium in qua re præcipue conſiſtat permanenter hoc ſacramentū? Vtrum in ſpeciebus ipſis, ut continent Chriſtum, an in corpore & ſanguine Chriſti, ut cōtinetur ſpeciebus, an in utroque. His opinionibus falſum ſubſtruxere fundamētum. Quod nimirum iſtud ſacramentum conſiſtat proprie in re permanente, ut eſt ſpecies panis & vini. Deinde aliud falſum etiam ſupponunt quod ſacramentum ipſum ſit corpus Chriſti, dum nimirū panis & vinum ubi

exciderunt propria ſubſtantia, convertuntur in corporis & ſanguinis Dominici ſubſtantiam. Ex tribus illis opinionibus prima eſt quæ ſtatuit ſacramentum iſtud eſſe ſolum corpus Chriſti proprie & in recto, quamvis non niſi ut continetur ſub ſpecie panis, ita ſcilicet, ut ſpecies illa non pertineat ad ſacramentum niſi in obliquo. Frivolæ ſunt omnes rationes quibus id adſtruunt, & ſola ſacramenti definitione refutari poſſunt. Sacramentum, rei ſacræ eſt ſignum, res illa ſacra in Euchariſtia cujus ſacramentum ſignum eſt, corpus eſt Chriſti. Non poteſt autem res ſignificata idem eſſe cum ſigno ſive ſacramento. Secunda huic oppoſita in altero extremo, vult ſacramentum iſtud proprie & in recto eſſe illam ſpeciem panis, ut continet corpus Chriſti, atque adeo corpus non niſi in obliquo pertinere ad iſtud ſacramentum. An verior hæc ſit illa priore, videndum. Saltem veriſimilior in genere ea parte videtur qua in ſpeciebus ipſis collocat ſacramenta. Sed quod in ea additur, *ut continet corpus Chriſti*, non caret falſo. Non enim corpus Chriſti continet, ſed myſterium corporis Chriſti, & ideo etiam corpus Chriſti dicitur, ſed improprie & figurate. Loquutiones iſtæ *in recto* & *in obliquo* melius veriuſque ſonarent ſi pro his enunciaretur, *proprie* & *improprie*. In ſpeciebus ergo ipſis ſacramentum eſt quatenus continent myſterium corporis Chriſti. Nam improprie tantum corpus

pus & ſanguis ad ſpecies vini & panis pertinent, non proprie, quia ut dixit Facundus Hermianenſis, *Sacramentum corporis & ſanguinis Domini quod eſt in pane & poculo conſecrato, corpus ejus & ſanguinem dicimus, non quod proprie corpus ejus ſit & panis, ſed quod in ſe myſterium corporis ejus ſanguiniſque contineat.* Enimvero ſi ſpecies ipſa eſſet ſacramentum ipſum quatenus continet corpus Chriſti, omnes qui ſpeciem acciperent & ſacramentum, corpus etiam ipſum Chriſti perciperent, hoc eſt, rem ſacramenti. Atqui ex Auguſtino & aliis Patribus, id non poſſe ſtare oſtendimus, cum mali accipiant quidem ſacramentum, non rem ſacramenti, id eſt, corpus Chriſti, utrumque vero ſumant boni. Teſte Auguſtino panem Domini accepit Iudas, non panem Dominum, id eſt, ſacramentum, non rem ſacramenti. Idem quippe loco quem ſupra citavimus ſcribit, *ſacrificium Eccleſiæ duobus conſtare viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini noſtri Ieſu carne & ſanguine, ſacramento, & re ſacramenti, id eſt, corpore Chriſti, ſicut Chriſti perſona conſtat & conficitur Deo & homine.* Rupertus Abbas de divinis officiis lib. II. cap. IX. dicit, *in illum in quo fides non eſt præter viſibilem ſpeciem panis & vini nihil de ſacrificio pervenit.* Viſibiles ſpecies ſunt viſibilia ſacramenta corporis & ſanguinis. Ergo corporis ſacramentum non eſt illa viſibilis ſpecies quatenus corpus Chriſti continet. Nam

quidem ſacramentum corporis Chriſti, ſed improprie dicatur corpus ipſum Chriſti. Sed quod illius opinionis auctores addunt, *ſacramentum autem & rem ſimul*, eſſe corpus Chriſti in eo diverſi prorſus abeunt à veterum Patrum ſenſu & doctrina qui rem ſacramenti & gratiam ei adjunctam de corpore ipſo Chriſti ſpiritali, & ſpiritaliter manducando accipiunt, ut infra pluribus docebimus. Iſti ſane omnes, ut etiam cenſet Gregorius de Valentia, ſentire videntur ſolam ſpeciem eſſe proprie ſacramentum. Quod eſt veriſſimum, eique opinioni ſuffragatur univerſa Patrum Græcorum ac Latinorum antiquitas. Ex ſpeciebus ſacramentum conficitur per conſecrationem, & in ipſis ſpeciebus panis & vini conſecratis conſiſtit. At ex ſacramento per fidem corpus Chriſti credenti & ſumenti exiſtit. Ita in baptiſmi ſacramento qui crediderit & tinctus fuerit ſervatur, quia gratiam conſequitur adnexam ſacramento, per fidem. Aqua eſt ſpecies, ſacramentum ex aqua & in aqua per invocationem Patris & Filii & Spiritus Sancti, per fidem credentis & baptizati gratia ſpiritus, quæ res eſt ſacramenti. Ad eundem prorſus modum panis & vinum ſpecies ſunt communes. Ex illis per benedictionem ſanctificatis, & in illis ſacramentum corporis & ſanguinis. Ex ſacramenti participatione per fidem credens & digne percipiens gratiam corporis

Q 5 Chriſti

Chriſti & efficaciam adipiſcitur, quæ res eſt ſacramenti. Omnes ergo ſacramentum viſibile percipiunt, quia os habent & dentes & ventrem, ſed non omnes gratiam inviſibilem, ſive rem ſacramenti & virtutem, hoc eſt, corpus Chriſti conſequi poſſunt, quia non omnes fidem habent. Vnde in Liturgiis Græcis τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, *ſancta ſanctis.* Soli igitur ſancti illud Domini ſanctum percipiunt, non improbi qui ſacramento tantum tenus id accipiunt. Remiſſio peccatorum effectus eſt veræ illius participationis ſacramentorum quæ fit uſque ad participationem ſpiritus, idque non tantum in baptiſmo, ſed etiam in Euchariſtia. At illa remiſſio donum eſt Spiritus Sancti & ejus efficientiæ, non quatenus ſacramentum in ſola ſpecie conſiſtit. Euchariſtiam facere & conficere Sacerdos dicitur, non autem gratiam ipſam adjicere ſumenti per ſacramentum quæ ipſi ad ſalutem proſit, & vitæ æternæ adeptionem. Hic fidei effectus eſt in illo qui digne ſacramentis participat, fides autem ipſa donum Dei, & Spiritus Sancti, qui rem ſacramenti perficit. Egregie Cyprianus de baptiſmo Chriſti: *Verborum ſolemnitas, & ſacri invocatio nominis, & ſigna inſtitutionibus Apoſtolicis Sacerdotum miniſteriis viſibile celebrant ſacramentum, rem vero ipſam Spiritus Sanctus format & efficit, & conſecrationibus viſibilibus inviſibiliter manum totius bonitatis auctor apponit, & plenitudinem gratiæ unctionis divinæ pin-*

Digitized by Google

pinguedo ſanctificationibus officialibus infundit, & rem ſacramenti conſummat & perficit. Miniſterio igitur ac officio ſacerdotis hoc attributum eſt Apoſtolica inſtitutione ut conficere viſibile ſacramentum poſſint ac celebrare, verborum ſollemnitate & ſacra Spiritus Sancti invocatione, aliiſque tralaticiis cæremoniis, ſed ut ſpiritalis gratia & res ſacramenti ſuperveniat communicanti ſacramentis, in ſola ejus fide qui accipit, ſi digne accipiat, poſitum eſt. *Quoniam,* inquit idem eodem libro, *remiſſio peccatorum ſive per baptiſmum, ſive per alia ſacramenta donetur, proprie Spiritus Sancti eſt, & ipſi ſoli hujus efficientiæ privilegium manet.* Idem in libro de Spiritu Sancto, *Hic omnibus Eccleſiæ ſacramentis intereſt, quæ perficit, & conſummat.* Non baptiſmo tantum ſed & Euchariſtiæ ſic intereſt, ut gratiam ſalutarem quæ ex utroque ſacramento percipitur, ſolus perficiat & conferat. Omneſque adeo veteres paria ſenſerunt & ſcripſerunt de utroque ſacramento, ſive in definitione eorum declaranda, ſive in modo ſignificando, ſive in uſu & efficacia exprimenda. Iſidorus cum recenſuiſſet ſacramenta nominatim, & quattuor poſuiſſet, ſubjecit definitionem ſacramenti pariter convenientem Euchariſtiæ & baptiſmo, quæ ita dicta eſſe docet, *quia ſub tegumento rerum corporalium virtus divina ſecretius ſalutem eorundem ſacramentorum operetur.* Res illæ corporales, ſpecies ſunt; ex quibus

bus & in quibus ſacramenta. Virtus autem divina eorundem quam ſecretius operatur Sanctus Spiritus non omnibus donatur, ſed illis ſolis quibus & fidem Chriſtus dederit. Sacramentum igitur ipſum viſibile conficit & tradit ſacerdos, gratiam & rem ſacramenti ex fide cujuſque dat ipſe Chriſtus per Spiritum Sanctum cum ipſa fide. Quod autem non ſolum Euchariſtiam facere & conficere, id eſt, ſacramentum, dicitur ſacerdos, ſed etiam ipſum corpus Chriſti, id ex ea loquendi figura procedit qua ſignum rei ſignificatæ nomine appellatur. Corpus igitur Chriſti conficere intelligendus qui corporis ſacramentum conficit. Et ipſe Chriſtus cum ſignum corporis ſui daret, dixit eadem figura, Hoc eſt corpus meum, ut Auguſtinus & alii Patres teſtantur, & interpretantur, id eſt, Hoc ſignum corporis mei. Sacramentum igitur in ſpecie per conſecrationem, in ſacramento corpus Chriſti per fidem accipientis. Hieronymus commentario in Aggæum: *In ſacramentis panis & vinum & oleum.* Hæ ſpecies ſunt, quæ aut ſacramenta ipſa ſunt, aut in ſacramentis ita ſunt, ut non deſinant eſſe id quod ſunt. Cyprianus in libro de Lapſis quem *calicem* prius dixerat, poſtea *ſacramentum calicis* appellavit: *Vbi vero ſollemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit.* Paulo poſt: *Perſtitit tamen Diaconus & reluctanti licet de ſacramento calicis infudit.* Ita panis

&

& *ſacramentum panis* idem apud Patres, quia ſacramentum in pane ſive in ſpecie panis. Facundus: *Sacramentum corporis & ſanguinis in pane & vino conſecrato.* Omnes Patres qui in pane & vino tradi ſacramenta corporis & ſanguinis ſcripſere, omnino etiam ſenſerunt in ſpeciebus ipſis ſacramentum conſiſtere. Quæ ſententia miror quomodo venire in mentem doctoribus quibuſdam Pontificiis potuerit, ut eam tuerentur, cum nihil ſit æque contrarium doctrinæ de Tranſſubſtantiatione. Nam ſi ſacramentum in ſpecie ipſa eſt panis aut vini, non poteſt eſſe in ſolis accidentibus, & ſpecie exteriore ſive ſuperficie rei, ac cortice inani corporali ſubſtantia carentis. In ipſa quippe ſubſtantia potius conſtabit. Nam id quod ſignum eſt corporis, ſive ſacramentum, debet ipſum aliquid eſſe corporale. Corpus Chriſti animæ eſt pabulum, ergo quod ſignum eſt ejus debet eſſe corporis θρεπτικὸν, ut figura cum re quã ſignificat reſpondeat. At quod in pane nutrit, id non ex accidentibus, ſed ex ejus ſubſtantia ſumitur. Tertia eſt opinio eorum qui arbitrantur, neque in ſpeciebus quatenus continent corpus Chriſti, neque in corpore Chriſti quatenus continetur ſpeciebus, eſſe ſacramentum, ſed in utroque ſimul, hoc eſt, tam in corpore quam in ſpecie. Hanc probabiliorem ſententiam Gregorius de Valentia exiſtimat. Non ita ipſe ſentio. Hæc refutatur vel ſola notione,

ac

ac definitione ſacramenti. Cum ſit proprie ſignum ſacrum, vel rei ſacræ, corpus autem ſit res ſignificata, non poteſt videri ſacramentum in ſigno ſimul eſſe & re ſignificata, in ſpecie panis & in corpore Chriſti. Sacramentum quidem corporis etiam dicitur corpus, & ſacramentum calicis ſanguis, ſed improprie, quod in myſterio nimirum contineat corpus & ſanguinem. Si res eſſet ſimul cum myſterio, non foret nec diceretur myſterium. At myſterium rei nomine quam ſignificat interdum appellatur, ſed non propterea cenſendum myſterium in ſigno ſimul eſſe & re ſignificata, cum myſterium ipſum ſignum ſit tantum, & quatenus ſignum eſt, diverſum habeatur à re ſignificata. Ex ſcriptura probare primo id conatur. Nam id quod eſt potus & cibus ſpiritalis, eſt proprie iſtud ſacramentum, ſed utrumque ſimul eſt cibus & potus ſpiritalis. Ego vero id nego. Nec juvat Iohannis VI. quo veritatem hujus dicti aſſerere pertendit. Si potus & cibus ſpiritalis proprie hoc eſſet ſacramentum, omnes qui ſacramentum ſumerent, potum eum & cibum ſpiritalem etiam perciperent, atque ita etiam omnes ſalvarentur. Nam quicunque cibum illum & potum ſpiritalem vere participant, vitam æternam conſequuntur, ut patet ex Iohannis VI. At certum eſt non omnes qui de altari accipiunt, ut loquitur Auguſtinus, vitam habere. *Quam multi*, inquit, *de altari accipiunt*,

piunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur! Nempe qui ſacramentum tantum accipiunt, non rem ſacramenti, qui carnaliter illud comedunt non ſpiritaliter. *Nam & nos*, inquit idem ibidem, *accipimus viſibilem cibum, ſed aliud eſt ſacramentum, aliud virtus ſacramenti.* Viſibilis & corporalis cibus eſt ſacramentum, at virtus ſacramenti inviſibilis & ſpiritalis. Non igitur ſpiritalis cibus, & corporalis ſimul iſtud eſt ſacramentum. Res, cujus *eſt ſacramentum omni homini ad vitam nulli ad exitium quicunque ejus particeps fuerit*, ut ait idem Auguſtinus expoſitionis in Iohannem Tractatu XXVI. Si res cujus eſt ſacramentum ſimul acciperetur ab omni homine cum ipſo ſacramento, ad vitam omnes, ad exitium nemo ejus particeps fieret. At ſcribit eodem loco quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitium ſumi quod de menſa Dominica accipitur. Qui carnaliter ſacramentum ſolum accipiunt, ad exitium id ſumunt, quia non ad vitam, quam ſoli habent quibus ſpiritaliter ſumitur. Qui non vivit moritur, & qui ad vitam non ſervatur ad mortem reſervatur. Hæc omnia & ſimilia Auguſtinus ad illum locum Iohannis, ex quo voluit demonſtrari Gregorius de Valentia ſpiritalem cibum & potum ſimul cum ſpecie viſibili, ſacramentum eſſe corporis & ſanguinis Chriſti, cum aperte diſtinguat ibi Auguſtinus ſacramentum, id eſt, ſignum viſibile, à virtute ſacramenti, id eſt, re inviſibili

bili cujus eſt ſacramentum. Quæ res potus eſt & cibus ſpiritalis, eoque ab ipſo viſibili & corporali ſacramento diverſa. Probare id etiam nititur Patrum teſtimoniis Irenæi & Auguſtini. Ille dicit, *ex duabus rebus Euchariſtiam conſtare terrena & cœleſti*, hic ſacrificium Eccleſiæ duobus confici, duobus conſtare, *viſibili elementorum ſpecie & inviſibili Domini noſtri Ieſu carne & ſanguine.* Sed Auguſtini hoc teſtimonium plus ei ſententiæ adverſatur, quam ſuffragatur. Immò eam penitus ſubruit, his quæ continuo ſubjungit, *ſacramento & re ſacramenti.* Ergo ſacramentum vocat eam ſpeciem elementorum viſibilem, rem autem ſacramenti corpus & ſanguinem Chriſti. Sic ex ejus mente ſacramentum non conſtat re viſibili & inviſibili, quia ſacramentum pars eſt altera ſacrificii, eaque viſibilis, non totum illud quod conſtat ex ſpecie viſibili & inviſibili. Id clarius etiam explicat in his quæ ſubjiciuntur, *conficitur ergo ſacrificium Eccleſiæ ſacramento, & re ſacramenti, id eſt, corpore Chriſti.* Res illa ſacramenti, ſive corpus Chriſti, res eſt inviſibilis, cum ſacramentum ipſum ſit viſibile. Paſſim *viſibilia ſacramenta* appellantur veteribus Patribus, nunquam ſpiritalia. Auctor de Cœna ait *viſibilibus ſacramentis* ineſſe vitæ æternæ effectum. Cyprianus de baptiſmo Chriſti, *Sacerdotes viſibile celebrant ſacramentum, rem vero ipſam Spiritus Sanctus format.* Ipſa ſacramenti definitio

id

id oſtendit, qua dicitur ſignum eſſe viſibile gratiæ inviſibilis, apud eundem Auguſtinum & alios. Nam virtus ſacramenti ſpiritalis eſt, ipſum viſibile. Sacramenti virtus, & gratia eſt. Illud per malos etiam malis dari poteſt, cum ſola gratia per Spiritum Sanctum conferatur. Sacrificium quod Auguſtinus confici dicit & conſtare ſpecie viſibili & re inviſibili, commemoratio eſt ſacrificii quod etiam in ipſa manducatione conſiſtit. Nam dixit ipſe Chriſtus, hoc facite in meam commemorationem, cum & manducationem ſimul præcepiſſet. Prout autem quis manducationem eam uſurpat, aut carnaliter tantum, aut ſimul etiam ſpiritaliter, ita vel ſolum ſacramentum viſibile ſumit vel etiam virtutem ſacramenti una cum ſacramento, id eſt, cibum ſpiritalem cum viſibili. Multum igitur refert utrum dicas ſacramentum ex duobus conſtare, an ſacrificium. De ſacrificio enim ipſo id recte dixeris, non item de ſacramento. Nam ſacramentum pars eſt viſibilis illius ſacrificii quod eſt commemoratio ſacrificii & paſſionis Chriſti. Irenæus autem cum Euchariſtiam ſcripſit conſtare ex duabus rebus terreſtri ac cœleſti, vocem Euchariſtiæ latius ſumpſit pro tota actione quæ verſatur in commemoratione paſſionis Dominicæ, & communione ipſa, ſive communicatione ſacramenti. In ipſa quippe ſumptione conjunguntur illæ duæ res cibus viſibilis, & ſpiri-

talis, ſacramentum & virtus ſacramenti, cum extra uſum & communionem ſoli ſacramento ſit locus, cujus etiam ſolius participes fiunt in ipſa communicandi actu qui indigne illud ſumunt. Diverſa autem nomina & ſpecies ad unam reducuntur eſſentiam cum dignus digne eas ſumit, quæ ab indigno ſumptæ indignè, ſeparantur, ita ut ſignum ſive ſacramentum re ſignificata, id eſt virtute ſua careat. Extra uſum igitur & communionem, hæc duo non conjunguntur, ſignum viſibile ſive ſacramentum & res inviſibilis, in uſu & communione conjunguntur, ſed in ſolis bonis & fidelibus. De qua re inſignis Cypriani locus in libro de reſurrectione Chriſti: *Ex diverſis familiis una fit domus, una tribus, unus eſt cibus, ſignificantia & ſignificata, res & ſigna, virtus inviſibilis, & viſibilia ſacramenta, ſic faciunt unum corpus, ſicut caro & ſpiritus, & quod videtur, & nomine & virtute Chriſti corpus cenſetur.* In ipſa tantum communione & participatione ſignificans & ſignificatum, rem & ſignum, virtutem inviſibilem & viſibile ſacramentum unum corpus ita facere dicit, ut caro & ſpiritus in homine Deo Chriſto conjuncta ſunt, & ſicut id quod videtur in Euchariſtia & id quod nomine & virtute Chriſti corpus cenſetur. Ita enim accipienda ſunt hæc poſtrema apud Cyprianum. Quod videtur eſt ſacramentum viſibile, quod nomine & virtute Chriſti corpus cenſetur, res

eſt

eſt inviſibilis & virtus ſacramenti. Ex quibus vides non credidiſſe illius temporis Patres verum corpus eſſe Chriſti quod erat ſacramentum corporis Chriſti, cum dicat ſanctus ille martyr, *nomine & virtute cenſeri corpus Chriſti.* Non igitur verum eſt, ut ex antedictis planum fit, quod ajunt ſacramentum iſtud neque eſſe corpus, neque ſolam ſpeciem, ſed utrumque ſimul proprie & in recto, quia contrarium tam ex ipſa Scriptura probatur, quam ex ſcriptis Patrum. Vt unum conſtituatur ſacramentum ex ſpecie viſibili & corpore Chriſti inviſibili, ſi quis objiciat non apparere quonam unitatis modo jungantur ſufficientis ad id efficiendum, reſpondent uniri modo unitatis ſacramentalis. Si hanc unitatem ſacramentalem intelligunt, prout accipiunt ſacramentum in hac quæſtione, mera petitio eſt τοῦ ἐν ἀρχῇ & συναρπαγμὸς τοῦ ζητουμένου. Quæritur in quonam conſiſtat ſacramentum iſtud, utrum in ſpeciebus, ut continent corpus Chriſti, an in corpore ipſo, ut continetur ſpeciebus. Iſtis neutrum placet, ſed in utroque volunt conſiſtere. Quæritur ſi hoc ſit, quomodo uniatur ſpecies cum ipſo corpore, ut fiat unum ſacramentum. Dicunt unitate ſacramentali. Quod nihil eſt dicere. Simili modo nugantur qui ſacramentaliter ajunt corpus Chriſti in ſacramento corporis exiſtere; quia exponunt in hoc ſolo ſacramento converſionem fieri ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam

Dominici corporis. Ita quod in quæſtione eſt pro confeſſo & probato ſumunt, & quaſi certo fundamento rem incertam, ut certa fiat inepte ſuperſtruunt. Si ſacramentalis hæc unitas intelligatur, ut debet intelligi generaliter, & ex definitione propria ſacramenti, quæ omnibus ſacræ rei ſignis competit, non aliam hic ponemus unitatem niſi relativam, & ſignificativam, qualis eſt nimirum inter ſignum & rem ſignificatam, inter ſacramentum & rem ſacramenti. Non conſiſtere autem ſacramentum in ſignificante ſigno ſimul & ſignificato, id eſt, in ſpecie & in corpore, vel inde probatur, quod ſacramenta non vim ſuam ſive gratiam ſalutarem accipiant per benedictionem vel conſecrationem ſpeciei. Nam ſacramentum non dicitur quod ſacretur vel ſanctificetur ſpecies, ſed quod ſanctificet, ut *medicamentum* non quod medicam vim recipiat, ſed quod præbeat. Aqua in baptiſmo non evadit ſalutaris à benedictione elementi, vel conſecratione. Nec enim cum perennibus fluviis baptizari mos eſſet credentes aqua ipſa prius benedicebatur, ut nunc fit, ſed invocatio nominis ſacri ſuper baptizandum hoc præſtabat per fidem ipſius qua interrogabatur, quique reſpondebat ſe credere in Deum Patrem, Filium Ieſum Chriſtum, & Spiritum Sanctum. Sic in ſacramento Euchariſtiæ non ipſa benedictio ſpecierum gratiam ipſis confert ſpiritalem, & ad ſalutem ex eo

creden-

credentium efficacem, ſed eam accipit tantum ex profeſſione Chriſti qui panem tradens diſcipulis dixit eſſe corpus ſuum, & ex fide diſcipulorum qui accipientes id ita eſſe crediderunt. At Chriſtus cum benediceret pani non dixit eſſe corpus ſuum, ſed cum benedictum jam ac deinde fractum ſingulis per partes diſtribueret hæc pronuntiavit. Secundum hæc ſacramentum videretur in ipſo corpore potius conſiſtere quatenus corporis myſterium ſub ſpecie panis continetur quam in nuda ſpecie. Species ſanctificata ſignum dici modo debet corporis, & ſymbolum, ſpecies ſanctificans cui gratia nimirum acceſſit ex Chriſti profeſſione, & fide accipientis qua ipſe ſanctificatur, vere ſacramentum appellandum videatur. Nam & *ſacramentum* proprie eſt quod qui accipit cõſecratur & dedicatur, devovetur atque addicitur religioni Dei cujus ad cultum inſtituta ſunt illa ſacramenta vel myſteria. Vnde & *ſacrati* alicui Deo veteribus dicti ſunt qui illius Dei ſacramenta ſive myſteria ſumebant, ut ſupra notavimus. Auguſtinus de civitate Dei lib. II. cap. XXVI. de Diis gentilium: *Perhibentur tamen in abditis ſuis ſecretiſque penetralibus dare quædam bona præcepta de moribus quibuſdam, velut electis, ſacratis ſuis*, id eſt, μεμυημένοις. Vides velut electos appellari Deorum gentium ad inſtar veri Dei electorum, qui ſacramentis & myſteriis eorum initiati ſunt, ut electi ſunt Chri-

ſti fideles, qui per ſacramenta ejus conſecrati ſunt vero ejus cultui. Sic & milites militiæ veluti ſacrati ſunt, qui ſacramentum militiæ acceperunt, vel ut loquebantur veteres, *ſacramento dixere*. Sed & ſacramentum dicebat qui ſe cum jusjurando alicui rei devovebat. Vnde apud Horatium: *Non ego perfidum dixi ſacramentum, ibimus, ibimus*. Servius in Æneidos VII. *Sacramentum, in quo jurat unuſquiſque miles ſe non recedere niſi præcepto conſulis poſt completa ſtipendia, id eſt, militiæ tempora*. Sacramentum igitur proprie de legitima militia & ordinaria dici notat quæ diſtinguitur à conjuratione & tumultu. Gloſſæ: *ſacramẽtum*, ὁρκωμόσιον, στρατιωτικὸς ὅρκος. Hinc & poſterior Latinitas quæ in linguam Gallicam defluxit *ſacramentum* appellavit jusjurandum, *ſerment*. Omnia fœdera & pacta publica ſanciebantur jurejurando. Et Chriſtus ſacramentum calicis dixit eſſe novum fœdus in ſanguine ſuo. Hoc qui accipit ſacramentum electus Dei, in fœdus illud quaſi jurat, & ſe Chriſto devovet. At multi perfidum jurant ſacramentum, ut in ſacris & myſteriis gentilium multi erant qui dicebantur ἐξορχεῖσθαι μυστήρια. Milites multi deſertores militiæ fuere. Ita & in Chriſti myſteriis multi fidem datam fallunt, & acceptam deſerunt ac violant. Sic ſacramentorum efficacia in ſolis perſeverantibus cernitur, qui cum nomine rem ipſam recipiunt & ſervant. Verum de his adhuc infra pluri-

pluribus in libro de ſacrificio Miſſæ. Nunc aliud argumentum dabo Traſſubſtantiationi ſpecierum quæ continent myſterium corporis & ſanguinis in hoc ſacramento, evertendæ validiſſimum. Duo eſſe ſacramenta potius quam unum vere dici poteſt. Ita etiam pleroſque veterum Patrum exiſtimaſſe in Epiſtola oſtendimus. Pontificii Doctores hanc etiam quæſtionem tractarunt, & faſſi ſunt minime deeſſe rationem hac de re dubitandi, an hoc ſacramentum ſit unum, an duo ſacramenta. Ad materiam quidem quod attinet negari non poſſe certum eſt quin ſint duo. Nam in Euchariſtia duæ ſunt diverſæ materiæ quæ magis etiam invicem diſtant quam materia Chriſmatis à materia baptiſmi, oleum ab aqua. Vtrumque quippe in genere liquidorum. At Euchariſtiæ duæ materiæ panis & vinum quorum alterum in aridis & ſolidis, alterum in liquidis & fluidis ſubſtantiis. Sed & aqua baptiſmi cum ſit de genere liquorum, minus propterea à materia differt ſacramenti calicis quia etiam liquor eſt, cum ſacramentum corporis & ſacramentum calicis inter ſe magis idcirco materialiter diverſa ſint, quod alterum ex ſiccis frugibus conficiatur, alterum ad liquidorum genera facticiorum referatur. Hieronymus in Aggæum, *in ſacramentis panis, vinum & oleum*. Æque videtur diverſa facere panem & vinum in ſacramentis, ut oleum

eſt ab utroque. Et ſane ita res ſe habet. Fatentur quidem Pontificii Doctores, cum ſint in Euchariſtia duæ diverſæ materiæ & formæ, de qualibet materia ut habet ordinem ad ſuam formam vere poſſe affirmari, quod ſacramentum Euchariſtiæ duo ſint ſacramenta. *Sed è contrario,* inquiunt, *cum ſint ſeptem tantum Eccleſiæ ſacramenta ex quibus unum eſt Euchariſtia videtur eſſe ſacramentum.* Hac eadem ratione nos qui duo tantum ponimus, unum eſſe ſacramentum Euchariſtiam non duo deberemus affirmare. Sed quis iſtam Eccleſiam quæ Romana nunc dicitur pro Catholica, docuit ſeptem tantum eſſe ſacramenta, non plura, nec pauciora? Non ſane ex doctrina Chriſti, aut Apoſtolorum traditione hoc didicerunt. At fuiſſe tempus Eccleſiæ in Epiſtola oſtendimus cum quattuor tantum ſacramenta agnoſcerentur. Tum pro Baptiſmo & Chriſmate duo computabantur, pro calice & pane etiam duo. Alii vero duo tantum admiſerunt, ſed iſti baptiſmum & Chriſma pro uno agnoſcebant. Et certum eſt in Eccleſia primitiva non pro duobus ſacramentis habita fuiſſe baptiſma & Chriſma ſive manuum impoſitionem, quia ſtatim baptizatis manus cum Chriſmate imponebantur. Similiter & panem & calicem corporis & ſanguinis unum eſſe ſacramentum ſtatuebant. Eccleſiæ nonnullæ tria tantum. Et hæ ideo, quia Chriſmatis unctionem ſacramentum eſſe

eſſe à baptiſmo diverſum cēſerent, panis autem & calicis unum eſſe ſacramentum crederent. Antiquiſſimi tamen Patres Græci Latinique *τὰ ἅγια μυστήρια* in plurali numero & *ſacramenta altaris* paſſim nominant, quaſi duo eſſent non unum, ut in priore libro expoſuimus. Ita variavit Eccleſia in numero ſacramentorum conſtituendo. Antiqua à recentiore diſſenſit, nec conſenſere omnes in eundem numerum quæ eodem tempore fuerunt. Non igitur prohibere quenquam debet aut poteſt opinio quam habet de numero ſacramentorum hodierna Romana Eccleſia, quin liceat nobis diſquirere quot vere numero ſint. Sed neque à noſtris recepta ſententia interpellabit ne de hac re diſputemus, & veritatem diſcutiamus. Poſt aliquam ſuper his velitationem Pontificii Doctores certiorem ac ſolidiorem eſſe ſententiam communem aſſerunt, quam & Thomas ponit ac Scotus defendit, aliique, Euchariſtiam materialiter eſſe plura ſacramenta, propter diverſitatem ſpecierum, formaliter unum ſecundum ſpeciem atomam. Quod concedunt de materia accipimus. Et hoc etiam ſufficeret ad probandum quod ex hac diverſitate materiarum cōſtaret, non poſſe dari tranſſubſtantiationem ſpecierum panis & vini ſeorſim ſumendarum in corpus & ſanguinem Domini Ieſu Chriſti. Primum ſi materias has duas in Euchariſtia diverſas confitentur, hoc pugnat cum eo quod docent per con-

verſionem ſubſtantiarum, non ſolum ipſam aboleri ſubſtantiam ſpecierum, ſed etiam materiam. Si tam materia vini quam panis in hoc ſacramento redigitur ad nihilum, fruſtra duas diverſas ſtatuunt materias hujus ſacramenti, fruſtra etiam duo ſacramenta materialiter inde adſtruunt cum nulla prorſus ſit in Euchariſtia juxta hanc aſſertionem materia. An dicent accidentia panis & vini pro materia eſſe hujus ſacramenti? Sic dicant dum nihil etiam dicere quod ad rem faciat, cenſeantur. Certe ſi per converſionem ſubſtantiæ ſpecierum materia etiam, ut volunt, earundem evaneſcit, nulla jam materia ex ſpeciebus remanet, qua poſſit dici materialiter duo potius quam unum eſſe Euchariſtiæ ſacramentum. In ipſo quidem pane aliud eſt materia, aliud ſubſtantia & forma. Perire quidem poteſt forma panis & ſubſtantia ſi tota in vermes per corruptionem ebulleſcat manente interim materia quæ communis ſit corrupti panis, & generatorum inde vermium. At cum panis ipſe dicitur materia ſacramenti corporis Chriſti, materia tum eadem omnio videri debet cum ipſa panis forma ac ſubſtantia, non enim ad panem ipſum hæc vox tum refertur, ſed ad ipſum ſacramentum cui pro materia ſubſternitur panis forma & ſubſtantia. Cum utraque convertitur in ſubſtantiam corporis, immo tres ſimul, materia panis, forma, & ſubſtantia, nulla jam ſacramenti

menti ipſius poteſt eſſe materia, quia quæ fuit in panis ſubſtantia & forma, ſimul cum illis receſſit, & abiit in nihilum, aut eſſe ſaltem deſiit. Quod enim negant ideo in nihilum redigi quia in eum locum ſucceſſit ſubſtantia corporis, hoc inepte ab iis & inſcite negatur quia localis formæ ſucceſſio non impedit quo minus ea quæ deceſſit prorſus ad nihilum redacta intelligatur. Quæ nuſquam eſt, nuſquam comparet, cujus locum alia in totum diverſa occupavit, non poteſt videri, in rerum natura adhuc eſſe aut exiſtere utpote quæ εἰς ἀνυπαρξίαν prorſus ceſſerit. Verum de his alias. Nunc quod conceſſum eſt, teneamus, quam bene aut male id dicatur parum ſolliciti, quantum ad materiam Euchariſtiæ duo eſſe ſacramenta, unum corporis, alterum ſanguinis. An aliud ſic de forma videamus. Eſſe formaliter unum ſacramentum affirmant, atque ita intelligi debere. Rationem formalem & ſpecificam ſacramenti hujus eſſe volunt, ut ſignificet ſpiritalem animæ refectionem quam & efficit. Non permittemus illis ulterius progredi, & per conſequẽtiam inde elicitam concludere, non eſſe ſpecifice, & formaliter niſi unum Euchariſtiæ ſacramentum. Hic ſtatim eos ſtare cogemus negando ratione formali & ſpecifica ſacramenti hujus ſignificari ſpiritalem animæ refectionem quam & efficit. Effici quidem eo fatemur ſpiritalem animi refectionem, ſed propter id tan-

tum aut principaliter inſtitutum fuiſſe à Domino inficiamur. Verius eſt ſpecifice & formaliter ſignificare commemorationem paſſionis Dominicæ. Nec Chriſti ipſius in eo inſtituendo verba dubitari hac de re patiuntur. Poſt acceptum benedictum, fractum & traditum panem Diſcipulis, dixit illis, *hoc facite in mei commemorationem.* Mortem Chriſti eo facto adnuntiari Paulus interpretatus eſt. Non dixit Chriſtus, Hoc facite ad veſtram refectionem, nec dictum Chriſti Apoſtolus ita explicavit quod qui hoc facerent & hoc ſacramentum participarent, refectionem ſibi ſpiritalem procurarent, ſed *quotieſcunque*, inquit, *ederitis panem hunc & poculum hoc biberitis, mortem meam adnunciabitis,* id eſt, mortis meæ memoriam celebrabitis. Hinc & *ſacramentum memoriæ* appellavit Auguſtinus. Idem libro de fide ad Petrum, *In iſto ſacrificio gratiarum actionem eſſe* dicit, *atque commemorationem carnis Chriſti quam pro nobis obtulit, & ſanguinis quam pro nobis effudit.* Origenes contra Celſum εὐχαριστίας σύμβολον eſſe ait, id eſt, gratiarum actionis ſacramentum, pro eo nempe infinito beneficio quod homini peccatori largiri dignatus eſt, carnem ſuam offerendo pro ejus peccatis, & ſanguinem effundendo. Non negamus ſpiritalē refectionem etiam Euchariſtię participatione procurari quia ſub ſymbolis panis & vini quæ ſpecies ſunt alibiles, corpus & ſanguinem ſuum edendum nobis propoſuit,

fuit, ſed tali carnis ſuæ manducatione, & tali ſanguinis ſui potu memoriam paſſionis ſuæ celebrandam ſanxit. Manducantes igitur ſpiritaliter carnem ejus ſub ſpecie panis viſibili, & bibentes ſanguinem ejus ſpiritaliter ſub ſpecie vini ſimiliter viſibili, revera inſtauramus commemorationem paſſionis ac mortis ejus ſicut eam à nobis peragi juſſit. Credimus nimirum dum ſic memoriam mortis Chriſti celebramus, pro nobis eum eſſe mortuum. Hæc fides ſi ſit in nobis tametſi per ſymbola panis & vini in Euchariſtia percepta non explicetur, credenti tamen ſalutaris eſt & ad vitam æternam conſequendam efficax. Hæc eadem fides pabulum eſt etiam animæ cœleſte, & ſpiritalis refectio. Nam & *fide ſua juſtus vivere* dicitur. Et hominem non ſolum *ex pane vivere, ſed etiam verbo Dei.* Nec carnem igitur tantum Chriſti edimus, aut ſanguinem bibimus in Euchariſtia digne eam accipiendo & credendo, ſed etiam verbum Dei cum fide audiendo. *Crede,* inquit Auguſtinus, *& jam manducaſti.* Cum panem ſe vitæ eſſe dixit qui de cœlo deſcendit, de verbo ſuo id intellexiſſe pleriq; Patrum docuerunt. Didymus ex Cathena in Ioh. IV. ζωῆς δὲ ἄρτος καταβαίνων, ὁ τοῦ θεοῦ λόγος ἐστὶν, ὃν ἐσθίει ὁ πρὸς αὐτὸν ἐρχόμενος. *Vitæ panis de cælo deſcendens verbum Dei eſt quem edit ille qui ad ipſum accedit.* Non ſola itaque carnis Chriſti manducatio in pane Euchariſtiæ nobis præcepta eſt, neque principaliter

ter quidem ad hoc inſtituta ſi formalem ac ſpecificam hujus ſacramenti inſtitutionis rationem reſpiciamus, quæ ad commemorandam Chriſti paſſionem ab eo tradita eſt. Qui credit quod Chriſtus pro ſe mortuus eſt, ſervatur. Credit pro ſe mortuum eſſe qui mortis ejus memoriam recte celebrat, ut ipſe inſtituit celebrandam. Recte eam celebrat, qui ſub duobus ſymbolis panis & vini credit ſe Chriſti corpore & ſanguinis communicare, quia profeſſus eſt in tradendo pane corpus eſſe ſuum, & in tradendo calice ſuum eſſe ſanguinem. Non eſt autem panis corpus neque vinum ſanguis, niſi credenti vera Chriſtum dixiſſe, & vere pro nobis paſſum fuiſſe. De fide etiam eſt credere non carnaliter utrumque ſumi, ſed ſpiritaliter, quia idem Chriſtus cum carnem ſuam manducandam præcepit & ſanguinem bidendum ſalvari cupientibus, ſpiritum eſſe dixit quæ verba de eo loquutus eſſet. Ne quidem ſpiritaliter ſumi poteſt hoc corpus Chriſti niſi ab eo qui ſe ita pararit ad illud accipiendum, ut ipſe prius per fidem mundus & juſtus factus mereatur eſſe corpus Chriſti. Nec corpus eſt Chriſti qui vitam dat, ſed Spiritus Chriſti. *Fiant*, inquit Auguſtinus in Iohannem Tract. XXVI. *corpus Chriſti qui volunt vivere de ſpiritu Chriſti. De ſpiritu Chriſti non vivit niſi corpus Chriſti.* Item: *Non poteſt vivere corpus Chriſti niſi de ſpiritu Chriſti.* Ex corpore & ſpiritu homo conſtat,

cor-

corpus habet viſibile, ſpiritũ inviſibilem. Non ſpiritus vivit de corpore, ſed corpus de ſpiritu. Ita cum corpus Chriſti effecti ſumus, per fidem de ſpiritu ejus vivimus. Ad participationem ſpiritus, ut idem alio loco dixit Auguſtinus & auctor libri de Cœna, carnem ejus in pane myſtico manducamus, & ſanguinem in vino myſtico bibimus, utrumque ergo ſpiritaliter cum effectu gratiæ inviſibilis; quam ſoli fideles fide conſequuntur, & ſacramentaliter per ſignorum viſibilium quæ omnium communis eſt, perceptionem. Signa illa duo viſibilia quibus adjuncta eſt ſpiritus gratia inviſibilis, nobis memoriam paſſionis Chriſti repræſentant quam Chriſtus ipſe ſub illa imagine, duobus ſymbolis juſſit celebrari. Sacramentum hoc igitur cum ſit rei geſtæ ad memoriam celebratio, id eſt, paſſionis Chriſti, nec poteſt rite celebrari, niſi iiſdem prorſum modis quibus res ipſa acta eſt, hoc eſt, paſſio Chriſti peracta. Nam ut bene ait Auguſtinus Epiſtola CXIX. *Sacramentum eſt in aliqua celebratione cum rei rememoratio fit ut aliquid etiam fieri intelligatur quod ſancte accipiendum eſt.* Ita legit Iſidorus, non ut hodie legimus, *in alia.* Subjicit deinde: *Eo itaque modo agimus Paſcha, ut non ſolum in memoriam quod geſtum eſt revocemus, id eſt, quod mortuus eſt Chriſtus, & reſurrexit, ſed etiam cætera quæ circa ea atteſtantur ad ſacramenti ſignificationem non omittamus.* Paſſio autem illa

& mors Chriſti in cruce per effuſionem ſanguinis & ſeparationem animæ à corpore quæ in ſanguine eſt, quique ſanguis in hoſtia pro peccatis expiaturus erat; contigit. Vt enim in corpus & ſanguinem homo dividuus eſt qui conſtat ex corpore & anima, ſic etiam Epicurus qui deos ſuos in forma humana tanquam omnium pulcherrima proponebat, non corpus, ſed *quaſi corpus*, nec ſanguinem ſed *quaſi ſanguinem* eos habere dicebat, hominem autem vere corpus & ſanguinem habere. Quandiu corpore & ſanguine homo integer conſtat, vivit. Si ſanguis è corpore ejus effundatur anima ſimul cum ſanguine elabente moritur. Ita hoſtia quæ mactata eſt corpus ſeorſim habet, & ſeorſim ſanguinem, ut ſupra & in Epiſtola multis probavimus. Chriſtus in cruce hoſtiæ inſtar pro nobis oblatus & immolatus ita corpus ſeorſim, & ſanguinem ſeorſim, ut omnes ſolent hoſtiæ, habuit. Memoria ejuſmodi mortis non rite nec perfecte celebrari potuit, niſi repræſentatione corporis ſeparatim fracti & exanimis exſanguiſque relicti, & ſanguinis ſeparatim ex corpore effuſi. Cum Chriſtus igitur eam mortis ſuæ commemorationem mandaret diſcipulis ultima cœna quam cum iis habuit, duo ſymbola quibus ea duo ſignificarentur per quæ mors ejus & immolatio proceſſerat, iiſdem ſuis diſcipulis tradidit, panem fractum dando in ſimilitudinem corporis

ris fracti vinum in calicem effuſum tradendo in ſimilitudinem ſanguinis effuſi. Alterum ſignum ſine altero mancum eſt, quia utroque paſſio Chriſti ſignatur, ac repræſentatur, quæ alterutro ſolo non poteſt recte aut perfecte oſtendi, & commemorari. Hæc mors ejus fuit, ſeparatio ſanguinis & effuſio è corpore. Hæc mortis ejus memoria ita duabus ſignis ac ſymbolis peragi debuit, quorum alterum corpus exangue denotaret, alterum ſanguinem extra corpus effuſum ſignificaret. Atque ita etiam ſuam paſſionem celebrandam conſtituit ipſe Dominus pridie quam pateretur, ut jam toties dictum eſt in præcedentibus, & in Epiſtola. Si alterum ex his ſymbolis omittatur, non poteſt imago reſpondere archetypo, neque memoria rei geſtæ ipſi rei quæ geſta eſt, neque paſſionis commemoratio ipſi paſſioni. Ex his liquet duo omnino eſſe ſacramenta formaliter haud minus quam materialiter. Panis & vinum duæ ſunt diverſæ materiæ ac ſpecies, quæ quamvis ad hominis communem refectionem ſimul concurrant, non poſſunt tamen videri eandem ſubſtantiam conſtituere cum toto genere differant, quæ nec minus etiam formam cum ſubſtantia diverſam habeant. Vbi vero hæ duæ ſpecies per cõſecrationem ſigna factæ ſunt corporis Chriſti & ſanguinis, tum formali ratione quæ ſignificationem habet paſſionis Chriſti in corpore & ſan-

S guine

guine in duo diſtractis peractæ, & ſub tali imagine commemorandæ, haud ſecus duo diverſa exiſtunt ſacramenta quam panis & vinum ante conſecrationem diverſæ extitere materiæ. Reſpectu quidem ipſius corporis quod in ventre Virginis Mariæ ſumpſit Chriſtus, & in ſacrificium holocauſti obtulit, & quod unũ eſt, unum etiam videtur ſacramentum, ſed quia ſacrificium illud cujus commemoratio fit in Euchariſtia ſub ſymbolis panis & vini, non factum eſt abſque ſegregatione atque effuſione ſanguinis è corpore, ideo cum duo ſint ſigna duarum illarum hoſtiæ partium, duo etiam videri debent diverſa ſacramenta, tam ſecundum materiam quam ſecundum formam. Nam materia panis & vini cum etiam maneat in his ſacramentis poſt conſecrationem & quidem duplex, ex conſecratione forma accepta qua ſacramenta fiunt corporis & ſanguinis quæ & ipſa duo ſunt, ſeorſim ut in hoſtiæ immolatione conſideranda, ſic duo quoque illa diverſa ſunt habenda ſacramenta. Hoc cum ita ſit, ubi illa concomitantia quam ſomniant ſanguinis cum corpore ſub ſpecie panis, & corporis cum ſanguine ſub ſpecie vini? Non enim magis in hoc ſacramento ſive ſacrificio, ut illud vocant veteres, ſanguis poteſt eſſe in corpore per concomitantiam aut corpus cum ſanguine, quam in ipſo Chriſto hoc fuit cum in cruce mortuus penderet exanimi corpore, & exangui. Nec ſane

magis

magis corpus ſanguinem in hoc eodem ſacramento aut ſanguis corpus ſub ſpeciebus vini & panis continere videntur, quam panis ipſe continet vinum aut vinum panem. Debent enim ſigna rebus quas ſignificant convenire, ſed & res ipſæ quæ ſignificantur, ita ſignis eſſe ſimilia, ut ſaltem non plus inſit in ſignis quam in re ipſa. Nam ut ait Auguſtinus in Epiſt. XXIII. *Si ſacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum non haberent omnino ſacramenta non eſſent.* Lanfrancus contra Berengarium: *Sacramenta illarum rerum quarum ſacramenta ſunt, ſemper ſimilitudinem gerunt. Sicut in ſacramento de quo quæſtio ventilatur dum frangitur hoſtia, dum ſanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio, ejuſque ſanguinis de latere effuſio ſignificatur?* Cum autem hoc ſacrificium quod in Eccleſia geritur, ſit ἀνάμνησις illius ſacrificii quod ſemel pro nobis oblatum eſt, cur in ſimilitudine & imagine, hoc eſt in commemoratione rei geſtæ plus aut amplius aliudque ponitur quam in ipſa re cum gereretur fuit? In ſacrificio crucis caro ut hoſtiæ mactatæ ſine ſanguine fuit, quia effuſus eſt, ſanguis autem ipſe extra corpus ſuum ejectus in ſolum profluxit. Cur hodie panis qui offertur in imagine & ſimilitudine illius Chriſti corporis tū mortui, non ſolum corpus vivum & animatum intelligitur, ſed etiam divinitate ſua præſente præditum? Cur ſacrificium appel-

lant hoſtiæ in qua ſanguis & anima ineſſe creditur etiam poſt immolationem? An in vero ſacrificio cujus hoc imago eſt ac repræſentatio, anima remanſit in corpore poſtquam ſanguis inde effluxit cum ſpiritu? Cur autem plus habet imago quam res ipſa? Non enim ſolum corpus Chriſti animatum & vivum cenſent tradi communicantibus, & eſſe præſens cum ſanguine ſuo & omnibus humoribus ſubſtantialibus, ſed & panē in hæc omnia converti, excepta Divinitate quæ nō ſimul per converſionem ibi adeſſe incipit, quamvis & ipſa adſit, ſed alio nimirum modo quia ubiq; eſt præſens. Admittunt etiam Lutherani corpus Chriſti quod in pane myſtico manducatur, & animam habere & ſanguinem, cum tamen fateantur divinitatem non capere, ut manducetur. An magis cadit in animam, ut dentibus teri cum vivo corpore poſſit, & conſumi? Multo quidem minus in divinitatem hoc cadere cenſendum. Neutrum igitur fit in hoc ſacramento. Et tamen veteres dicunt, nos λόγον θεοῦ in cœna Dominica comedere. Quomodo hoc intelligunt? Non ſane carnaliter, ſed ſpiritaliter. Severus Cathena in Iohannem, καίτοι γε οὐ τὸν λόγον ἐσθίομεν καθὸ λόγος ἐστί. *Non divinitatem comedimus quatenus eſt divinitas.* Addit tamen paulo poſt, ὅθεν καὶ τὸν λόγον ἐσθίομεν, τὴν ζωοποιὸν τοῦ λόγου σάρκα ἐσθίοντες. *Vnde & ipſam divinitatem manducamus, cum carnem ejus vivificam comedimus.* In pane

ſcilicet

ſcilicet cui virtus carnis vivificæ per Spiritus Sancti præſentiam indita eſt, ſicut omnes intellexere veteres. Carne ſacrificii veſcebantur qui ſacrificaverant olim, Chriſtiani & ipſi quoque nunc quia carne veſci ipſa non poſſunt hoſtiæ quæ pro ipſis ſemel oblata & immolata eſt, panem pro ea accipiunt quem Chriſtus ipſe voluit vicem habere illius carnis per virtutem ſui ſpiritus. Idem de ſanguine. Ita panem Paulus de quo omnes participant fideles, comparat cum carne ſacrificii quo plures ſimul veſci ſolebant, ut κοινωνίαν eſſe doceat omnium fidelium inter ſe eodem cibo ſpiritali veſcentium, ut erat inter illos Iſraëlitas qui eodem cibo carnali ex hoſtiis mactatis veſcebantur, in priore ad Corinthios x. Si manducatur Chriſti corpus in Euchariſtia cum anima ſua & ſanguine, atque etiam divinitate, ut exiſtimant tam Lutherani quam Pontificii, non poſſunt effugere, quin adſit in ſacramento præſentia naturalis, cum omnia quæ naturali corpori conveniunt, in ſacramentali prorſus deprehēdantur. Fruſtra igitur ad ſacramentalem ſuum modum & ſupernaturalem atque ineffabilem confugiunt. Miror etiam Lutheranos qui agnoſcunt corpus animatum & vivum dum manducatur in ſacramento præſens eſſe, & ſanguinem ſuum in concomitantiam naturaliter trahere, non idem ſentire vice verſa & de ſanguine, quod ſimiliter & trahat

Digitized by Google

corpus ſuum. Nam quæ ratio poteſt afferri cur aliter ſit in uno quam in altero? Quod autem afferunt pro ratione, nullius plane eſt momenti. Nimirum quia ſi ſanguis ponatur trahere corpus cujus ſanguis eſt in concomitantiam, atque adeo in ſuo corpore ſuiſque venis adeſſe, amittet rationem potabilis, ſive ad modum potus ſumi non poterit. Quaſi minus mirum ſit in liquido & potabili permanente ſanguine non ſentiri corporis Chriſti ſoliditatem, dum per guttur liquor vini deſcendit, quam in pane non eſſe ſenſibilem ſanguinis guſtum, immo ne quidem carnis vivæ etiam atque animatæ, dum manditur & extenuatur, & molitur dentibus? Si panis non amittit ſecundum Pontificios ſaporem ſuum, & tamen caro eſt Chriſti cum ſanguine, an magis abſurdum eſt, ut vinum nihil deperdens ſui corpus tamen Chriſti contineat, cum ſanguine ſuo? Vtrumq; non modo abſurdiſſimum ſed portentoſum, præcipue, ſi verum fatemur, illud de ſanguine potabili & tamen ſolidum corpus continente. Nam duo ſimul monſtra tegit, ut vinum ſit converſum in naturam ſanguinis, & ut ille ſanguis ſic converſus ex liquore in liquorem alium, nihilominus etiam corporis totius ſubſtantiam per concomitantiam retinere videatur. Sanguis eſt pro vino per Tranſſubſtantiationem, & pro ſanguine etiam corpus per concomitantiam. Duæ ſunt partes, ut jam toties

dictum

dictum eſt, hoſtiæ veræ, id eſt, Chriſti pro nobis immolati, corpus ſine ſanguine, & ſanguis ſine corpore, quia jacuit in terram effuſus. Totidem ſacramenta harum duarum partium cœna ſua ultima Chriſtus eſſe voluit ad memoriam mortis ſuæ inſtaurandam, in pane & vino. Vt in cruce ſanguis ille effuſus non fuit una cum corpore, ut antea erat, nec corpus cum ſanguine ſuo ut prius fuerat, cur nunc in ſignis per quæ ejus rei imago & ſimilitudo celebratur, id eſſe putabimus quod in re non fuit? Cur panem quod ſignum eſt ſolius corporis ſine ſanguine, id eſt, mortui & exſanguis, volumus eſſe etiam corporis vivi & ſanguine ſuo inſtructi ſymbolum? Quod ſi admittimus, omnino etiam vinum ſymbolum erit non ſanguinis ſolius extra corpus projecti, ut in cruce de latere ejus fluxit, ſed etiam ſolidi & integri corporis quale fuit cum vivum fuit & ſanguinis plenum. Quæ ſunt abſurda, falſa, impoſſibilia, & inſtitutioni ſacramentorum repugnantia quorum vim & naturam penitus ſubvertunt. Cum duo enim ſint ſacramenta diverſa tam materiali quam formali ratione, unum corporis, alterum ſanguinis, alterum in panis ſpecie, alterum in vini, non poſſunt alternari, & quod unius eſt proprium ad alterum tranſire, ut duorum proprietas in uno ſit, & alterutrum idem ſit quod utrumque. Si concomitantia in his locum non habet, neque ſane habebit ul-

manu ipſius Pontificis *communicant*, id eſt, panem accipiunt, ut & Presbyteri ordine ſuo, ſed Epiſcopus accepto calice de manu Archidiaconi, & ſtans in cornu altaris *confirmat* ſequentes ordines uſque ad primicerium. Ipſe Pontifex communicat eos qui in ſenatorio ſunt, ſive proceres Romanos, id eſt, panem iis tradit, qui confirmantur ab Archidiacono dum calicem eis dat. *Poſt hac*, inquit, *Epiſcopi communicant populum, annuente eis primicerio, cum manu ſub planeta percontato Pontifice, poſt Diaconi confirmant.* id eſt, calicem tradunt. *Communicatio* igitur tunc proprie dicebatur panis participatio, *confirmatio* autem calicis potus. Sequitur apud eundem: *Presbyteri autem annuente primicerio, juſſu Pontificis communicant populum, & ipſi viciſſim confirmant.* Item: *Poſt omnes eos redeuntes Nomenclator, & Saccellarius, & Acolythus qui patenam tenet, & qui manutergium tenet, & qui aquam dat, ad ſedem communicantur à Pontifice, Archidiaconus eos confirmat.* Clarius adhuc ea diſtinctio nominis & rei expreſſa legitur communicationis & confirmationis, capite ſequente his verbis: *Expleta confractione Diaconus minor levata de ſubdiacono patena refert eam ad Pontificem, ut communicet corpore Dominico. Sed ipſe Pontifex confirmatur ab archidiacono in calice ſancto, de quo parum refundit archidiaconus in majorum calicem, ſive in ſcyphum, quem tenet acolythus, ut ex eodem ſacro vaſe confirmetur populus.* Et

 paulo

paulo poſt clariſſime id oſtenditur ex iſtis: *Recepto calice archidiaconus confirmat omnes ſaguine Dominico, quos communicaverit Pontifex corpore Dominico.* Non longe ab hinc ſequuntur & iſta, ſatis manifeſta ad hanc diſtinctionem ſignandam: *Et ſicut Archidiaconus confirmat quos Pontifex communicat, ſic reliqui Diaconi confirmant, quos Epiſcopi ſive Presbyteri poſt Pontificem communicant.* Nam communicare apud hunc auctorem poſitum eſt active, pro communionem dare. Sic communicatio proprie de panis, confirmatio de calicis ſacramento. Calicem quippe Diaconi populo tradebant quos hic ait populum confirmaſſe, at panis communionem; è manu Epiſcopi vel Presbyteri accipiebant, ut alias oſtendam. Apud Cyprianum de Lapſis, *Vbi vero ſolemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit.* Nihil notius. Cum tantum igitur differre invicem tunc temporis exiſtimarentur panis ſacramentum & calicis, ut alterum communicationis nomine proprie diceretur, alterum confirmationis, haud minus diverſa eſſe ſacramenta hæc duo cenſenda ſunt, quam ſacramentum Baptiſmatis & Chriſmatis, quod etiam *confirmationis* ſequentibus ſæculis nomen meruit. In Epitome conciliorum Adriani Papæ can. XLVIII. Synodi Laodicenæ ita habetur, *ut baptizati Chriſmate confirmentur.* Tempore Dionyſii Exigui, nondum, ut apparet, confirmationem de Chriſmate

Chriſmate noverat Eccleſia Latina. Nam ipſe vertit ſimpliciter, *ut poſt Baptiſma Chriſma detur.* Ex Ordine autem Romano palam eſt confirmationis appellationem de ſacramento calicis antiquiorem eſſe quam de Chriſmatione poſt Baptiſmum uſurpata. Confirmatio quaſi clauſula eſt qua aliquid perficitur non ſatis perfectum ſine eo futurum, & qua veluti ſumma manus imponitur. Σφραγῖδα Græci appellant. Vt enim in iis quæ tuta eſſe volebant poſtquam clauſa eſſent, non id ſatis eſſe putantes etiam ſigillo vel ſigno impreſſo muniebant quod σφραγίζειν vocabant. Ita arculas, ſacculos, etiam lagenas, tabulas, & alia obſignabant. Vnde & ἐπισφραγίζειν etiam in aliis rebus ac dictis idem eſt quod confirmare ut apud Iovium Monachum. τοῦτο καὶ ὁ θεῖος Ἀπόστολος ἐπισφραγίζει λέγων, quaſi ſigillo impoſito confirmat. Sed & τελείωσιν Græci vocarunt in ſpiritalibus eam confirmationem qua ſanctiora quaſi reddebantur, quæ ſic ſacrarentur. Vt in Baptiſmo per Chriſmationem Spiritus Sancti compotes, & per eum regni cœleſtis conſortes fieri exiſtimabatur qui eam ſuſciperent. Canon ille Laodicenæ Synodi: *Quod oporteat eos qui baptizantur poſt lavacrum Chriſma cœleſte percipere, & regni Chriſti participes inveniri.* In Græcis, χρίεσθαι χρίσματι ἐπουρανίῳ, καὶ μετόχους εἶναι τῆς βασιλείας Χριστοῦ. Apud Latinos *perfici* dicebantur, & perfectum habere baptiſmum & integrum qui

con-

confirmati fuiſſent Chriſmate & manuum impoſitione. Ita ergo cum ſacramentum calicis *confirmationis* nomine appellatum ſit, non integram nec perfectam ſine eo Euchariſtiæ perceptionem credidere, qui ſic illud nuncuparunt. Ita digniorem hanc eſſe partem habitam Euchariſtiæ conſtat qua alteram confirmari cenſuerunt, utpote quæ τελειωτικὴ magis foret. Nam Spiritus Sanctus maxime vim habet τελειωτικὴν, ut Græci ſcribunt. Inde & τελείωσις etiam pro conſecratione, ut & πλήρωσις. Hinc ἀναπληρωθῆναι pro reconſecrari in Nicæno concilio ſeptimo, τοὺς ναοὺς ἐγκαινισθέντας ἀναπληρωθῆναι. Templa encæniis reconſecrari. Vt confirmatio vocatur in ordine Romano ſacramentum calicis ita *ad complementum dari* dicitur Iulio Papæ apud Gratianum, de conſecratione Diſtinctione II. Can. VII. *Alios quoque intinctam Euchariſtiam populis pro complemento cõmunionis dare.* Id eſt, pro confirmatione, τελείωσις, βεβαίωσις, πλήρωσις. Quod paulo poſt explicabimus. Non enim eorum verborum ſenſus eſt quem vulgo putant, quaſi ſolam intinctam Euchariſtiam pro toto ſacramento illi darent. Id enim damnat eo loco Iulius quod in Eccleſia Romana fiebat cum editus eſt liber ille qui Ordo Romanus inſcribitur. Quemadmodum igitur Chriſma confirmationis nomine appellatum eſt quod pro complemento dabatur baptizatis, & ſacramentum calicis quoque confirmatio quod illis trade-

trádebatur qui jam corpori communicaverant, ut perfectum haberent hoc ſacramentum, ita etiam & totum ſacramentum Euchariſtiæ ſic quoq; appellatum eſt aliquando, quia Catechumeni ſtatim atque ſacro lavacro tincti eſſent, traducebantur ad Euchariſtiæ perceptionem qua velut confirmari credebantur. Vt enim poſt baptiſma dari cōtinuo ſolitum olim Chriſma confirmatio, & confirmatio calix qui poſt panē porrigi continenter ſolebat, ita etiam tota Euchariſtia dicta eſt *confirmatio*, quia baptizatis protinus conferebatur tanquam ſacramentorum complementum & perfectio. In Tractatu Alcuini de cæremoniis baptiſmi poſtquam egit ille de ultima ſancti lavacri cæremonia qua Catechumeni induebantur albis, quod λαμπροφορεῖν τοὺς βαπτιζομένους Græci dicunt, tranſit ad confirmationem corporis & ſanguinis, quia baptizati & ſacro unguento liti vel impoſitione manuum accepta, ad Euchariſtiæ ſacramentum in continenti participandum deducebantur. Ita ergo ſcribit de baptizato & Chriſmato: *Confirmatur poſtea corpore & ſanguine Domini, ut ſciat per talia myſteria Diabolum expulſum ab ejus corde ac Chriſtum inhabitare.* Nec adeo mirum ſi confirmatio dicitur alterius ſacramēti. Confirmatio quippe non ſolum quia poſterius cōferebatur, nam priora ferme cōfirmantur poſterioribus, ſed etiam quaſi dignius ſacramentum & ſanctius ſic meruit nuncupari. Vnde & τελειτῶν

τελειτὴ

τελετὴ vocatur Dionyſio Areopagitæ. Auctor quoque libri de Cœna Domini conſummans omnia ſacramentum id appellat, in titulo: *De Cœna Domini, & prima inſtitutione conſummantis omnia ſacramenta*, vel *ſacramenti*, ut legit Pammelius. Hoc eſt ergo τελειωτικὸν τῶν πάντων μυστηρίων μυστήριον. Sane cum Baptiſmus ſit etiam unum ex myſteriis ſive ſacramentis Eccleſiæ. Patres tamen abſolute & κατ' ἐξοχὴν μυστηρίων nomine ſola ſacramenta quæ vocabantur altaris, ita nuncuparunt. Vnde τὰ ἅγια μυστήρια τῶν ἁγίων μυστηρίων μετάδοσις & μετάληψις de ſola Euchariſtia & Euchariſtiæ participatione & communicatione dicuntur ἀντονομαστικῶς. Sic Græci τελετὴν & μυστήριον in ſuis ſacris diſtinguunt, ut τελετῆς nomen baptiſmo noſtro videatur magis convenire. Vnde & *initiari* frequentius de iis qui ſacrum lavacrum accipiunt Patres Latini dicunt, quam qui Euchariſtiæ fiunt participes. Aliquando tamen & *initiationem* de utroque ſacramento uſurpant, ut Ambroſius in libro *de his qui initiantur ſacramentis*, utrumque ſacramentum complexus eſt, Baptiſmi, Chriſmatis, & Euchariſtiæ. Sed & *initia* Latini pro totis myſteriis uſurpant, & *initiatio* etiam de μυήσει dicitur. Vt ergo Euchariſtia quaſi confirmativum eſt myſterium Baptiſmi, ita Græcis id quod μυστήριον proprie appellatur, majus eſt quam τελετὴ, & quaſi ejus confirmatio. Sic igitur has voces diſtinguunt, ut apud Hermian.

Philo-

Philoſophum legitur in tertium Phædri: εἰδέναι δὲ δεῖ, inquit, ὅτι ἄλλη ἐστὶν τελετὴ καὶ ἄλλη μύησις, καὶ ἄλλη ἐποπτεία. Ἡ μὲν τελετὴ ἀναλογεῖ τῇ προσχοδῇ καθαρμοῖς καὶ τοῖς ὁμοίοις, ἡ δὲ μύησις ἥτις παρὰ τὸ μύειν ἐλέχθη τοὺς ὀφθαλμοὺς θειοτέρα ἐστί· τὸ γὰρ μύειν τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦτ᾽ ἐστι μηκέτι αἰσθήσει λαβεῖν ἐκεῖνα τὰ μυστήρια ἀλλ᾽ αὐτῇ ψυχῇ καθαρᾷ, τόδε τῆς ἐποπτείας, τὸ ἐνιδρυνθῆναι αὐτοῖς καὶ ἐπόπτην αὐτῶν γενέσθαι. Baptiſmus reſpondet τελετῇ, id eſt, initiationi quæ lotionibus & purgationibus præpararet Dei electos & ſacratos. Myſteriorum acceptio quæ divinior eſt & ſanctior, corporis & ſanguinis myſteriis, quæ non ſenſu percipienda ſunt, ſed intellectu & mente pura. At ἐποπτεία noſtra non in hac vita futura eſt, ſed in altera, quæ nos ſiſtat ἐπόπτας illius veritatis quam hic in imagine tantum concipimus, atque ut loquitur Damaſcenus, νῦν νοητῶς, τότε δὲ διὰ μόνης θέας. Quæ explicant differentiam μυήσεως & ἐποπτείας. Certe ita ἀναλογεῖ baptiſmus τελετῇ, & ſacramentum corporis τῇ μυήσει, quatenus τελετὴ præcedit μύησιν. Sic & Euchariſtia ſuccedebat lotioni ſacræ. Quæ ſecundo autem loco accipiebantur veluti confirmativa erant priorum, ut etiam in βροντοσκοπίοις obſervarunt veteres, ſecundum fulgur prius confirmaſſe. Ita Euchariſtia quæ poſt baptiſmum ſemper accipi ſolebat, confirmationis locum habebat & concluſionis. Atque ut ἐποπτεία quod extremum eſt in myſteriis τελείωσις dicitur, id eſt, conſummatio & confirmatio, ita Euchariſtia etiam τελείωσις in ſacramentis Chri-

ſtiani.

ideo ad ſanguinem Chriſti referri. Vt ut ſit quod Chriſmatio eſt baptiſmo, & ſacramentum calicis ſacramento panis, hoc etiam eſt totum Euchariſtiæ ſacramentum toti & integro Baptiſmi ſacramento, ſecundum illam opinionem veterum, qui baptizatos confirmari credebant Chriſmate, & eos qui corpori communicaverant confirmari calice, & ſimiliter qui utrumque ſacramentum baptiſmi & Chriſmatis acceperant Catechumeni confirmatos eſſe cenſebant Euchariſtia cujus communione impertiebantur. Hæc longe abſunt ab ea opinione quæ nunc obtinet, quæ æque integrante parte ſacramenti atque etiam eſſentiali tam ſanctum ſacramentum mutilavit, & ea defraudavit fideles. Vt ſcias autem gradatim ad hanc inſaniam deveniſſe homines, nonnulli veterum medio præſertim ſæculo, non cogitantes quid geratur in hoc ſacramento, & ad quam rem fuerit inſtitutum, & cujus rei ſimilitudinem haberet, non potuerunt ſibi perſuadere rectum eſſe quod in duas veluti partes diſcerperetur corpus Chriſti, ut ſeorſum caro in pane diſtribueretur, & ſeorſim ſanguis in vino. Inde ergo intinctio panis introducta, ut ſic quod temere ab antiquis diviſum fuiſſet, in unam veluti eſſentiam reduceretur, ne corpus nimirum ſine ſuo ſanguine videretur eſſe. Non viderunt illi ſicut panis repræſentabat corpus mortuum, & vinum ſanguinem effuſum,

atque ut totum ſacramentum paſſionis Chriſti memoriam refert, ita non poſſe niſi illa commemoratio, & imago rei geſtæ tollatur, aliter paſſionem celebrari quam quomodo acta fuit ſuo tempore. Vt igitur fieret iterum veluti commixtio corporis & ſanguinis quemadmodum erat in Chriſto antequam pateretur, hoc in Eccleſia Romana aliquãdo introductum eſt, ut Pontifex cum Miſſam celebraret ex ea quam admorderat hoſtia in calicem mitteret, & hæc verba pronunciaret, *Fiat commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis Domini noſtri.* Ita clare traditur in ordine Romano, conſcripto, ut mihi certa fides eſt, circa ſæculum octavum. Sic igitur in eo legitur: *Expleta confractione Diaconus minor levatam de ſubdiacono patenam defert ad ſedem, ut communicet Pontifex. Qui dum communicaverit de ipſo ſancto quod momorderit, ponit inter manus archidiaconi in calicem, faciens crucem ter, dicendo; Fiat commixtio, & conſecratio corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu.* Duo ex his animadvertere licet, primo non aliter tunc conſecrari vel benedici calicem ſolitum in Eccleſia Romana quam immixtione panis conſecrati, & in vinum intriti, ut ſcilicet conſecratus panis vinum quoque conſecraret, ne ſi diviſim benediceretur calix diverſa ac ſua conſecratione, ſic videri poſſet diverſum & ipſum ſacramentum à ſacramento panis. Hoc illi videri noluerunt. Deinde notandum non

non unica actione totam Euchariſtiam tunc confectam fuiſſe, nec ſolum calicem cui intritus ſanctus panis fuerat, populis pro ſacramento corporis & ſanguinis diſtributum fuiſſe, ſed cum panem prius accepiſſent, quæ communicatio tunc proprie dicebatur, pro confirmatione & complemento traditum illis fuiſſe calicem in quem particula panis conſecrati à Pontifice immiſſa fuerat. Hanc conſuetudinem damnat Iulius Papa apud Gratianum, cujus verba jam ſupra retulimus, quibus narrat quoſdam tunc fuiſſe, *qui tinctam Euchariſtiam populis pro complemento communionis offerrent.* Quibus verbis non ſignificat una actione pro integro ſacramento intinctam Euchariſtiam datam, quaſi tum completum fuerit unica & non duabus actionibus hoc ſacramentum. Taxatur ab eo Papa ille mos qui poſtea in Eccleſia Romana obtinuit, ut pro ſacramento vini quod dabatur in complementum & confirmationem communionis panis, calix porrigeretur in quem intrita & immiſſa fuerat portio panis ſacrati quo calix conſecrari ſine ulla alia benedictione exiſtimabatur eo tempore, ut ex ordine Romano probavimus. Quæ prava conſuetudo & à Iulio improbata hodie etiam retinetur ab Eccleſia Romana & in occidentalibus omnibus quæ nunc ei ſubjacent. Nam in celebratione Miſſæ, & confectione ſacramentorum ſacerdos quartam hoſtiæ partem ex hoſtia defra-

ctam & in calicem miſſam una cum vino haurit & ſic communicat myſterio ſanguinis. Et hujus moris jam tum apud Romanos recepti meminit Sergius Papa in Decreto Gratiani de conſecratione Diſtinctione II. Can. XXII. ubi dicit, *Triforme eſſe corpus Chriſti, pars oblata in calicem miſſa corpus Chriſti quod jam reſurrexit monſtrat, pars comeſta ambulans adhuc ſupra terram, pars in altari uſque ad finem Miſſæ remanens, corpus jacens in ſepulcro quia uſque ad finem ſæculi corpora ſanctorum in ſepulcro erunt.* Quæ inepta & ſuperſtitioſe à male feriatis hominibus ac prava imbutis opinione adinventa inſtitutionem Dominicam hujus ſacramenti pervertunt, uſumque corrumpunt. Cum enim ad memoriam paſſionis Dominicæ celebrandam liqueat inſtitutum, ut omnes ferme Patres conſentiunt poſt clara ipſius Domini verba diſerte id teſtificantis, in hoc triformi corpore Sergii nihil eſt quod paſſionem ipſam repræſentet. Prima pars miſſa in calicem reſurrectionem monſtrat, quia corpus & ſanguinem ſuum tunc recepit, idque oſtendit commixtio corporis & ſanguinis panis & vini confuſione. Pars altera panis comeſta in ipſa communicatione ſolius corporis, ipſum corpus notat ſupra terram ambulans, nempe totum & integrum cum ſanguine ſuo. Hæ duæ actiones totam communionem conficiunt. Nam pars illa quæ remanebat in altari uſque ad finem Miſſæ nihil ad communio-

nem

nem pertinet. Vbi igitur paſſionis ipſius commemoratio, & in quo ſigno aut ſpecie repræſentabitur? Vt in fracto corpore & ſanguine effuſo peracta eſt, ita in pane fracto & vino in calicem fuſo demonſtratur. Quarta igitur forma corporis Chriſti ponenda fuit qualis erat cum paſſus eſt, & cum anima ex corpore ejus cum ſanguine exceſſit. Ita quadriforme corpus ſtatuendum fuerit Chriſti, non triforme. Si Iulius viveret, & illa fieri in Eccleſia ſua videret quæ nunc fiunt, quid diceret? Suam eſſe negaret, aut eam reformare conaretur. Certe non probaret quod in aliis tum cum in vivis eſſet damnavit, intinctam Euchariſtiam pro complemento communionis & pro ſacramento calicis à ſacerdotibus ſumi. Multo magis improbaret quod ſoli ſacerdotes nunc eam ita ſumunt, cum ejus tempore populis calix ita vino & pane temperatus porrigeretur. Solum etiam intinctum vino panem pro utroque ſacramento datum aliquando & in quibuſdam Eccleſiis fuiſſe, jam in Epiſtola oſtendimus. Mos hic originem duxit ex eo quod crederent neceſſariam ad ſalutem Euchariſtiam æque ac baptiſmum quam ideo infantibus præbebant, ut & ægrotis. At cum infantes parvuli panem difficulter devorare poſſent, & ſæpe ægroti in ultimis poſiti eadem difficultate laborarent, repertum eſt ideo ut intrita in vinum vel vino madidata utriſque daretur. De infante extat exem-

 plum

plum apud Cyprianum de Lapſis, cui *quod carnem edere non poſſet per ætatem, panem mero mixtum tradiderunt.* In ægrotis quibus portabatur Euchariſtia alia etiam ratio fecit, ut intritus in vinum panis daretur. Nam cum abſentibus per valetudinis cauſam mos eſſet communionem deferri, per Diaconos ea ferri ſolebat qui conſecrandi vini poteſtatem non habebant. Quoniam autem vinum non ita poſſet commode reſervari ad hos uſus ut panis, ea gratia id excogitatum ut pane ſacro in calicem miſſo cõmixtione ſanctificatę ſpeciei ea quę non eſſet benedicta ſanctificaretur. Hujus rei exemplum habemus in hiſtoria Euſebii de Serapione, cui in ultimis poſito per ſervum Euchariſtia ſic allata eſt & adminiſtrata. Inde & illa conſuetudo inducta eſt, etiam citra neceſſitatem calicis eo modo conſecrandi per panis intritionem & immixtionem. De quo & myſterium factum eſt, quaſi ea commixtio reſurrectionem corporis Chriſti ſignificaret, qua corpus & ſanguis iterum in unum ſunt redintegrata quæ per mortem fuerant diſſipata ac diviſa, ut ex verbis Sergii ſupra allatis liquet. In ordine quoque Romano ſcriptum eſt, quod vinum etiam non conſecratum, ſed corpore Dominico commixtum ſanctificatur per omnem modum. Sic enim ibi legendum conſtat: *Sed ipſe Pontifex confirmatur ab Archidiacono in calice ſancto, de quo parum refundit archidiaconus in majorem calicem*

ſive

ſive ſcyphum, quem tenet acolythus ut ex eodem vaſe confirmetur populus quia vinum etiam non conſecratum, ſed corpore Dominico commixtum ſanctificatur per omnem modum. Vulgo editur, *ſed ſanguine Dominico commixtum.* Quod quid ſit neſcio, niſi ſit illud fortaſſe quod conjicio, ac verum eſt. Poſtquam Pontifex communicaverat corpori Dominico partem buccellæ quam momorderat in calicem de quo erat ſumpturus ponebat, ut fieret conſecratio calicis, & commixtio corporis & ſanguinis, quæ figuraret reſurrectionem Chriſti, ut ex Sergio vidimus. Ex illo porro calice de quo Pontifex biberat, in majorem calicem de quo populo erat danda communio parum quid refundebatur, ut ejus infuſione & admixtione, quaſi ſanguinis Chriſti poculum populi ſanctificaretur. Cæterum hujus opinionis qua immixtione corporis Dominici in calicem vinum conſecrari credebatur, meminit etiam Micrologus in libro de Eccleſiaſticis obſervationibus, capite XIX. *Non eſt autem authenticum, quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo diſtribuunt. Nam ordo Romanus contradicit, quia & in paraſceve, vinum non conſecratum cum Dominica oratione & Dominici corporis commixtione jubet conſecrari, ut populus plene poſſit communicare.* Vide conſecratum vinum panis immiſſione, de quo populus communicabatur. Sed

non intellexit verba illa Iulii de pane intincto, qui à nonnullis dabatur pro complemento communionis. Nam illud ipſum erat damnatum Iulio, quod tunc obſervabat Eccleſia Romana, panem immittendo in càlicem qui pro complemento, id eſt, pro confirmatione & concluſione communionis dabatur fidelibus. Qui reſervabant panem in Eccleſia acceptum, ut domi privatim communicarent intincto etiam utebantur. Vt enim calicem una poſſent ſumere quo integrum ſacramentum perciperent, in vinum commune panem illum ſacratum demittebant, ut admixtione hujus ſpeciei altera conſecraretur cujus conſecrandæ vim non habebant. Græci hodierni in cœna Dominica ſive feria quinta majoris hebdomadæ præparant unde viaticum toto anno infirmis præberi poſſit, & aſſervant Euchariſtiam vino tinctam, quia vinum aſſervatum fieret acetum, & naturam ſuam amitteret. Hambertus de Sylva Candida Epiſcopus & Cardinalis Eccleſiæ Romanæ in libro contra calumnias Græcorum, iis exprobrat quod conſueſſent panem in calice intritum cum cochleari ſumere. Sed de intinctione nos ſupra ſatis. Quidam etiam alia arte providerunt ut vinum poſſent habere toto anno ad uſum communionis. Linteum muſto intinctum per totum annum reſervabant atque in tempore ſacrificii partem ejus aqua eluebant, & ſic offerebant. Vt eſt

apud

apud eundem Iulium in eodem Decreto Gratiani. Intinctio & commixtio panis & vini quæ per unicam actionem ſacramentum conficiebat atque adminiſtrabat, memoriam Dominicæ paſſionis ob quam principaliter inſtitutam conſtat Euchariſtiam ab ipſo Domino, prorſus diſſimulat, & abſcondit. Sic enim repræſentatio quæ per ſimilitudinem exactam & imaginem expreſſam rei geſtæ debet procedere, nullo modo ei quod imitatur reſpondet. Sanguis & corpus invicem ſeparata cum morte fuerint, non adunata debent utriuſque ſymboli commixtione & confuſione ſimulari. Dixit Paulus in Epiſtola ad Corinthios priore cap. x. v. x v i. *Calix benedictionis cui benedicimus nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt.* Duas hic ponit diverſas communiones, ſive κοινωνίας ſeparatas, unam ſanguinis & quidem priorem eam nominans, in calice benedicto: alteram corporis Dominici in pane ſimiliter benedicto. Vt duæ ſunt communiones diſtinctæ ab Apoſtolo memoratæ ita & duo ſacramenta, quia duo ſigna, immo & duo etiam ſacrificia, unum corporis, alterum ſanguinis, ſed εὐχαριστικὰ & ἀναμνηστικὰ, & unius veri ſacrificii ἀντιμιμητικά. Nam ſcribit Auguſtinus ſacrificium viſibile inviſibilis ſacrificii eſſe ſacramentum, id eſt, ſacrum ſignum, libro x. de civitate Dei capite v i. Si ſacrificium hoc Eccleſiæ quod

 ſimu-

ſimulacrum eſt veri, ſacramentum eſt viſibile inviſibilis ſacrificii cum duo illa ſint, ut ante oſtendimus, ſacramenta, unum ſanguinis, alterum corporis, totidem etiam cenſeri debent ſacrificia, & communiones, ut ex Paulo prorſus conſtat. Cum autem calicem benedictum dicit eſſe κοινωνίαν ſive communionem ſanguinis Chriſti, ſi communio eſt ſanguinis non eſt ipſe ſanguis. Idem dixeris de pane benedicto quem deſcribit eſſe communionem corporis Chriſti. Non enim ſi ipſummet corpus eſt Chriſti per converſionem, poteſt dici aut eſſe communio corporis. Quomodo corpus ipſum verum & ſubſtantiale communio erit corporis? Hoc eodem ſane modo & oleum in Chriſmate Spiritum Sanctum αὐτόχρημα eſſe videri debeat quia communionem illud eſſe dicit vetus auctor Spiritus Sancti. Pſeudoclemens libro tertio conſtitutionum Apoſtolicarum capite XVII. Oleum in baptiſmo ἀντὶ πνεύματος eſſe ſcribit, & σφραγῖδα ſive confirmationem per ſignum crucis, ἀντὶ σταυροῦ. Vt σφραγὶς ſignum crucis eſt, oleum ſignum Spiritus Sancti. Alio loco libro VII. capite XXIII. Chriſma per oleum μετοχὴν eſſe ſcribit τοῦ ἁγίου πνεύματος, participationem Spiritus Sãcti. Ita ergo & calix participatio ſanguinis Chriſti, & panis communio corporis, ut oleum communicatio eſt Spiritus Sancti. Oleum dicitur participatio Spiritus Sancti, quia ſignum eſt & ſymbolum Spiritus Sancti. Sic

panis

panis dicitur communio corporis quia ſignum eſt communionis noſtræ cum Chriſto. Ita etiam poculum communio ſanguinis quia ſymbolum eſt communionis cum ſanguine Chriſti. Pari ratione panis dicitur corpus quia ſignum eſt corporis, & calix ſanguis quia ſignum eſt ſanguinis. Præterea cum dicat Paulus, *Panis quem frangimus nonne communio eſt corporis Chriſti*, an quod frangitur corpus eſt ipſum Chriſti & non corporis ſignum? Sic *crucem* pro crucis ſigno nuncuparunt. Sic hodieque imagines nominibus eorum ſolemus appellitare quorum ſunt imagines. Paulum, Petrū appellamus, & Crucifixum, imaginē Pauli, Petri & Chriſti in cruce fixi. Nec aliter veteres loquuti ſunt. Iuvenalis:

Et jubet archetypos pluteum ſervare Cleanthas.

Archetypos Cleanthas nominat, archetypas Cleanthis imagines vel ſtatuas. Nihil communius, uſitatius, vulgatius his loquutionibus. Ita *ſacrificium* appellatur Patribus hoc ſacramentum, quia ſimilitudo & imago ſit ſacrificii veri & unici ſemel in cruce oblati. Nam & recte Magiſter ſententiarū ipſo etiam adſtipulante Grotio, *eſſe hoc ſacrificium* ſcripſit, *quia eſt memoria veri ſacrificii.* Memoria imago eſt & ſimilitudo rei geſtę, cujus nomine res ipſa geſta plerumque appellatur. Tralaticium quippe eſt dici quod factum eſt, pro facti ipſius memoria. Cum victoriæ alicujus die ſolemni & anniverſario celebratur commemoratio, aut obſidio-

nis

nis liberatio, ſic loquimur: Hodie devicimus Hiſpanos magna pugna: Hodie urbs noſtra liberata eſt Hiſpani obſidione. Ita memoriam paſſionis Dominicæ celebrantes teſte Auguſtino dicebant, *hodie paſſus eſt Chriſtus*. Sic ſacrificium memoria eſt ſacrificii & imago, communio corporis ſymbolum communionis, corpus ipſum ſignum corporis. Cruentum illud fuit, hoc incruentum, ut paſſim Patres Græci appellant & Liturgiæ, ἀναιμάκτην θυσίαν. Si verus ſanguis eſt quod ſanguinis ſignum credimus, non incruentum videri poteſt hoc ſacrificium quia non caret ſanguine, in quo etiam ſanguis vere effunditur. Sanguinem igitur offert non vinum qui calicem offert, quia vinum non eſt amplius ſed ſanguis id quod in hoc ſacramento offertur & fidelibus datur. Si corpus eſt verum non panis quod etiam nunc quotidie frangitur, verum fit ex corpore Chriſti ſacrificium, ſicut in cruce primitus factum eſt. Fruſtra autem κοινωνίαν corporis & ſanguinis ſeparavit Paulus ſub duobus diſtinctis ſymbolis calicis & panis, ſi, quod docent Pontificii, ſanguis in corpore eſt, & corpus cum ſanguine. Inepte ſane, & ut vulgo loquuntur barbari, *impertinenter*, calicem dixit eſſe communionem ſanguinis Chriſti, & panem communionem corporis ejus, ſi hæc illa eſt, & illa hæc communio, ut ſanguis non ſine corpore ſumatur, nec ſanguis ſine corpore. Fruſtra etiam

etiam ac de nihilo Chriſtus ipſe hæc ſeparatim tradidit, & quaſi duo ſacramenta inſtituit, ea dividendo. Similitudinem autem veri illius & unici ſacrificii, quo expreſſius & ſignantius imitaretur, & imitando celebraret vetus omnis Eccleſia tam Græca quam Latina, aquam in calice cum vino miſcuit. Cur iſtud? Quia in paſſione Chriſti, ſic mors ejus inſequuta eſt, quando ſanguis è corpore ſimul cum anima exiit. Et quia non ſolum ſanguis, ſed etiam aqua ex latere ejus lancea tranſverberato profluxit, ideo primi Chriſtiani non meraco vino eam paſſionis imaginem celebrarunt, ſed etiam aquam addiderunt. Cur aquam igitur è calice ſuſtulerunt novi Romani? Quia certe neſciebant quid illa facerent cum iſtam de tranſſubſtantiatione portentoſam opinionem commenti ſunt. Miraculo cumprimis obeſſe videbatur hæc aqua. Quid enim? Ecce quidem vinum quod in ſanguinem Chriſti mutatione ſubſtantiæ, formæ & materiæ convertitur. Quid aqua? In quam ſpeciem & ipſa converti debuit? In aquam? Non opus ullo miraculo fuit ad hanc μεταμόρφωσιν qua fit aqua ex aqua. Certe nihil in hac mutatione relictum loci fuit prodigioſæ Tranſſubſtantioni. Aqua enim cum in aquam vertitur non ſubſtantiam ſuam demutat, aut perdit, ſed fit id quod erat, nec amittit quod fuerat. Cur igitur ex duabus liquidis ſpeciebus in uno calice ſacramenti commixtis & con-

confuſis altera, vinum nempe, ſubſtantia ſua excidit in ſanguinis ſubſtantiam mutata, altera, nempe aqua, permanet id quod erat, nempe aqua? Hic exitum quia non reperiebant, & ulcus erat quidquid attigiſſent, aquam ſuſtulerunt. Quamdiu aquam miſcuit cum vino Eccleſia in calicis ſacramento, non minus eam mutari credidit quam vinum, ſed quomodo? Eodem ſane quo vinum. Nam ut vinū ex communi fit ſacrum, ita pro aqua communi quæ in calicem infuſa fuerat, aqua alterius generis exit poſt conſecrationem, id eſt, ſacra. Sic fit ex utroque liquore qualis fluxit ex Chriſti latere calicis ſacramentum, ut ex pane communi per conſecrationem fit ſacramentum corporis. Chryſoſtomus in priorem ad Corinthios, τὸ ἐν τῷ ποτηρίῳ ὂν, ἐκεῖνό ἐστι τὸ ἀπὸ πλευρᾶς ῥεῦσαν. *Quod eſt in calice, illud ipſum eſt quod ex latere fluxit.* Quis credat illam ipſam aquam quæ ex latere exiit, hodie in ſacramento dari poſtquam in calicem cum vino infuſa eſt, & ſimul cum eo benedictionem accepit, ut nunc etiam fit in Eccleſiis Orientalibus omnibus? Nam ſacerdotes Græci cum vinum & aquam miſcent in calice hæc verba paſſionis pronunciant, *Et continuo exivit ſanguis & aqua.* Vbi aqua illa nunc in Chriſti corpore regnantis in cœlo? Vt naturalem fuiſſe demus, & naturaliter ex latere ejus prodiiſſe vulnerato, ſive ex pericardio, ſive ex thorace ipſo profuſa ſit, ut celebres opinantur

tur Medici & Chirurgi, non illa ipſa aqua quæ tum exiit, hodie in calicem infunditur & ſacratur, ſed imaginem ejus repreſentat, eodem prorſus modo quo & vino ſanguis ſimulatur,& corpus pane figuratur. Figuratæ ſunt igitur loquutiones & pares iis quas ſuperius meminimus,cum dicitur illum ipſum ſanguinem, illam ipſam aquam nos bibere in calice ſacramentali,quæ fluxere ex latere, illud ipſum corpus in pane manducare quod pependit in cruce. Præter quam autem quod aqua illa figuram & ſimilitudinem exhibet illius aquæ quæ cum ſanguine è latere transfoſſo Chriſti manavit,ſignificationem etiam aliam habet myſticam, ut veteres Patres tradiderunt. Cyprianus inter vetuſtiores in aqua populum intelligi ſcribit, in vino ſanguinem Chriſti, in Epiſtola ad Cæcilium de ſacramento Dominici calicis, ubi hoc argumento convincit ſola aqua utentes in hoc ſacramento non etiam vinum admiſcentes, quia ſine eo non poteſt integrum eſſe ſacramentum, cum aqua ſignificet populum, & vinum Chriſtum, quia Chriſti ſanguinem, populi autem cum Chriſto ſuo,id eſt capite, communionem eo ſacramento repreſentari. *Videmus,* inquit, *in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti. Quando autem in calice vini aqua miſcetur Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credidit copulatur & conjungitur.* Cum hæ duæ ſpecies ſuis ſingulæ

gulæ cenſeantur ſignificationibus non aliter in vino ſanguis Domini oſtenditur, quam populus in aqua intelligitur. Aqua autem cum non tranſeat in ſubſtantiam populi quam ſignificat, ita nec vinum in ſanguinem Chriſti converti certum eſt, qui in vino tantum oſtenditur. *Quæ copulatio*, addit idem, *& conjunctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice Domini, ut commixtio illa non poſſit invicem ſeparari.* Et paulo poſt, ut fortius argumentum ſtringat de utroque miſcendo: *Sic autem in ſanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt. Nam ſi vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis, ſi vero aqua ſit, ſola plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Quando autem utrumque miſcetur & adunatione confuſa ſibi invicem copulatur, tunc ſacramentum ſpiritale & cœleſte perficitur.* Cum ſacramentum hoc *ſpiritale* & *cœleſte* vocet quod perficitur ex aqua populum ſignificante, & vino Chriſti ſanguinem, ſpiritaliter utique non carnaliter intellexit perfici. Nullam igitur in vino ut nec in aqua fieri tranſſubſtantionem colligi ex ejus verbis & ſententia poteſt quantum ad ſacramentum calicis attinet. Nec aliter ſenſit de ſacramento panis, ut planum eſt ex his quæ ſubjicit, ubi & eaſdem ſimilitudinum ſignificationes agnoſcit: *Sic vero calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum niſi utrumque ſibi miſceatur, quomodo nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola niſi utrumque*

que adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage ſolidatum. Quo & ipſo ſacramento populus noſter oſtenditur adunatus, ut quemadmodum grana multa in unum collecta & commolita & commixta panem unum faciunt, ſic in Chriſto qui eſt panis cœleſtis unum ſciamus eſſe corpus, cui conjunctus ſit noſter numerus & adunatus. Non poteſt diſertius, clarius, nec potentius teſtimonium ex tota antiquitate contra Tranſſubſtantiationem afferri quam hoc eſt. In ſacramento corporis, agnoſcit farinam, agnoſcit aquam agnoſcit panē ex utroq; compactum & ſolidatum, qui panis ut ex multis granis in unum collectis & commolitis & commixtis unus factus eſt, ſic in Chriſto, qui panis eſt cœleſtis, unū eſt corpus, cui populus fidelium conjunctus eſt. Sic hoc ipſo ſacramento panis, ut & illo calicis populus Chriſto oſtenditur adunatus ſub imagine ſymbolorum eodem modo ex pluribus rebus compoſitorum, & adunatorum. Hæc ipſa Cypriani ſententia ita placuit Iulio Papæ ut totidem verbis ſuam facere non ſit dedignatus in Epiſtola ad Epiſcopos per Ægyptum, & ſub finem conſtituit ne liceret cuiquam deinceps *aliud in ſacrificiis divinis offerre niſi juxta antiquorum ſententiam canonum, panem tantum & calicem vino & aqua permixtum.* Vides *ſacrificia* divina nominare quaſi duo ſint, unum calicis, alterum panis. *De cætero*, inquit pro clauſula, *aliter quam præceptum eſt faciens, tamdiu à ſacrifican-*

 do

do ceſſabit quamdiu legitima pœnitentiæ ſatisfactione correctus ad gradus ſui officium redeat quod amiſit. Ita Papæ non omnes in eadem ſententia fuere, & alius fuit veterum, alius novorum ſenſus in rebus religionis. Quod ſi probare intenderemus, plura ex ea materia volumina confici deberent grandia. Idque fortaſſe alias fiet. Nunc requiro an illi Hæretici qui ſolam aquam vino excluſo in ſacramento calicis admittebant, aquam illam in ſanguinem Chriſti reapſe & ſubſtantialiter converti crediderint? Haud ſane magis ita credere debuerunt, quam aquam baptiſmi ſimilem converſionem pati. Sed non quæritur quid debuerint ſentire, quid vero ſenſerint exquiramus. Ἐγκρατῖται vocabantur, iidemque ὑδροπαραστάται. Ab animalibus quippe in cibo abſtinebant, nuptias refugiebant quod earum auctorem diabolum eſſe opinabantur, à vino etiam temperabant, & improbos atque impios qui eo uterentur ducebant. Tatianum ſequebantur qui hanc inſtituerat diſciplinam ſectæ. Cum igitur à vini uſu abhorrerent, ideo ex ſola aqua poculum ſacrum conficiebant. Epiphanius de ea hæreſi, *Κέχρηνται δὲ καὶ αὐτοὶ μυστηρίοις δι' ὕδατος, οἶνον δὲ ὅλως οὐ μεταλαμβάνουσι, φάσκοντες εἶναι διαβολικὸν, καὶ τοὺς πίνοντας καὶ τοὺς χρωμένους ἀνόμους εἶναι καὶ ἁμαρτάδας. Aquam myſteriis ſolam adhibent, & vini uſu in totum abſtinent, & diabolicùm id eſſe exiſtimant, & vinum bibentes pro impiis & peccatoribus habent.* Si vinum illi

illi crediidiſſent in ſacramentis vini naturam & ſubſtantiam exuere numquid cauſæ fuit, ut ab eo abſtinerent? Non magis ſane ex opinione Pontificiorum vinum quā aqua exiſtit quod in calice ſancto ſumitur. Neutrum eſt. Vini quidē ſpeciem habet, ſed purus re ipſa ac ſubſtantia ſanguis eſt. Si tunc igitur ea communiter perſuaſio obtinuiſſet in Eccleſia vinum quod in calice porrigeretur non eſſe vinum, ſed ſanguinem, minime ab hoc ſacramento eam ſpeciem excluſiſſent. Sed & cum animatis veſci nefas ducerent, ſi putaſſent panem Euchariſtiæ converti in corpus Chriſti vivum & animatum, ne panem quidem in myſterio deguſtaſſent, ne ſub pane corpus Chriſti ſanguine & anima præditum comedere cogerentur. Ἔμψυχα δὲ, inquit de his Epiphanius, βδελύσσονται ἀπαγορεύοντες, οὐκ ἕνεκεν ἐγκρατείας, οὔτε πολιτείας, ἀλλὰ κατὰ φόβον καὶ ἰνδαλμὸν τοῦ μὴ καταδικασθῆναι ἀπὸ τῆς τῶν ἐμψύχων μεταλήψεως. *Animatis veſci abominantur, eorum eſu prohibito, non ſtudio abſtinentiæ, nec peculiari vitæ inſtituto, ſed ex formidine & ſimulatione ne damnationem ex animalium eſu incurrant.* Sed dicet Pontificius, an quod faciebant tunc hæretici in argumentum trahi debet ejus quod Eccleſia orthodoxa ſentiret? Fortaſſean & hac parte hæreſin ſapiebant, quod ne aquam quidē quam adhibebant ſacramentis, converti in ſanguinem credebant. Nec de pane etiam eam habuere credulitatem. Atqui Epiphanus nihil tale iis objectat. Sed nec

male facere eo nomine arguit quod aqua ſola uterentur in myſteriis, cum poſſent vino uti, & tamen inſtituti ſui regulam ſervare qua vinum bibere nefas habebant. Non enim vinum eſſe quod bibitur in menſa Domini, ſed ſanguinem ejus merum, & illum ipſum qui ex latere effoſſo effuſus eſt. Nihil ille ſimile, cum hanc partem eorum hæreſeos reprehenderet, ſed duntaxat dicit myſteria eorum eſſe falſa, & ſolam habere imaginem verorum quia ſola aqua calix eorum conſtaret. In quo refellebantur dicto Salvatoris, qui cum inſtitueret hoc ſacramentum calicis, & cum Diſcipulis ſuis eum biberet, ita loquutus ſit, *Non bibam de hoc germine vitis, donec bibam illud novum in regno cœlorum vobiſcum*. Ex quibus verbis non ſolam aquam ſed etiam vinum in calice myſtico eſſe propinandum Pater ille contra ſolam aquam adhibentes Encratitas arguit. Ergo de fructu vitis, id eſt, vero vino tunc bibiſſe Chriſtum & ejus Apoſtolos in eo ſacramento participando ſenſit Epiphanius. Enimvero ita vinum eſſe verum quod in calice tunc bibebant fideles; omnino videtur exiſtimaſſe, ut aqua erat pura & vera quam eo tẽpore Hæretici potabant in hoc eodem ſacramento. Lac etiam pro vino quidam offerebant & ſumebant, ut auctor eſt idem Iulius Papa. Infantes νεοφυεῖς quibus communio dabatur, ita aliquando communicaſſe infra docebimus. An lac illud in ſanguinem Chriſti

con-

converſum putaverunt ? Nequaquam. Nonnulli etiam botrum expreſſum in calice pro ſacramento calicis hauriebant. Succum illius botri expreſſum an dicent tum factum fuiſſe ſanguinem Domini? Non id dixêre qui morem illum redarguerunt. Vvas etiam nonnulli offerebant in altari quæ eadem benedictione conſecrabantur, ut panis & vinum de quibus participatio myſteriorum celebrabatur. Hoc etiam concilio ſexto in Trullo damnatur, ſed nihilominus inde colligitur quod damnatum eſt factitatum fuiſſe, & cum fieret nullam ejuſmodi opinionem tum extitiſſe quaſi vinum in ſanguinem conſecratione tranſiret, & panis in corpus. Nam pariter crediidiſſent uvas illas quæ ſimili benedictione ſacrabantur, ſimilem pati converſionem. Aſcodrupi vel Aſcodrupitæ hæretici adeo ex communi tunc orbis Chriſtiani opinione tenebant panem & vinum eſſe corporales in Euchariſtia res & ſubſtantias, & aquam in ſacro lavacro, ut propterea utrumque ſacramentum damnarent quia nefas ducerent διὰ τῶν ὁρωμένων πραγμάτων, καὶ δι' αἰσθητῶν καὶ σωματικῶν, celebrari divina myſteria quia rerum eſſent inviſibilium & ſpiritalium ſymbola, ut auctor eſt in eorum hæreſi Theoderetus. Et jam ſupra id notatum ſit. Sed hæc per conſequentias eliciuntur. At concluſam dare rationem promiſimus ex diſertis auctorum aſſertionibus qui expreſſe affirmarēt panis & vini ſubſtantiam

ſtantiam manere,& mutari negarēt.Hoc etiam præſtitimus. Et inter Latinos Patres qui teſtimonium pro hac veritate clarum perhibent numerandus eſt etiam Ambroſius vel auctor librorum de ſacramentis, lib. I V. cap. I V. in his verbis. *Ergo ſermo Chriſti hoc conficit ſacramentum. Quis ſermo Chriſti? Nempe is quo facta ſunt omnia. Iuſſit Dominus & factum eſt cœlum. Iuſſit Dominus & facta eſt terra. Iuſſit Dominus & facta ſunt maria. Iuſſit Dominus & omnis creatura generata eſt. Vides ergo quam operatorius ſit ſermo Chriſti. Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, ut inciperent eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius eſt, ut ſint quæ erant, & in aliud commutentur.* Vtitur argumento à majori ad minus. Non mirandum eſſe quod ſermone Chriſti conficiatur venerabile ejus ſacramentum. Eodem quippe ſermone Chriſti facta eſſe omnia, quæ non erant, cœlum, maria, terras, & omnes creaturas. Cum ſit ergo, inquit, tanta vis in ſermone Domini Ieſu ad dandum principium exiſtendi rebus quæ antea non erant, quanto magis erit operativus & efficax in facilioribus præſtandis, id eſt, ut ſint quæ erant, & in aliud commutentur. Magna quippe virtus in minoribus magis operatur ac facilius quam in majoribus ac difficilioribus. Subjecit ſtatim ut ſe explicaret; *cœlum non erat, mare non erat, terra non erat, ſed audi dicentem, ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt.* Mox ſubjungit poſſe ad hunc modum reſpon-

ſponderi; *Non erat corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem. Dico tibi quod jam corpus eſt Chriſti. Ipſe dixit & factum eſt, ipſe mandavit & creatum eſt.* Vtrumque autem eſt in ſacramento, quod antea erat manet, & fit quod non erat. Panis erat & panis manet. Et corpus Chriſti quod non erat, poſt conſecrationem fit ex illo ſermone Chriſti operatorio, quo omnia quæ non erant, facta & creata ſunt. Sed quomodo corpus fit in Euchariſtia & ſanguis ex panis & vini ſubſtantiis permanentibus? Sacramentali & ſignificativa, non ſubſtantiali & naturali converſione. Quomodo enim aliquid quod eſt poteſt converti in aliud quod eſt, & præcipue quod eſt terreſtris ſubſtantiæ & mortalis, in cœleſtem & immortalem? Non eſt ergo mirum ſi quod eſt in aliud commutetur ſermone Chriſti, cum eo ſermone facta ſint & creata omnia quæ non erant. Hoc eſt argumentum Ambroſii. At ſi intellexiſſet creatorem ipſum à ſemetipſo creari longe majus foret miraculum, nec auctor iſte omiſiſſet clariorem eloquutionem qua id exprimeret. Miracula vero omnia tranſcendit quod hodie Pontificii tradunt creduntque, à creatura, id eſt, à ſacerdote, creatorem confici & creari, & quotidie quidem infinita millia corporum Chriſti eo modo fabricari & fieri. Sic ergo intelligenda conſtat verba Ambroſii & omnium Patrum, qui corpus Chriſti vocant hoc ſacramentum, ut

corpus Chriſti ſit in ſimilitudine, ut ſanguis in ſimilitudine, & per ſacramentum. Quod in fine capitis clarius expoſuit, dicendo; *Sicut autem ſimilitudinem mortis ſumpſiſti, ita etiam ſimilitudinem pretioſi ſanguinis bibis, ut nullus horror cruoris ſit.* In baptiſmo mortis ſimilitudo ſumitur. Ergo ſenſit eadem ſimilitudine bibi ſanguinem Chriſti & manducari corpus ejus. Quia autem diſtinxerat inter illa quæ cum antea non eſſent virtute verborū Chriſti eſſe cœperant, & illa quæ erant & in aliud ſunt commutata, ſicut in ſacramētis fieri perſpicuum eſt, ut huic commutationi ſimilem in nobis ipſis aliam oſtenderet, ita notavit; *Tu ipſe eras, ſed eras vetus creatura, poſtea quam conſecratus es, nova creatura eſſe cœpiſti.* Ergo eodem modo plane intellexit in ſacramentis creaturam eſſe novam & veterem, ante & poſt conſecrationem ſpecierum. Ante conſecrationem panis & vinum vetus erat creatura, poſt conſecrationem nova eſſe incipit, nempe corpus & ſanguis Chriſti. Sed quemadmodum homo ex vetere creatura fit nova abſque ſubſtantiæ commutatione, ita ex pane & vino fit corpus & ſanguis Chriſti. Eam mutationem quæ fit in utriſque, id eſt, in ſacramentis & homine regenerato, eodem nomine Græci Patres veteres appellant, ut ante diximus, μεταστοιχείωσιν, μεταποίησιν, μεταῤῥύθμισιν & μετατύπωσιν, quas & ibi expoſuimus. Ipſe etiam ſubdititius Euſebius Emiſſenus, quem validi inſtar teli ſolent

lent intorquere ad cõfutandos & confodiendos Tranſſubſtantiationis adverſarios, mutationem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti candem facit cum ea qua fidelis in novam creaturam transformatur ex veteri, id eſt, qua ex infideli fit fidelis, ex peccatore juſtus: *Nec dubitat quiſquam primarias creaturas nutu potentiæ præſentia majeſtatis in Dominici corporis tranſire poſſe naturam, cum ipſum hominem videat artificio cœleſtis miſericordiæ Chriſti corpus effectum. Sicut autem quicunque ad fidem veniens ante verba baptiſmi adhuc in vinculo eſt veteris debiti, his vero commemoratis mox exuitur omni fæce peccati, ita quando benedicendæ verbis cœleſtibus creaturæ ſacris altaribus imponuntur, antequam invocatione ſancti nominis conſecrentur ſubſtantia illic eſt panis & vini, poſt verba autem Chriſti corpus eſt & ſanguis Chriſti.* Eadẽ ratione dicit homines fideles effici corpus Chriſti per regenerationem & poſt verba baptiſmi, & panem fieri per conſecrationẽ corpus Chriſti. Si ſubſtantia hominis regenerati mutatur, dicendum eſt & mutari panis ſubſtãtiam in corpus Chriſti. Illud autem non, ergo nec illud; cum ſimiliter utrumque fieri dicat. Et hoc eſt quod ait Auguſtinus, neminem niſi qui ſit corpus Chriſti, id eſt, fidelis & regeneratus, accipere poſſe corpus Chriſti. Epitome ex libris Theodoti, ſive is potius Clemens eſt, in iis Stromateon libris qui non extant ſcribit, τὴν δύναμιν τῆς μεταβολῆς τοῦ βαπτισθέντος οὐ περὶ τὸ σῶμα

εἶναι, ἀλλὰ περὶ ψυχήν. *Virtutem mutationis qui in baptizato ſit non eſſe circa corpus, ſed circa animum.* Ea tamen regeneratio vocatur ἀναγέννησις, ἀνάκτησις & παλιγγενεσία, quaſi de novo homo per eam gignatur, cum ea renovatio animi ſit non corporis. Ita mutatio ſpecierum viſibilium quæ in ſacramentis fit, non circa ſubſtantiam accidit corporum, ſed mere ſpiritalis eſt, in gratia ſuperveniente & adjecta corporali ſubſtātiæ. Non aliud autem dicere voluit auctor ſub nomine Euſebii, niſi quod aliis Patribus paſſim Græcis Latiniſq; dictum eſt, ante conſecrationem panem eſſe & vinum, poſt conſecrationem Chriſti corpus & ſanguinem appellari. Pro eo alii dixerunt, corpus eſſe & ſanguinem, ſed ſacramentaliter & ſignificative, non enim aliter poſſe intelligi ſatis probatum eſt. Pro eo ergo quod alii Patres dixerunt illic panem eſſe & vinum, hic dixit eſſe ſubſtantiam panis & vini. Quod alio autem loco ſcripſit ea *converti in ſubſtantiam corporis & ſanguinis*, improprie loquutus eſt, & *ſubſtantiam* dixit pro efficacia corporis & ſanguinis, quæ panis ſubſtantiæ adjungitur, ita ut cum ſubſtantia & natura panis ſimul ſit divina ſubſtantia & eſſentia corporis, quæ fuit veterum plerorumque opinio, ut infra docebimus. Nec alia fuit Gelaſii Papæ ſententia, cum ſcripſit panem & vinum in divinam tranſire, ſpiritu perficiente, ſubſtātiam. Quo tamen loco diſerte affirmavit, *non eſſe deſinere ſubſtantiam &*

natu-

naturam panis & vini. Hoc idem aſſerit hic falſus Euſebius Emiſſenus, *in ſubſtantiam corporis & ſanguinis converti panem & vinum*, quorum neutrum tamen propriam amittit ſubſtantiam & naturam. Quod indicat manifeſto cum ait homines corpus Chriſti pari modo effici per regenerationem, ut fit panis ipſe corpus Chriſti. Hoc de Euchariſtia dogma conſtanter obtinuit per octo & novem & ultra ſæcula tam in Oriente quam in Occidente. De Oriente id teſtatur Iohannes Damaſcenus qui octavo ſæculo ſcripſit, & Theophylactus qui undecimo. Ille ſcripſit lib. IV. de fide Orthodoxa cap. XIV. naturam panis manere, hic autem in Marcum, τὸ εἶδος ἄρτου καὶ οἴνου Deum in ſacramentis ſervare, id eſt, ſubſtantiam panis & vini. In occidente Bertramus id etiam aſſeruit circa ſæculum nonum, cujus alia non fuit opinio ab ea quam Patres omnes Eccleſiæ anteriores habuerunt Græci pariter & Latini. Et falſum eſt quod Doctor inter ſuos clariſſimus affirmat Bertramum ſola nuda ſigna reliquiſſe & eandem poſtea fuiſſe ſententiam Zvvinglii, Calvini, & aliorum non idem cum Lutheranis ſentientium. Non enim aliter de hoc ſacramento ſenſit & ſcripſit iſte Bertramus, quam quantum eſt veterum Patrem tradidere, quorum, & in primis Auguſtini, teſtimoniis utitur. *Secundum ſpeciem*, inquit, *creatura formamque rerum viſibilium, utrumque hoc, id eſt, panis & vinum nihil*

nihil habent in ſe permutatum. Et paulo poſt, *corporaliter* ait *nihil in his eſſe permutatum*. Nec ſic tamen nuda tantum ſigna ſumi ait, ſed ex veterum Patrum ſententia demonſtrari aſſerit, *quod corpus & ſanguis Chriſti quæ fidelium ore in Eccleſia percipiuntur figuræ ſint ſecundum ſpeciem viſibilem. At vero ſecundum inviſibilem ſubſtantiam, id eſt, divini potentiam verbi, corpus & ſanguis vere exiſtunt.* Cum omni antiquitate Patrum non nuda tantum ſacramenta docet percipi, id eſt, viſibilium ſpecierum ſubſtantias quæ figuræ ſunt corporis & ſanguinis, ſed virtutem etiam divinam in his latere qua paſcuntur & ſanctificantur animæ juſtorum. *Vnde ſecundum*, inquit, *viſibilem creaturam corpus paſcunt, juxta vero potentioris virtutem ſubſtantiæ mentes fidelium & paſcunt & ſanctificant.* Nec alius fuit Ruperti Abbatis Tuitienſis circa ſæculum duodecimum ſenſus, cum duas ſubſtantias & naturas in hoc ſacramento eſſe aſſeruit unam terrenam, alteram divinam, *terrenum, i d quod corporaliter & localiter videri poteſt, divinam, verbum inviſibile.* Bertramus *divini potentiam verbi* appellat illud verbum inviſibile, vel *divinam ſubſtantiam*, ut etiam Gelaſius appellat, & *divinam eſſentiam*, ut dicitur auctori de cœna Domini. Gregorius de Valentia, quod ad Rupertum Abbatem attinet, teſtimonium ejus pro Tranſſubſtantiatione magis facere affirmat, ſiquidem ſenſit ita re ipſa mutari hic panem

nem in corpus Chriſti ſicut mutari ſolet una res in alteram quando juxta veram Philoſophiam mutatur ſubſtantialiter. Quod eſt falſiſſimum. Non ille putavit revera mutari panem in corpus Chriſti, qui expreſſiſſimis verbis dixit ut in Chriſto natura humana non fuit in divinam converſa, ſed utraque ſeparata & ἀσύγχυτος, ſic in ſacramento utramque ſimul extitiſſe ſubſtantiam, terrenam & divinam: & cum dixit ibidem, ad eum in quo fides non eſt præter viſibiles ſpecies, id eſt, ſubſtantias, ut ſupra expoſuimus, nihil de ſacrificio pervenire. Nam quod ait idem Valentia Rupertum nihil peculiare de Tranſſubſtantiatione docere voluiſſe, ſed errorem quendam ſuum qui pugnat etiam cum Philoſophia, huc ſimiliter ſicut etiam ad alias rerum mutationes accommodaſſe. *Eſt enim arbitratus*, inquit, *eandem eſſe ſubſtantiam panis & vini, corporis & ſanguinis & aliarum rerum ejuſmodi, tantumque eas differre accidentibus; ac proinde cenſuit, cum panis & vinum in corpus & ſanguinem revera tranſmutantur, non mutari ibi rei ſubſtantiam.* Hæc ſunt etiam falſiſſima. Nam ſi unam eſſe omnium rerum ſubſtātiam, nec in mutationibus quæ fiunt in natura ſubſtantiam mutari, ſed ſola accidentia quibus res naturales inter ſe differunt, ne hanc quidem mutationem agnovit fieri in his ſacramentis Rupertus. Nam accidentia panis & vini plane manere agnovit, cum de viſibili

ſibili præter ſpeciem viſibilem nihil aſſumere infidelem dixit. Sed & in Iohannem VI. *Nec panem nec vinum aliquid de exteriori ſpecie mutare* docet. Sed & cum *exteriorem ſpeciem* nominat, non intelligit ſola accidentia panis & vini, verum ipſam ſubſtantiam quæ localiter & corporaliter, ut alibi loquutus eſt, videtur. Nec aliter alii Patres loquuntur & ſentiunt. Quod exterius eſt in hoc ſacramento ſpeciem eſſe viſibilem, id eſt, panis & vini ſubſtantiam: quod interius, virtutem divinam corporis & ſanguinis. *Aliud eſſe quod exterius innuant hæc ſacramenta, & aliud quod interius inviſibile operantur.* Idem tamen Rupertus in Iohannem exiſtimat omnem aquam unam eſſe ſubſtantiam, ſed & vinum aquam eſſe prius, quæ radicibus vitis attracta, & calore ſolis animata vinum exiſtit. Similiter in homine ſanguinem ex ea aquæ ſubſtantia fieri quia concretus ſit ex quatuor elementis. Inde concludit ſanguinem & vinum ejuſdem eſſe ſubſtantiæ. Vinum & ſanguinem pariter eſſe calida. Non differre invicem niſi colore & ſapore, quæ cum ſint accidentia nullius eſſe momenti in actibus divinis. Nihil ergo prohibere quin cum vino calicis adhibita ſunt verba crucis & paſſionis Chriſti, idem ſit ſanguis qui effuſus eſt in remiſſionem peccatorum pro multis. Non tamen iſtis voluit Rupertus Tranſſubſtantiationem panis in corpus & vini in ſanguinem confirmare. Nam eodẽ argumento dici

poſſet,

poſſet, & aquam baptiſmi in eam aquam converti quæ fluxit ex latere Chriſti. Quippe & ille diſerte ſcripſit aquam qua lavantur fideles in baptiſmo eam ipſam eſſe quæ ex aperto latere Chriſti profluxit, quia omnium aquarum una eſt ſubſtantia, ſive de Tybri hauriatur, ſive de Rheno, ſive de quocunque alio fonte. Plerique veterum Doctorum dixere idem eſſe corpus quod in Euchariſtia ſumitur & quod in cruce pependit. Item unum eſſe ſanguinem qui bibitur à fidelibus in calice ſacramentali, & qui ex latere perfoſſo Chriſti effuſus eſt. Aquam ſimiliter quæ ex eodem latere fluxit, eandem eſſe quæ cum vino in calice myſtico miſcetur. Sed tamen intellexere ita hoc & illud corpus, hunc & illum ſanguinem, hanc & illam aquam eſſe unam, ut eſt una imago cum archetypo, ſimilitudo cum rei veritate, memoria rei geſtæ cum re ipſa geſta. Ita dici poteſt unum eſſe utrumque corpus, & non eſſe. Vnum eſſe relative non ſubſtantive, ſignificatione non proprietate, ſimilitudine non veritate. Ita verum dixere & affirmantes & negantes unum eſſe, ſed diverſo reſpectu. At Rupertus peculiari & nova opinione, ut ea unitas utriuſq; corporis figurati & veri, realis & ſacramentalis, videri poſſet ſubſtantialis, finxit omnium aquarum, omnium vinorũ, vini & ſanguinis, eandem eſſe ſubſtãtiam, quarum differentia in ſolis accidentibus conſtaret. Quæ falſa eſt & inſcita & Phyſicæ contraria,

traria, ſed quæ nihil tamen pro Tranſſubſtantiatione faciat. Idem etiam Rupertus in Exodum libro ſecundo capite x. oſtendit clare nullam fieri ſubſtantiæ mutationem aut corruptionem viſibilium ſacramenti ſpecierum. *Operatione*, inquit, *Sancti Spiritus panis corpus, vinum fit ſanguis Chriſti. Sed iſtud non capit humana ſapientia. Totum attribuetis operationi Spiritus Sancti, cujus effectum non eſt deſtruere vel corrumpere ſubſtantiam quamcumque ſuos in uſus aſſumit, ſed ſubſtantiæ bono permanenti quod erat, inviſibiliter adjicere quod non erat.* Quod ita fieri probat ut etiam factum eſt in Verbi divini incarnatione. In quo myſterio naturam humanam non deſtruxit Spiritus Sancti operatio, ſed eam Verbo in unitate perſonæ conjunxit. Et hac comparatione & ſimilitudine paſſim uſi Patres omnes antiquiores leguntur, ut infra demonſtrabitur. Idem Rupertus in Iohannis VI. *Sicut Verbum*, inquit, *caro factum eſt, non mutatum in carnem, ſed aſſumendo carnem, ſic id ipſum verbum jamdudum caro factum panis viſibilis fit, non mutatum in panem, ſed aſſumendo, & in unitatem perſonæ ſuæ aſſumendo panem.* Clarum eſt ex his omnibus Rupertum, ut & alios Patrum ipſo anteriores, negaſſe ullam intervenire in his ſacramentis ſubſtantiæ rerum viſibilium & corporalium, id eſt, panis & vini & aquæ, mutationem. Pauca illa, ſed diſertiſſima, teſtimonia Græcorum & Latinorum quæ ſupra produximus,

mus, id neceſſario evincunt, præſertim cum nulla cõtraria poſſint afferri quæ diverſum probent. Intra ſex priora ſæcula conſtans & conveniens de hoc fuit auctorum Eccleſiaſticorum ſententia nulla diverſitate interpellata. Ab illo tempore uſque ad duodecimum & infra etiam ſæculum non defuerunt ſingulis ætatibus ſcriptores qui contra ſuboleſcentem illam de reali præſentia opinionem,& mox contra Tranſſubſtantiationem ſteterunt in Occidente, ut Bertrami, Berengarii, Ruperti, & alii plurimi. In Oriente Xiphilini, Iohannes Camateri, Patriarchæ Conſtantinopolitani temporibus Alexiorum, de quibus ſupra. Intra priora igitur ſex Eccleſiæ ſæcula nemo ſubſtantiam panis & vini deſtrui dixit, aut corrumpi, aut mutari, plures vero tam ex Græcis quam ex Latinis expreſſiſſimis ſententiis & verbis ſcripſere nullam fieri mutationem ſubſtantiarum. Sed quæ loca ex Patribus ad contrarium monſtrandum ab adverſariis producta ſunt, ea omnia aut depravata ab ipſis ſunt, aut perperam intellecta, aut male ex Græco converſa. Quod plurimi noſtrorum oſtenderunt grandibus etiam voluminibus, quibus nihil ad hunc uſque diem repoſitum eſt. Nos aliquot exemplis id etiam hîc oſtendemus, ne tirones in ea impingant quaſi certam fidem facientia verioris dogmatis quod Pontificii tuentur, cum ſit falſiſſimum. Vnum occurrit ex Chryſoſtomi Homilia v.

de pœnitentia ſive de Euchariſtia in Encæniis: Ὥσπερ κηρὸς πυρὶ προσομιλήσας, οὐδὲ ἀπουσιάζει, οὐδὲν περισσεύει, οὕτω καὶ ὧδε νόμιζε συναλίσκεσθαι τὰ μυστήρια τῇ τοῦ σώματος οὐσίᾳ. Quæ ita reddunt Latine: *Sicut cera igni adhibita nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit, ſic & hic puta myſteria conſumi corporis ſubſtantia.* Sic verterunt Arcudius & Cardinalis Petronius quaſi hunc ſenſum ea verba efficerent, nihil remanere in pane & vino de ſubſtãtia corporali eorum, ſed totam eam conſumi à corporis Chriſti ſubſtantia ſuperveniente. Quæ inſana & prava eſt eorum verborum interpretatio. Ἀπουσιάζειν nihil minus Græce ſignificat, quam ſubſtantiam deperdere. Verbum eſt proprium metallorum quæ dum funduntur pars in ſcoriam abit, nec quod fuſum ex his eſt reſpondet ponderi materiæ quæ igne colliquefacta & excocta eſt. Hoc ἀπουσίαν Græci vocant, Latini *detrimentum* & *intertrimentum.* Vnde in Gloſſis veteribus, *Detrimentum,* ἀπουσία. *Intertrimentum,* ἀπουσία. Agatharchides ita vocat in auri fuſione, cum non reſpondet ponderi, ſed aliquid deminutum ex eo reperitur. Αὐτὸ δὲ τοῦ χρυσίου τὸ χῦμα βραχεῖαν εἰληφὸς ἀπουσίαν ἀπὸ τοῦ ψήγματος. *Sed ipſam auri fuſionem deprehendunt cui parum intertrimenti accidit ab ipſa baluca.* Ἀπουσία etiam dicitur cum aurum factum vel ſignatum uſu deteritur, atque eo pertractato manus ſordeſcunt, decidua, ut ait Plinius, materia. *Apuſiam* appellavit Latina voce auctor Queroli, & *excoctionem* interpretatur, quia

quia excoctione metalla ἀπουσιάζουσι, id eſt, de ſubſtantia ſua aliquid deperdunt quod in ſcoriam excernitur, *Vnam vero unciam apuſiæ, hoc eſt, excoctionis contemplatione concedimus.* Patrem in filiam ἀπουσιάζειν dicit Artemidorus, dum dotem ad eam elocandam confert qua ſubſtantia ejus diminuitur. In cera vero quæ igni admovetur & liqueſcit nihil ἀπουσιάζει, nihil περιουσιάζει, nihil decedit, nihil abundat, ſed ejuſdem ponderis deprehenditur ubi igne remiſſa eſt. Huic comparat Chryſoſtomus panis & vini in ſacramentis ſubſtantiam quam totam vult converti in corporis noſtri ſubſtantiam, id eſt, in alimentum & ſuccum, quia eodem loco dicit nihil ex eo ſacro pabulo in ſeceſſum ire. Quæ opinio fuit illius ſæculi ſed erronea, ut infra docebimus. Nam tempore Origenis aliud Eccleſia credidit. Cyrillus in Catecheſi, οὗτος ὁ ἄρτος οὐκ εἰς κοιλίαν χωρεῖ, καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται, ἀλλ᾽ εἰς πᾶσαν σύστασιν ἀναδίδοται, εἰς ὠφέλειαν σώματος καὶ ψυχῆς. Inde ἐπιούσιον ἄρτον in Dominica Oratione interpretatur ſic dici quod totus in ſubſtantiam & alimentum animæ convertatur, ἐπὶ τὴν οὐσίαν ψυχῆς κατατασσόμενος. Alii cibi dum concoquuntur, ἀπουσιάζουσι, per excrementa nimirum, ut metalla dum igne excoquuntur & perficiuntur, per ſcoriam. Spurcum & purum in alimentis communibus calore naturali ventriculi ſeparantur, quod purum eſt in ſuccum abit toto corpore diditum: quod ſpurcum, in veſicam & alteram

partem ſecedit. At cera dum igne liqueſcit οὐδὲ ἀπουσιάζει, neque προσδίει. Idem eſſe de pane & vino Euchariſtiæ illi auctores crediderunt. Quam recte, & qua ratione moti id ita eſſe ſibi perſuaſerint infra dicam. In ſeptima Synodo Actione ſexta, in refutatione definitionis Synodi Iconoclaſtarum hæc verba habentur, conſona prorſus omnium veterum Patrum ſenſui de unitate ſubſtantiæ panis cum ſubſtantia corporis inconfuſa, & inpermixta, Καθάπερ, inquiunt, τὴν σάρκα ἣν ἀνέλαβε τῷ οἰκείῳ κατὰ φύσιν ἁγιασμῷ ἐξ αὐτῆς τῆς ἑνώσεως ἐθέωσεν, ὁμοίως καὶ τὸν τῆς εὐχαριστίας ἄρτον ὡς ἀψευδῆ εἰκόνα τῆς φυσικῆς σαρκὸς διὰ τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπιφοιτήσεως θεῖον σῶμα εὐδόκησε γενέσθαι μεσιτεύοντος τοῦ ἐν μετενέξει ἐκ τοῦ κοινοῦ πρὸς τὸ ἅγιον τὴν ἀναφορὰν ποιουμένου ἱερέως. Quæ verba ſic Latine reddiderunt. *Quemadmodum carnem quam aſſumpſit, ſua ſecundum naturam ſanctificatione ut unionis deificavit, ita etiam Euchariſtiæ panem veluti veracem imaginem naturalis carnis, per Spiritus Sancti adventum, divinum corpus voluit fieri, nimirum interveniente ſacerdote qui oblationem offert in tranſlatione, ſive mutatione quam in ſe continent accidentia ex pane communi ad ſanctum.* Vbi μετένεξιν vocaſſe antiquos volunt Tranſſubſtantiationem, *ab* ἐνέχειν *quod eſt in ſe continere, &* μετὰ *quæ præpoſitio tranſmutationem ſignificat quaſi dixeris, tranſmutationem quam in ſe continent accidentia.* Quæ homini Græco excidiſſe mirandum eſt, in propria patria hoſpitem his præclaris expoſitionibus ſe profitenti. Sed ſtatim μετένεξιν poſſe venire ait

à

à μεταφέρω, μετενέγκω, μετένεξις, *tranſlatio. quæ vox ſcilicet per metaphoram idem ſignificat.* Immo ſcribendum μετένεγξιν, ut ſit à μετενέγκω, quæ tranſlationem plane ſignificat. Sed ut ea tranſlatio per metaphoram denotare queat Tranſſubſtantiationem hoc vero plus quam ridiculum, & eſt falſiſſimum. Interveniente & mediante ſacerdote qui conſecrationem facit vel oblationem, ex pane communi ſacrum fieri, vel panem communem in ſanctum panem transferri Patres illius Synodi dixerunt, nec quicquam aliud voluere dicere iſtis verbis, ἐν μετενέγξει ἐκ τοῦ κοινοῦ πρὸς τὸ ἅγιον, quam ex communi panem in ſacrum fuiſſe tranſlatum. Eſt quod Iſidorus aliique ſcripſerunt, panem & vinum ſanctificata per Spiritum Sanctum tranſire in ſacramentum divini corporis. Nam ſacramentum non eſt aliud quam ſacrum ſignum, idque eſt panis qui per conſecrationem factus eſt ſignum corporis. Hoc ipſum eſt quod ſcripſit Clemens ſpeciem viſibilem, τὸ χεῖρον χωρεῖν, & τὸν ἁγιασμὸν προσλαμβάνειν. Illa ἁγιασμοῦ πρόσληψις, ſacramentum facit, dum ex pane communi ſanctum efficit. Gregorius de Valentia inter Patrum teſtimonia quibus probare adniſus eſt Tranſſubſtantiationem, ex hiſtoria certaminum de hac ipſa quæſtione, Septimo loco poſuit, Auguſtini tempore quendam Vrbicium exiſtimaſſe non eſſe in pane Euchariſtico reipſa Chriſti carnem neque in poculo ſanguinem. Sed hujus ſenten-

tiam commemorare & redarguere eundem Auguſtinum in Epiſtola LXXXVI. Nihil in illis verbis Auguſtini tale reperitur. Nec ullus fuit Vrbicius nomine qui tum crediderit, id quod eum arguit credidiſſe Valentia. Nemo quippe illo tempore aliam habuit credulitatem. Nec de eo quæſtio ulla fuit in ea Epiſtola, nec Auguſtinus id refellere potuit, quod ipſe verum eſſe agnoſcebat. Sic igitur ſe res habet. Caſulanus Presbyter ad quem eam Epiſtolam reſcripſit Auguſtinus, ei ſcripſerat quomodo quidam *Vrbicus*, id eſt, civis Romanus, debacchatus fuerat in omnes Eccleſias quæ Romano more Sabbati die non jejunabant. *Vrbicum* appellat, quia urbis, id eſt, Romæ civis aut Sacerdos erat. Nam nomen ejus ſibi diſſimulatum & celatum fuiſſe à Caſulano ipſe Auguſtinus eo loco his verbis ſignificat: *Nam cujus me nomen ignorare voluiſti, profecto de illo me judicare noluiſti.* Vrbicus igitur nomen eſt ἐθνικὸν ab Vrbe, unde & *urbicaria regio* quæ ſub Vrbis præfecto erat, & *urbicariæ provinciæ* ſuburbicariæque. Luſiſſe etiam videtur Auguſtinus ambigua notione hujus vocabuli, quod cum in urbe, id eſt, Roma morantē ſignificet, vel urbis incolam, & civem Romanum, abſolute etiam eo tempore accipiebatur pro genere mimorum, qui & *urbici* & *urbicarii* vocabantur. Vnde apud Iuvenalem:

Vrbicus exodio riſum movet Atellanæ.

Eorum urbicorum autem mimorum fuit proprium

prium convicia & dicteria fundere. Quod hic faciebat ſcilicet Vrbicus ab Auguſtino nominatus, dum *ventricolas* appellabat eos qui Sabbato non jejunabant, & his & ſimilibus *opprobriis*, ut ait idem, *& maledictis inſectabatur Eccleſiam per totum mundum fructificantem atque creſcentem, & Sabbati die pene ubique prandentem.* Inter alia argumenta quibus ille Vrbicus contendebat recte facere Eccleſiam Romanam quæ Sabbatis jejunaret, cæteras errare quæ eo die pranderent, hoc afferebat quod vetera tranſierant, & in Chriſto facta erant nova. Et propterea non eſſe in lætitia celebrandum diem Sabbati nec cum feſtivitate & requie. Reſpondet Auguſtinus, etſi vetera tranſierunt, & cum eis tranſiit etiam carnalis vacatio Sabbati, non tamen quia Sabbato ſine ſuperſtitioſa vacatione prandemus ideo duobus Dominis ſervimus, quia & Sabbati & Dominici unus eſt Dominus. Adeo autem conſtat eo tempore nihil in animis hominum hæſiſſe de iſta nova opinione Tranſſubſtantiationis, ut iſte Vrbicus, id eſt, Romanus ſacerdos, panem in Euchariſtia verum agnoverit, & veri vini poculum. Sic enim cum dicere facit Auguſtinus; *Ille autem qui vetera tranſiſſe ſic dicit, ut in Chriſto cederet ara altari, gladius jejunio, precibus ignis, pani pecus, poculo ſanguis.* Quæ Auguſtinus non eo nomine reprehendit quaſi falſam de ſacramentis Chriſti ſententiam protulerit, aut quaſi panis & vinum

reapſe in eo ſacrificio myſtico non fuerit, ſed ait eum cum dixit ceſſiſſe poculo ſanguinem, non cogitaſſe etiam in poculo ſanguinem accipi. Sed qualem ſanguinem intellexit Auguſtinus? nunquid verum ex vino in hanc ſubſtantiam converſum? Nequaquam. Sed ita eum debuiſſe dicere oſtendit, ſic vetera tranſiſſe, ut carnalis vetuſtas ceſſerit ſpiritali novitati. Verba ejus integra ſunt afferenda, ut liqueat quantum mens eorum recedat à ſenſu Valentiæ: *Dicit ceßiſſe poculo ſanguinem, non cogitans etiam nunc ſe accipere in poculo ſanguinem. Quanto ergo melius & congruentius vetera tranſiſſe & nova in Chriſto facta eſſe ſic diceret, ut cederet altare altari, gladius gladio, ignis igni, panis pani, pecus pecori, ſanguis ſanguini. Videmus quippe in his omnibus carnalem vetuſtatem ſpiritali cedere novitati.* Cum dicit panem pani ceſſiſſe, & ipſe etiam agnoſcit revera panem eſſe in novo fœdere, ut fuit in vetere. Nam cum ille Vrbicus dixiſſet ceſſiſſe pani pecus, neſciſſe eum arguit Auguſtinus, & tunc, id eſt, in veteri lege in Domini menſa panes propoſitionis poni ſolitos. Quod autem diceret de pecore cui pecus ceſſiſſet, non meminiſſe & nunc ſe de agni immaculati corpore partem ſumere. Pars quæ ſumitur de agni immaculati corpore contra hodiernam etiam opinionem facit quæ vult totum corpus etiam in atoma panis particula ſumi. Pecus igitur pecori ceſſit, id eſt, agnus ſpiritalis

lis agno carnali, juxta illam ſententiam Auguſtini, & comparationem ab eo inſtitutam veteris legis cum novo fœdere. *Videmus quippe*, inquit, *in his omnibus carnalem vetuſtatem ceßiſſe ſpiritali novitati*. Ergo panis corporalis ceſſit pani ſpiritali, pecus carnale pecori ſpiritali, ſanguis carnalis, ſanguini ſpiritali. Cætera quæ affert ex hiſtoria certaminum ad aſſerendam ſententiam Catholicam, ut ipſe vocat, hæreticam ut nos affirmamus verius, nihil ejus efficiunt quod voluit. Primos ait Hæreticos qui eam veritatem realis præſentiæ negaverunt, fuiſſe ut incredulos illos Chriſti diſcipulos, qui non obſtante, inquit, explicatione myſterii per Chriſtum adhibita abierunt retro cum Capernaitis. At nos ipſi ſumus, non Pontificii, qui ſequimur illam Chriſti explicationem, de ſpiritali manducatione, cum illi ſimiles Capernaitis, non credant aliter poſſe manducari Chriſti carnem, niſi in ſanguine ſuo quaſi cruentam, neque ſanguinem bibi, niſi ut revera effluentem è corpore cruorem. Quod in Corinthiis reprehendit Paulus, non illud fuit, quaſi negarent veritatem corporis & ſanguinis Dominici in ſacramentis panis & poculi, ſed quod in Eccleſia lautè divites convivarentur, nec expectarent pauperes quos ad eandem utriuſque cœnæ communionem admitterent, communis & ſpiritalis, ſicut utraque ſimul celebrabatur in illis conviviis, quæ Agapæ di-

cebantur. Videndus Ambroſius commentario ad illum locum. Sola igitur vitia morum in Corinthiis taxat Apoſtolus, non errorem doctrinæ circa myſterii ſanctitatem. Nec hoc dicit Auguſtinus, ut perperam exiſtimat Valentia, cum notat *Apoſtolum dicere indigne acceptum ab eis ſacramentum, ab iis qui hoc non diſcernebant à cæteris cibis veneratione ſingulariter debita.* Non de veritate corporis & ſanguinis, neque de reali præſentia ibi tractat Auguſtinus Epiſtola CXVIII. cap. III. ſed utrum quotidie accipienda ſit Euchariſtia, ut plerique tum conſueverant, an non omni die quod alii magis probabant. Non interponere vult ſuum judicium in hac controverſia. Rectius inter eos qui de eo diſſentiebant fortaſſe dirimere poſſe litem *qui moveret, ut præcipue in Chriſti pace permanerent.* *Faciat autem*, inquit, *unuſquiſque quod ſecundum fidem ſuam pie credit eſſe faciendum. Nemo enim exhonorat corpus & ſanguinem Domini, ſi ſaluberrimum ſacramentum certatim honorant.* Solum igitur contemptum & irreverentiam circa hoc ſacramentum à fidelibus deprecatur, & nihil aliud ab Apoſtolo in Corinthiis culpatum oſtendit. Si quis enim quotidie ſumat & id faciat honorandi ſacramenti gratia extra culpam eſt contemptus. Itidem & ille qui honoris cauſa non audet ſumere omni die. Sic igitur ſcribit Auguſtinus: *Sic in ore cujuſque Chriſtiani ſacramentum illud quodammodo æſtimandum.*

Nam

Nam & ille honorando non audet quotidie ſumere, & ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum ſolum non vult cibus ille, ſicut manna faſtidium. Inde etiam & Apoſtolus indigne dicit acceptum ab eis qui hoc non diſcernebant à cæteris cibis veneratione ſingulariter debita. Apparet ex his quid intellexerit Auguſtinus Paulum in Corinthiis taxaſſe, ſolum nempe contemptum ſacramenti & in eo ſumendo irreverentiam, qui non illud diſcernebant à communibus cibis veneratione ſingulari. Nam indignitas irreverentiam & contemptum deſignat, iſque indigne habetur & tractatur qui irreverenter & contemptim & non ſecundum ſuum meritum accipitur. Sic plane interpretatur Ambroſius commentario ad illum locum Apoſtoli, cum timore, cum devotione, cum diſciplina accedendum ad illius ſacramenti perceptionem ut digne poſſit percipi. *Devoto animo,* inquit, *& cum timore accedendum ad communionem docet, ut ſciat mens ſe reverẽtiam debere ei ad cujus corpus ſumendũ accedit.* Sed quomodo corpus illud ſumitur? In myſterio, id eſt, myſtice & ſymbolice, ut ſtatim ſubjungit; *Hoc enim apud ſe debet judicare quia Dominus eſt cujus in myſterio ſanguinem potat, qui teſtis eſt beneficii Dei.* Sic etiam accipiendum quod notavit Sedulius ad eandem Epiſtolam, *Apoſtolum hic docere Corinthios quaſi oblitos quam magnum ſit hujus myſterii ſacramentum.* Irreverenter habet igitur hoc ſacramentum qui eſca iſta ſpiritali

tan-

tanquam cibo communi utitur. Nec diſcernit inter id quod ſacrum eſt, & quod profanum. Auctor libri de cœna: *Verum his qui verbotenus corde ſicci & mente aridi ſacris interſunt, vel etiam participant donis, lambunt quidem petram, ſed inde nec mel ſugunt nec oleum. Qui nec aliqua caritatis dulcedine, nec Spiritus Sancti pinguedine vegetantur, nec ſe judicant, nec ſacramenta dijudicant, ſed ſicut cibis communibus irreverenter ſacris utuntur muneribus, & Dominicæ menſæ in veſte lutulenta ſe ingerunt impudenter, quibus melius erat mola aſinaria collo alligata mergi in pelagus, quam illota conſcientia de manu Domini buccellam accipere.* Tertio urget idem de Valentia ſub initium quoque naſcentis Eccleſiæ circa annum CXXIX. Gnoſticos quorum magiſter fuit Carpocrates, ut ait Irenæus lib. I. cap. XXIV. & ante illos etiam Saturnianos, ſicut apparet ex Ignatio in Epiſtola ad Smyrnenſes, quia non credebant verbum divinum induiſſe corpus humanum ſed tantum figuram quandam ſeu imaginem humani corporis, conſequenter cenſuiſſe, *in Euchariſtia ſolum eſſe illam imaginem corporis Domini.* Eos, inquit, refutarunt Irenæus lib. V. cap. II. & Ignatius apud Theodoretum in fragmento Epiſtolæ ad Smyrnæos Dialogo III. Et ea verba ait eſſe contra ſacramentarios clariſſima. Immo clariſſime illa convincunt Tranſſubſtantiationarios. Ludit hic Lojoliticus Doctor ambiguitate vocis *imago,*

go, quæ alio ſenſu accipitur cum imago & ſimilitudo paſſionis Chriſti in ſymbolis panis & vini celebrari dicitur, ut Gelaſio. Hæc imago εἰκὼν eſt. Atque ita Euſebius Cæſarienſis εἰκόνα ϗ σώματος Χριςȣ̃ Euchariſtiam vocavit, imaginem corporis Chriſti, ut ſupra notavimus. Alio autem ſenſu, Gnoſtici, Saturniani, & Marcionitæ Chriſtum negarunt habuiſſe verum corpus, ſed φανταςικόν. Hoc φάντασμα eſt, non εἰκὼν, quam Valentia vocat figuram & imaginem humani corporis. At multa eſt inter has duas voces differentia, inter φάντασμα & εἰκόνα. Panis in Euchariſtia εἰκὼν eſt Chriſti corporis quia ejus etiam τύπος dicitur & ἀντίτυπον. Tantum autem intereſt inter verũ corpus Chriſti quod in cœlo eſt, & myſticum quod in cœna accipitur quantum eſt inter ἀρχέτυπον & εἰκόνα, ut dixit Theodoretus aliique Patres, qui tamen non fuere de illis hæreticis Chriſti corpus denegantibus. Quicunque etiam ex Latinis panẽ Euchariſtiæ figuram eſſe dixere corporis Chriſti, ut Tertullianus, Auguſtinus & alii, non idem ſenſere cum Marcionitis de φανταςικῷ Chriſti corpore. Immo hoc argumento eorum illum errorem revincere omnino conati ſunt, ex Euchariſtia nempe ducto, quæ ſit imago & figura corporis Chriſti. Niſi enim verum corpus habuiſſet Chriſtus fruſtra in pane dediſſet imaginem ſui corporis. Hæc enim fuiſſet imago imaginis, vel imago potius & ſimilitudo phantaſmatis illius quod

pro

pro corpore Chriſtum oſtentabat. Videndus eſt Tertullianus lib. IV. contra Marcionem, qui ſic plane argumentatur à figura corporis Chriſti, quæ in Euchariſtia ſub ſpecie panis ſumitur, ad veritatem corporis probandam. *Deus acceptum panem, inquit, & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt, figura corporis mei. Figura autem non fuiſſet veritatis niſi eſſet corpus. Cæterum vacua res quod eſt phantaſma figuram capere non poteſt.* Negantes veritatem corporis Chriſti hæreticos non licet nunc ex doctrina Pontificia confutare. Nam panis myſticus & euchariſticus unum & idem illis corpus eſt cum vero Chriſti corpore. Sed hæc à noſtris jam diſcuſſa & diſpuncta fuere, quibus nihil oppoſitum nec repoſitum, quia nec potuit. Quarto affert de Valentia, Neque Manichæos credidiſſe ſanguinem Chriſti eſſe ſub ſpecie vini, immo nec corpus ſub ſpecie panis, ſaltem per aliquam certam conſecrationem. Manichæi certe crediderunt Chriſti præſentiam omnibus frugibus adeſſe, vitibus & ſegetibus. Non igitur putabant opus eſſe aliqua certa conſecratione quæ præſentem Chriſtum ſiſteret in pane & vino myſtico, cum terræ frugibus adhæreſcat ex quibus panis & vinũ conficitur. Hæc opinio Manichæorum nihil facit contra noſtram & omnium veterum Patrum doctrinam, neque fulcit aut juvat fanaticam Tranſſubſtantiationariorum hariolationem.

Quin-

Quinto addit nõ defuiſſe ex Arrianis qui exiſtimarent in Euchariſtia tantummodo virtute divinitatis Chriſti gratiam ſpiritalem accipi, non autem ſumi etiam in illa ad ſalutẽ noſtram Chriſti humanitatem. Hanc omnium Orthodoxorum & antiquorum Patrum fuiſſe ſententiam, quod in Euchariſtia virtute divinitatis ſpiritalẽ gratiam participamus, paulo inferius oſtendemus. Sed per illam virtutem myſticæ benedictionis, id eſt, Euchariſtiæ, Chriſtum etiam in nobis corporaliter habitare, id eſt, carnem ejus cum noſtra ἀνακίρνασθαι iidem Patres ſenſere. Quam ἀνάκρασιν ſive commixtionem, ut oſtenderent Patres, eſſe germaniſſimæ conjunctionis, naturalis etiam συναφείας nomine eam appellarunt, quamvis improprie. Ad ſolam quippe participationem ſpiritus illa conjunctio fit, ut alii dixere. De quo ſatis ſupra. Nec negat Cyrillus quem teſtem producit Valentia, eam virtutem Euchariſtiæ quam Arrianus ille afferebat, ſed eam etiam efficere demonſtrat cum in nobis ſit, ut corporaliter in nobis Chriſtus habitet communicatione carnis ſuæ. Idem Cyrillus lib. x. in Iohannem cap. 11. verſ. 1 v. eam conjunctionem, vocat ſpiritalem, κόλλησιν ἐν πνεύματι cum dixit Chriſtus nos in ipſo manere, & nos eum in nobis manentem habere, ut palmites in vite ſunt, ἐν γὰρ δὴ τούτῳ, inquit, μάλιστα καλῶς ἂν ἔχοι καὶ σώζοιτο τὸ ἐν πνεύματι κολλήσεως νοουμένης, ἤτοι συναφείας, ἡ δύναμις. Et ſpiritalem

eſſe

eſſe & ſolo intellectu percipi talem conjunctionem innuit. Sed & νοητὴν ἄμπελον vocat Chriſtum cujus nos quoque ſumus palmites νοητοί. Sexto adjicit, quoſdam etiam Maſſalianos hæreticos fuiſſe circa annum Domini CCCLXX. apud Theodoretum lib. IV. Hiſt. Eccleſiaſticæ, cap. XI. qui videbantur Euchariſtiam habere pro communi pane, & illam cenſebant indifferentem, quæ neque prodeſſet, neque noceret quidquam. Qui ab omnibus, inquit, tunc fuerunt damnati. Sane & noſtra etiam ſententia & calculo bene damnati habeantur. Non enim Euchariſtiam pro communi pane habemus, qui nihil proſit, aut noceat. Sed quid hoc ad Tranſſubſtantiationem aut realem præſentiam? Quem ſeptimo loco adducit locum Auguſtini ſupra excuſſimus & oſtendimus, ut Tranſſubſtantiatio ad nihilum redigit panis & vini ſubſtantiam, ita eo loco Auguſtinum ipſam adnihilare Tranſſubſtantiationem. Octavo ait, Neſtorium negaſſe in Euchariſtia ſumi carnem verbo divino unitam. Cur hoc negabat? Quia nimirum in principali myſterio itidem negabat carnem verbo divino unitam fuiſſe. De hac unione veterum Patrum qui cenſebant æque in myſterio Euchariſtiæ, ut in myſterio incarnationis unitam eſſe divinitatem humanitati, nos infra. Inde & Cyrillus in anathemate undecimo contra Neſtorium dixit, ſanctum & vivificum incruentumque in Eccleſia

cleſia celebrari in fidelibus ſacrificium, non hominis alicujus nobis ſimilis & communis corpus, conſimiliter & pretioſum ſanguinem eſſe quod proponitur, credentibus, ſed magis tanquam proprium vivificantis verbi corpus, & ſanguinem accipi. Spiritale eſſe corpus quod in Euchariſtia accipitur; & ſpiritaliter accipi vetuſtas omnis credidit. At Neſtorius qui Chriſtum hominem ſeparabat à Chriſto Deo, communis hominis & nobis ſimilis figuram in pane myſtico ſumi ſentiebat. Fideles autem credunt ejus hominis Chriſti corporis figuram nos accipere in ſacramentis, qui ſit etiam Deus, divinitate unita cum humanitate, ſed ἀσυγχύτως. Ita Neſtorius & qui cum eo ſentiebant hoc myſterium diſſolvebant. Nono allegat circa annum Domini DCC. & deinceps, *magis incepiſſe ſerpere opinionem de abſentia Chriſti in Euchariſtia*. Immo tunc incipiebant ſurgere qui præſentiam Chriſti ſubſtantialem & corporalem in Euchariſtia adſtruebant, nulli antiquorum creditam. *Vnde*, inquit, *à Damaſceno lib.* IV. *fidei, cap.* XIV. *qui circa id tempus floruit, aliqui notati ſunt qui dicerent tantum ibi eſſe corporis & ſanguinis Chriſti figuram.* Contra quos Damaſcenus ipſe expreſſe diſputat non figuram tantum ſed ipſum Chriſti corpus & ſanguinem ibi eſſe. Sane hæc verba ſunt Damaſceni illo loco, οὐκ ἔστι τύπος ὁ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, μὴ γένοιτο, ἀλλ' αὐτὸ τὸ σῶμα. Cur igitur vete-

res Patres Græci, Theodoretus, Cyrillus Hieroſolymitanus, alii, dixere panẽ eſſe τύπον corporis, vinum ſanguinis Chriſti? Cur Latini ſimiliter docuere, figuram eſſe, ſignũ, typum, imaginem, ſimilitudinem? Eodem loco idem Damaſcenus agnoſcit ἀντίτυπα dici panem & vinum, ſed nihilominus verum eſſe corpus Chriſti & verum ſanguinem in Euchariſtia aſſeverat, ſed ἀντίτυπα ea dici vult futurorum non prӕteritorum. Ἀντίτυπα δὲ inquit, τῶν μελλόντων λέγονται, οὐχ ὡς μὴ ὄντα ἀληθινὰ σῶμα καὶ αἷμα. Locum ſupra adduximus & explicavimus. Sed hoc falſum. Nam panis & vinum ita ſymbola ſunt atque ἀντίτυπα corporis Chriſti, ut non ad venturum ſæculum referenda ſit hæc ſignificatio, ſed ad rem præteritam ac geſtam, id eſt, paſſionem Chriſti. Ibidem addit, tametſi aliqui veterũ Patrum, & cum his Baſilius ſic vocaverint panem & vinum Euchariſtiæ, de antitypis eos intellexiſſe ſicut eſſẽt ante conſecrationem, non poſt conſecrationem. Εἰ δὲ καὶ τινες, inquit, ἀντίτυπα τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Κυρίου τὸν ἄρτον, καὶ τὸν οἶνον ἐκάλεσαν, ὡς ὁ θεόφορος ἔφη Βασίλειος, οὐ μετὰ τὸ ἁγιασθῆναι εἶπον, ἀλλὰ πρὶν ἁγιασθῆναι αὐτὴν προσφοράν. Sed hoc non minus falſum quam illa prior interpretatio de antitypis τῶν μελλόντων. Nam ex ipſis Baſilii verbis clarius conſtat quam vel liquida lux eſt, ἀντίτυπα ab eo vocata poſt ſanctificationem. Gregorius quoque Nazianzenus ἀντίτυπα narrat à ſorore ſua Gorgonia ſervata, nempe partes cõſecratas & acceptas in Eccleſia

ut

ut mos tum fuit. Pſeudoclemens etiam vetus auctor, ἀντίτυπα ſcribit tradita Diſcipulis ab ipſo Chriſto corporis & ſanguinis ſui. Item ἀντίτυπα ἐπιτελεῖσϑαι dicit in Euchariſtia, antitypa celebrari corporis & ſanguinis, & Victor σύμβολα ἐπιτελεῖσϑαι, ut jam ſupra explicatum eſt. His adde Euſtathium Epiſcopum Ancyræ, Macarium Ægyptium, ipſum Theodoretum & alios plures qui omnes ἀντίτυπα corporis & ſanguinis appellarunt panem & vinum etiam ubi ſanctificatio acceſſiſſet, & cū jam fidelibus traderētur. Quid igitur poſterioribus Græculis venit in mentem id negare quod diſerte adeo omnes veteres affirmarunt, panem & vinum eſſe ἀντίτυπα & σύμβολα etiam poſt conſecrationē? Ecce enim & Theophylactus negavit quoque vinum & panem eſſe ἀντίτυπα corporis & ſanguinis, quia ipſiſſimum ſit corpus Chriſti, & ipſiſſimus ſanguis. Anaſtaſius pariter Monachus Sinaita, quem pudendo errore eundem faciunt cum Anaſtaſio Antiocheno Patriarcha qui ſæculo ſexto vixit ſub Iuſtino & Heraclio, in ὁδηγῷ ſuo, cap. XXIIII. μὴ γένοιτο ἡμᾶς εἰπεῖν ἀντίτυπον τοῦ σώματος Χριστοῦ τὴν ἁγίαν κοινωνίαν, ἢ ψιλὸν ἄρτον ἀλλ' αὐτὸ τὸ σῶμα ἀληθῶς τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ μεταλαμβάνομεν. *Abſit ut dicamus ſanctam communionem eſſe figuram corporis Chriſti, aut ſimplicem panem, ſed ipſum corpus & ſanguinem Chriſti.* Hic Monachus Sinaita videtur iiſdem tēporibus vixiſſe quibus Damaſcenus, aut quibus Theophylactus. Admodum ſane recentem

 eſſe

eſſe phraſis oſtendit. An igitur horum Græcorum alia fuit ſententia de Euchariſtia quam antiquorum, cum hi negent ἀντίτυπον eſſe panem corporis, illi affirment? Ad ſimplicis panis naturam quod attinet, ne veteres quidem dixerunt eſſe λιτὸν ἄρτον, aut λιτὸν οἶνον, panem & vinum myſticum, nihilominus qui ſimplex non eſſet panis poſtquam conſecratus fuiſſet, ἀντίτυπον ſic tamen eſſe corporis non infitiati ſunt. Immo id plane omnes expreſſis verbis aſſerunt. At iſti recentiores Doctores, in eodem ponunt ἀντίτυπον ἄρτον dici & λιτὸν ἄρτον, ut ex loco ante citato Anaſtaſii liquet, & ex his ejuſdem verbis, ubi Orthodoxus Gajanitem ſic interrogat, Αὐτὴ ἡ κοινωνία τοῦ παναγίου σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ ἣν προσφέρεις καὶ μεταλαμβάνεις σῶμα καὶ αἷμα ἀληθινόν ἐστι Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, ἢ ψιλὸς ἄρτος, ὡς ὁ βιβρωσκόμενος κατ' οἶκον, καὶ ἀντίτυπος τοῦ σώματος Χριστοῦ, ὡς θυσία τοῦ τράγου ἣν Ἰουδαῖοι προσάγουσιν; *Hæc ipſa communio ſacratiſſimi corporis & ſanguinis Chriſti quam offers & participas utrum eſt corpus verum & ſanguis Chriſti, an ſimplex panis, ut ille qui domi manducatur, & antitypus eſt corporis Chriſti ut ſacrificium Hirci quod Iudæi offerunt?* Reſpondet Gajanites multum ab eo ſe abeſſe ut dicat communionem corporis & ſanguinis Chriſti eſſe antitypum corporis, aut ſimplicem panem. Videntur iſti homines credidiſſe omnem panem communem eſſe antitypũ corporis Chriſti quia Chriſtus in pane ſacramenta conſtituit ſui corporis. At poſt conſecrationem cum deſinat eſſe

com-

communis panis & ſimplex, deſinere etiam eſſe antitypum corporis quia jam ſit ipſum corpus. Hic ſenſus & hæc mens videtur fuiſſe poſteriorum iſtorum Græcorum cum negarunt panem eſſe ἀντίτυπον corporis. Atqui per conſecrationem qui panis erat communis, fit revera figura & ἀντίτυπον corporis Chriſti, id eſt, ſacramentum, ſive panis ſanctificatus in corpus Chriſti, & vinum ſacratum in ſanguinem Chriſti, vel ut Patres antiqui exponunt, in figuram corporis & ſanguinis Chriſti. Nam ut ante conſecrationem panis non poteſt eſſe ſacramentum, neque vinum, ſic nec dici quidem poteſt ἀντίτυπον, aut ſymbolum, aut typus, aut ſignum corporis Chriſti. Quid enim ſacramentum niſi ſacratum ſignum alicujus rei ſacræ? Ergo ἀντίτυπον corporis Chriſti, revera eſt ſacramentum corporis ſanctiſſimi Chriſti. Atque ita veteres Græci Patres hanc vocem plane ſumpſere cum ἀντίτυπα & σύμβολα τοῦ σώματος Χριστοῦ ἐπιτελεῖσθαι dixere, id eſt, ſacramenta celebrari corporis Chriſti. Ἀντίτυπα itaque corporis, ſunt ſacramenta corporis. Græcis vero neotericis quos allegavimus & qui negant panem eſſe ἀντίτυπον corporis, de omni pane & cōmuni intellexerunt eum eſſe ἀντίτυπον dū offertur, ut hircus qui offerebatur erat figura Chriſti. Poſt oblationem verò & conſecrationē tunc quia corpus ipſum ſit, non amplius dici debere ἀντίτυπον. Sic illi quidem omnino videntur ſenſiſſe, qui tamen

quod eſt in primis admirandum non in alia ſententia fuere ab antiquis Patribus, quantum ad ſubſtantiam panis attinet non mutatam. Tres iſtos ſumamus qui negarunt panem eſſe ἀντίτυπον corporis. Primus Damaſcenus ſubſtantiam panis manere diſerte ſcripſit cum dixit duas naturas, & duas ſubſtantias eſſe in Euchariſtia, unam ſcilicet terrenam, alteram divinam. Quæ vetuſtiſſimorum Patrum fuit opinio. Theophylactus quoque ſcripſit panem & vinum εἶδος διαφυλάττειν, ſubſtantiam ſuam conſervare. Tertius denique Anaſtaſius Sinaita non obſcure ſignificavit ſubſtantiam panis remanere cum affirmat corruptibile eſſe corpus Chriſti in Euchariſtia. Age, inquit Orthodoxus ad Gajaniten, profer nobis ex veſtræ communione Eccleſiæ quam ſupra omnes alias Eccleſias clamatis Orthodoxam, & in vaſe cum omni honore & reverentia reponamus hoc ſanctum corpus Chriſti & ſanguinem, & ſi intra paucos dies non corrumpatur, aut immutetur, aut alteretur, planum fiet vos recte aſſerere corpus Chriſti penitus ab ipſo incarnationis exordio corruptionis expers eſſe. Contendebant illi Hæretici corpus Chriſti ἄφθαρτον fuiſſe ac divinum ab ipſo unionis principio, & proinde unius duntaxat in eo proprietatem naturæ, nempe divinæ & impaſſibilis reperiri. In eadem etiam hæreſi Iuſtinianum Imperatorem ultimis vitæ ſuæ temporibus fuiſſe narrat

Digitized by Google

rat Euagrius lib. IV. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. XXXVIII. Nam non alio modo Chriſtum ediſſe & bibiſſe cum Diſcipulis antequam cruci affixus fuiſſet, & poſtquam ſuſcitatus eſt è ſepulcro. Hi dicebantur ἀφθαρτῖται & ἀφθαρτοδοκῆται. Hanc opinionem refutat Anaſtaſius argumento corporis Euchariſtici quod cum unum & idem ſit cum corpore vero Chriſti, ut hoc myſticum corruptioni alterationi & paſſioni obnoxium eſſe experientia demonſtrat, quia corrumpi, verti, & ἀλλοιοῦσθαι quotidie cernitur, ex eo probat & illud quod in cruce fuit ſimiliter fuiſſe corruptibile & paſſibile. Quod frivolum & ineptum eſt argumentum. Ex eo ſequeretur imaginem cujuſlibet rei aut perſonæ iiſdem vitiis plane eſſe obnoxiam ut ipſum architypum, vel ipſa res cujus eſt imago. Sic aliquis concludere poſſit quia imago cerea igne liqueſcit, perſonam quoque quæ illa imagine repræſentatur ſimiliter igne remiſſum colliqueſcere poſſe. At illi negant panem Euchariſtiæ quem corruptibilem aſſeverant eſſe ἀντίτυπον corporis Chriſti. Sed quod negant, res ipſa, velint nolint, oſtendit. Cum enim hoc corpus Domini quod in Euchariſtia traditur non ad alium corporis Chriſti ſtatum referri dicunt quam qualis in cruce mortuus pependit, & ea ratione probent iſtud eſſe corruptibile quia illud fuerit, qui poſſunt aliter ſtatuere quam hoc corpus illius eſſe typum vel imagi-

 nem?

nem? Nam ut utrumque unum ſit unitate ſubſtantiali nunquam efficient, niſi perficiant, ut corpus ſymbolicum, myſticum, typicum idem ſit & unum cum vero & naturali eo corpore quod συμβολικῶς, τυπικῶς & μυστικῶς repræſentat. Sic imago erit una eademque cum ſuo archetypo. Quod inſanum eſt vel cogitare. Relationis unitas inter iſta cedit non ſubſtantiæ. Apparet autem hunc Sinaitam Monachum nomine Anaſtaſium eo tempore vixiſſe quo hæc cōtroverſia mota eſt in Græcia de corpore Chriſti myſtico corruptibili an incorruptibili? Quod Xiphilini Patriarchæ temporibus ſæculo duodecimo in quæſtionem venit, cum pleriq; defenderent receptam tum opinionem quæ corruptionis expers aſſerebat, alii vero nonnulli, ut ipſe Xiphilinus, φθαρτὸν eſſe contenderent. Horum, ut videtur, ſententiæ calculum ſuum tum addidit iſte Anaſtaſius Monachus. Nec aliud ſenſiſſe videntur Damaſcenus & Theophylactus, & quibuſcunque aliis manere ſubſtantiam panis in Euchariſtiæ ſacramento poſt benedictionem creditum. Solis enim licet Tranſſubſtantiationariis illud ἄφθαρτον affirmare, poſtquam nihil quod corrumpi queat ex panis aut vini ſubſtantia aut materia reliquum factum eſt. Sed in hac Græcorum recentiorum opinione multa ſunt quæ non cohærent, nec ſibi conſtent. Primum negant panem & vinum eſſe ἀντίτυπα corporis & ſanguinis, contra omnis antiqui-

tatis

tatis conſenſionem quæ ſymbola & antitypa corporis & ſanguinis eo ſenſu nominarunt eas duas viſibiles ſpecies. Nec enim ſine his ſymbolis ſacramenta conſtant, cum ipſa ſacramenta ſint ſymbola ſacra vel antitypa. Deinde hæc inter ſe pugnant ut remotis antitypis & ſignis, & veritate corporis aſſerta, ut iſtis placet, ſubſtantia tamen & natura panis eſſe non deſinat. Poſtremo non video quomodo poſſit conſiſtere quod ajunt ipſum panem & vinum μεταποιεῖσθαι εἰς σῶμα καὶ αἷμα θεοῦ, ut dicit Damaſcenus nec eſſe ſigna vel antitypa, ſed verum corpus & verum ſanguinē Chriſti, ut tam ipſe quam Theophylactus & Anaſtaſius affirmant, & tamen panis maneat panis & vinum vinum. Nec etiam illud cohæret quod iidem ſtatuunt, corpus eſſe verum Chriſti & tamen eſſe corruptioni obnoxium & putredini. Corpus quidē Domini paſſibile fuit & corruptibile ante paſſionē & in paſſione; ſed poſt reſurrectionem factum eſt incorruptibile. Vt quotidie autem de novo creetur infinitis in locis corpus Chriſti corruptibile cum ſanguine ſuo pariter corruptibili & ſeparato à proprio corpore ut effuſus eſt ex latere ejus in cruce, id vero nullo modo credibile dictu eſt nec poſſibile factu. At iſti volunt ex pane corruptionis omnis labi obnoxio confici corpus Chriſti frangendum ſimiliter ut in cruce ipſe fractus eſt, & multis aliis præterea vitiis mucoris, putrefactionis, verminationis corrumpendum,

dum, quæ non ſenſit tum corpus Chriſti. Pari quoq; modo & ex vino quod mucеſcere poteſt & aceſcere, ſanguinem verum Chriſti fieri iiſdem mucoris & acoris corruptelis ſubjectum. Quod non ſolum eſt ἀθεμιτώτατον, ſed etiam maxime impium cogitatu. Non mirum eſt porro Græculos iſtos neotericos Doctores in re obſcura exponenda variis ſemetipſos implicaſſe contradictionibus. Doctrina veterum Patrum imbuti certo ſciebant, non mutari ſubſtantiam panis & vini, atq; ut ipſi Græci dicunt, οὐκ ἐξίσταται τῆς οἰκείας φύσεως καὶ οὐσίας. Sed eo tempore per Occidentem totum increbreſcebat opinio de mutata panis & vini ſubſtantia in corpus & ſanguinem Chriſti. Inter utramque, veterem & novam, doctrinam medii & ambigui, cum ambas conciliare vellent in laqueos ſeſe impedierunt è quibus vix poterant ſe extricare. Certe ipſimet in toto hoc negotio ſecum pugnabant negando cum recentioribus panem & vinum eſſe antitypa & ſymbola corporis & ſanguinis Dominici, aſſerendo cum veteribus ſubſtantiam & naturam panis & vini manere. Quæ tamen duo non poſſunt invicem cohærere, aut in una ſede hærere. Sed de ea Græcorum tam recentium quam veterum opinione paulo poſt. Nunc id quod agimus perſequamur. Nobis ſatis eſt hic oſtendiſſe Græcos uſque ad infimum pæne imperium nihil ſciviſſe de illa abjectione ſubſtantiæ in viſibilibus ſpeciebus pa-
nis

nis & vini, & multos quoque Latinorum eam ignoraſſe, aut cognitam impugnaſſe, etiam poſtremis ſæculis. Fallitur autem Gregorius de Valentia cum ſcribit circa annum Domini DCC. opinionem de abſentia Chriſti ita ſerpere cœpiſſe, ut eſſent qui dicerent in Euchariſtia tantum eſſe figuram corporis Chriſti. Hæc calumnia eſt & ſycophantia non ferenda. Nemo enim tum extitit qui nuda ſigna relinqueret in hoc ſacramento, haud ſane magis quam in baptiſmo. Quod addit contra eos Damaſcenum qui circa id tempus floruit, diſputaſſe, non figuram tantum, ſed ipſum Chriſti corpus & ſanguinem ibi eſſe, etiam hallucinatur. Nec enim figuram agnoſcit in Euchariſtia Damaſcenus, ut antiqui Patres omnes Græci Latinique fecerunt, ſed exerte negat panem eſſe τύπον corporis, aut vinum τύπον ſanguinis loco ſupra citato, ſed αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου τεθεωμένον, αὐτοῦ τοῦ Κυρίου εἰπόντος, τοῦτο μου ἐστὶ, οὐ τύπος τοῦ σώματος, ἀλλὰ τὸ σῶμα. Quæ eadem eſt ſentētia iiſdem verbis expreſſa, Theophylacti & Anaſtaſi Sinaitæ, cum tamen hi omnes velint duas eſſe ſubſtantias in Euchariſtia, ſed non eodem modo quo Lutheranis placet. De quo paulo poſt. Decimo idem de Valentia ponit, circa annum Domini DCCC. Iohannem quendam Scotum Monachum Benedictinum & Caroli Magni præceptorem eundem errorem de ſola figura propugnaſſe. Similiter hic errat, & calumniatur de ſola figura.

Non

Non enim ille Iohannes Scotus Erigena, qui non præceptor Caroli Magni fuit, ut jam à noſtris probatum eſt, ſed aliquanto junior ſub finem noni ſæculi obiit, non inquam ille Iohannes, nec quiſquam eorum qui eum ſequuti ſunt nudam figuram in hoc ſacramento aſſeruit, ſed cum figura rem ipſam virtutemque ſacramenti agnoverunt, ſecundũ omnium veterum Patrum ſententiam. Hac eadem nos calumnia impetunt Doctores Lutherani & Pontificii, qua ſi nos tenemur; certe in eodem quoque ſunt crimine & errore antiqui Patres quibuſcum nos paria ſentimus, ut & illi quos nomine hoc infamãt iidem Pontificii. Nam Bertramus excepit Iohannem Scotum, Bertramum Bruno Andegavenſis Epiſcopus & Berengarius ejuſdem Eccleſiæ Archidiaconus. Sequuti deinde ſunt Albigenſes & VValdenſes, deinde VViclefus, poſt hos omnes demum Oecolampadius, Zuinglius, Bucerus, Petrus Martyr, Calvinus. Etiam Lutherus in his nominandus quoniam agimus de his omnibus qui panis ſubſtantiam & vini in Euchariſtia permanere docuerunt contra eos qui eam de ſacramento iſto externant & exterminant. Sic quantum ad hunc articulum attinet minime interrupta ſerie ſucceſſionis vera de ſacramenti hujus materia doctrina in Eccleſia continuata ac conſervata eſt à prima Chriſti inſtitutione uſque ad hæc noſtra tempora. Nullo enim ſæculo ex tot elapſis defuere viri eruditio-

ditione & pietate præſtantes qui nullam fieri ſubſtantiarum panis & vini in corpus ac ſanguinem Chriſti in hoc ſacramento tranſmutationem conſtanter agnoverunt. Et per octingentos quidem annos hæc conſtans & conſentiens totius Eccleſiæ, tam Orientalis quam Occidentalis fuit opinio. Poſt illud tempus ita cœpit labaſcere in animis plurium ut tamen nō pauci ſingulis ſæculis veteris doctrinæ propugnatores extiterint, ut ex his quæ diximus liquet. Quod ad priorem articuli partem attinet, jam eam ſatis explicavimus, & teſte antiquitate Latina Græcaque confirmavimus, utriuſque nempe ſpeciei viſibilis in hoc ſacramento, id eſt panis & vini, ſubſtantiam & naturam non deſinere eſſe. Sic ea abſoluta, reſtat ut tranſeamus ad partem alteram, id eſt, ad corpus Chriſti, ut ſimiliter hac in parte teſtimoniis antiquorum Patrum oſtendamus, an panis convertatur, tranſſubſtantietur & commutetur in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem. Qua expreſſione duo miracula quæ in hoc ſacramento fingunt Pontificii, declarantur, ex parte termini à quo, & ex parte termini ad quē. De priore quidem parte nobis recte convenit cum Lutheranis & cum tota antiquitate Eccleſiæ ſubſtantias nempe panis & vini remanere. De poſteriore nuuc demonſtrandum non minus diſſidere Pontificios ab antiquis Patribus, quam Lutheranos ab utriſque, & nos à Lutheranis

ranis & Pontificiis. Nimirum quatenus converſionem Pontificii fieri dicunt panis in corpus & vini in ſanguinem, quatenus & Lutherani aſſerunt, nullam fieri converſionem, ſed ibi eſſe pariter panem & Deum, Chriſti corporis ſubſtantiam cum ſubſtantia panis impermixtam & inconfuſam. Vtrique vero tam Pontificii quam Lutherani Doctores calumniantur, nos ſolam panis ſubſtantiam & ſolam vini huic ſacramento relinquere, id eſt, nuda ſigna ſine re, ſine virtute, ſine efficacia, corpus ipſum & ſanguinem Chriſti adimere. Quod an verum ſit, & præterea qualis fuerit inter iſtas diſſenſiones veteris Eccleſiæ & Patrum ſentētia, nunc in eo ſumus, ut doceamus. Quo facto planum fiet quinam ex omnibus diſſidentibus propius accedant ad priſcam & veram de hoc ſacramento opinionem, & inſtitutioni Chriſti conſentientem. Omnis ferme in his ac talibus mutatio, aut detractione fit, aut adjectione, aut converſione. Homo pauper ex divite fit detractione bonorum. Rurſum dives ex paupere, eorundem adjectione. Doctus ex indocto evadit, eruditus ex rudi, doctrinæ adjectione. De pravo bonus fit, de bono pravus, non adjectione neque detractione, ſed morum in pejus vel in melius converſione. Mutationem in hoc ſacramento fieri omnes veteres cōſentiunt. Μεταβολὼ appellant, ut jam diximus, *μεταποίησιν*, *μεταῤῥύθμισιν* & *μεταστοιχείωσιν*. Hæc eadem vocabula omnia paſſim

ſim uſurpant Patres in hominis regeneratione qua de peccatore fit juſtus, ut ſupra oſtendimus. His ipſis vocibus etiam uſi ſunt ad mutationem eam deſignandam quæ in hoc ſacramento intervenit, ſicut etiam ſuperius notatum eſt. Vtrum hæc mutatio adjectione fiat an detractione, an vero converſione, ſecundum ipſos videndum. Detractione non fieri ipſi docent quia nunquam deminutionis, aut detractionis alicujus in exprimenda ea quæ fit in hoc ſacramento mutatione, meminerunt. Nuſquam ἐλάττωσιν nominant, ſed προσθήκην & πρόσληψιν. Ergo adjectione eam mutationem fieri crediderunt, non converſione alterius ſubſtantiæ in alteram, nuſquam enim hujus mentionem fecere in ſuis ſcriptis. Qualis aut cujus rei ea adjectio fiat ad ſpecies viſibiles panis & vini, & an talis quæpiam adjectio poſſit videri mutationem ſpeciebus ejuſmodi inducere ex ipſis Patribus docendum. Sumamus aliquem ex his qui clarius rem iſtam explicarunt, ut quaſi præſtruatur reliquorum teſtimoniis, quæ poſtea ad idem probandum adducentur. Theodoretus in Dialogo primo, μεταβολὴν fieri agnoſcit in hoc myſterio ſpecierum viſibilium panis & vini. Cum enim inſtruendum ibi ſuſceperit minus recte de his ſentientem, myſteriorum naturam ut apertius ipſi declararet, præcipuam operam poſuit. Introducit igitur in eo colloquio Orthodoxum docentem

cum

eum qui à fide eſſet alienior, quomodo Chriſtus in hoc inſtituendo ſacramento corporis & ſanguinis ſui ſub panis ac vini ſymbolis, nomina ea inter ſe permutaverit, ac corpori quidem nomẽ ſymboli dederit, & vice verſa ſymbolo corporis, & ad eundem modum cum vitem ſemetipſum appellaſſet, ſanguinem, id quod erat ſymbolum, appellaſſe. Verba ipſa Græca ſic habent: Ὁ δέ γε σωτὴρ ὁ ἡμέτερος ἐνήλλαξε τὰ ὀνόματα, καὶ τῷ μὲν σώματι τὸ τοῦ συμβόλου τέθεικεν ὄνομα, τῷ δὲ συμβόλῳ τὸ τοῦ σώματος, οὕτως ἄμπελον ἑαυτὸν ὀνομάσας αἷμα τὸ σύμβολον προσηγόρευσεν. Dicit ad hæc Eraniſtes qui cum Orthodoxo colloquium hoc miſcet, ſe dictis aſſentiri, ſed cauſam quærere hujus nominum ἐναλλαγῆς. Reſpondet Orthodoxus manifeſtum eſſe Domini propoſitum ſacratis ejus & electis. Voluiſſe enim Chriſtum eos qui divina hæc myſteria participarent, non ad naturam viſibilium ſpecierum attendere, ſed per hanc nominum enallagen, qua ſymbolum corporis appellatione & corpus ſymboli nomine nuncupatur, ei mutationi fidem adhibere quæ per gratiam vel ex gratia facta eſt. Μὴ τῇ φύσει τῶν βλεπομένων προσέχειν, ἀλλὰ διὰ τῆς τῶν ὀνομάτων ἐναλλαγῆς πιστεύειν τῇ ἐκ τῆς χάριτος γεγενημένῃ ἐναλλαγῇ. Quænam eſſet illa μεταβολὴ & quomodo fieret utrum adjectione, an detractione, an converſione, verbis continuo ſubjectis explicavit. Ὁ γὰρ δὴ, inquit, τὸ φύσει σῶμα σῖτον καὶ ἄρτον προσαγορεύσας, καὶ αὖ πάλιν ἑαυτὸν ἄμπελον ὀνομάσας, οὗτος τὰ ὁρώμενα σύμβολα τῇ τοῦ σώματος καὶ αἵματος προσηγορίᾳ τετίμηκεν.

τετίμηκεν, οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικώς. *Is enim qui naturale corpus frumentum & panem appellavit, & qui rurſus ſemetipſum vitem nuncupavit, hic ipſe viſibilia ſymbola corporis & ſanguinis appellatione honoravit, non converſione naturæ, ſed gratiæ ad naturam adjectione.* Nihil iſtis clarius, ne ſol quidem cum lucet mero meridie, dari poteſt. Μεταβολὴν factam in viſibilibus ſymbolis docet, ſed qualem explicat, non eam nimirum quæ ſubſtantiæ & naturæ converſione ſpecies viſibiles ſive ſymbola quæ cernuntur immutet, ſed ea per quam ad naturam & ſubſtãtiam viſibilium ſignorum panis & vini gratia adjungatur. Delegimus auctorem ſæculi quarti vel quinti ut eo in medio conſtituto octo ſæculorum, quibus eadem ſana doctrina perpetuo in Eccleſia viguit, poſſemus deinde ex auctoribus anterioribus & citerioribus aut etiam æqualibus eorum temporum conſenſum hujus ſanæ doctrinæ ſtabilire & cõfirmare. De ulterioribus primo videamus, id eſt, de iis qui propius inſtitutionis tempora attigerunt. Diximus adjectione gratiæ ad ſpecies ſive ſubſtantias panis & vini viſibiles, totam eam mutationem conſtitiſſe, non naturæ ipſius ſive ſubſtantiæ converſione. Ecce tibi Theodotus, ſive, quod potius puto, Clemens Alexandrinus in Epitome Stromateon qui deſiderantur. Is panem Euchariſtiæ & oleum Chriſmatis virtute dicit in ſpiritalem virtutem eſſe mutata,

καὶ ὁ ἄρτος καὶ τὸ ἔλαιον ἁγιάζεται τῇ δυνάμει τοῦ ὀνόματος, οὐ τὰ αὐτὰ ὄντα κατὰ τὸ φαινόμενον οἷα ἐλήφθη, ἀλλὰ δυνάμει εἰς δύναμιν πνευματικὴν μεταβέβληται. *Panis & oleum ſanctificatur virtute nominis, non eadem manentia ſicut in ſpeciem aſſumpta ſunt, ſed virtute in virtutem ſpiritalem mutata ſunt.* Additio iſta gratiæ quam dixit Theodoretus, eam facit mutationem ſpecierum in virtutem ſpiritalem de qua loquitur hic auctor. Non eadem manere ſicut apparebant cum ſumpta ſunt, dicit, quia non amplius ſimplex eſt panis ſed cum additamento, non commune oleum, ſed jam cum augmento gratiæ quo antea carebat. De Baptiſmo paria ſubnectit, non ſolum eum retinere & capere quod pejus eſt, ſed acquirere ſanctificationem, id eſt, gratiam qua ſanctificatur, Οὕτως καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ ἐξορκιζόμενον, καὶ τὸ βάπτισμα γινόμενον οὐ μόνον χωρεῖ τὸ χεῖρον, ἀλλὰ καὶ ἁγιασμὸν προσλαμβάνει. *Aqua conſecrata & baptiſma facta non ſolum capit quod eſt deterius, ſed etiam accipit ſanctificationem.* Hic ἁγιασμὸς ſanctificatio eſt, hoc eſt, gratia ſanctificans. At ipſe panis ſanctificatus conſecratione vocatur ἁγίασμα, Patribus. Vnde τῶν ἁγιασμάτων μετέχειν, *ſacramenta participare*, panem & vinum ſanctificatum ſumere. Ex his qui poſt Theodoretum ſcripſere Ephraimius Patriarcha Antiochenus, qui ſub Iuſtiniano Imp. fuit, ut notat Nicetas, in corpore Chriſti quod ſumitur à fidelibus & ſubſtantiam ſenſibilem panis remanere dixit, & gratiam

gratiam inſuper intelligibilem ab ea non ſeparari, καὶ τὸ αἰσθητῆς οὐσίας οὐκ ἐξίσταται, καὶ τὸ νοητῆς ἀδιαίρετον μένει χάριτος. Quænam hæc gratia? Spiritalis à Spiritu Sancto, qui etiam, ut ſupra oſtendimus, Paulo & Clementi vocatur *Spiritus gratiæ*. Hæc eadem gratia etiam *virtus* appellatur *ſacramenti* Patribus Latinis, & Græcis δύναμις, ut in loco Clementis vidimus. Quæ virtus iſta? Spiritalis & Spiritus Sancti. Cyprianus de Reſurrectione Chriſti, *virtutem inviſibilem* vocat, & *viſibilia* ſacramenta, cum ea unum corpus facere dicit. Virtus illa inviſibilis, quæ Auguſtino dicitur *gratia inviſibilis*, extrinſecus accedit ſacramentis viſibilibus. Vnde niſi à Spiritu Sancto? Vel certe à Spiritu Chriſti qui idem eſt, ut Patres ſcribunt. Hunc *omnibus Eccleſiæ ſacramentis intereſſe, quæ ipſe efficit & conſummat*, Cyprianus dicit in libro de Spiritu Sancto. *Virtutem divinam* appellat alter Cyprianus, id eſt, ſubditilius in libello de cœna, ubi ſcribit quod hujus ſacramenti immortalitatis alimonia corporalis ſubſtantiæ retineat ſpeciem, ſed virtutis divinæ inviſibili efficientia probet adeſſe præſentiam. Verus Cyprianus in libro de Baptiſmo Chriſti, & hanc plenitudinem gratiæ, & remiſſionem peccatorum, quæ per baptiſmum & alia ſacramenta donatur, proprie Spiritus Sancti eſſe, & ipſi ſoli hujus efficientiæ privilegium manere. Hinc & *donum ſpiritale* dicitur, & Græcis δῶρον, ea gratia quæ

Digitized by Google

per Spiritum Sanctum donatur atque additur ſacramentis viſibilibus tam in Euchariſtia quam in baptiſmo, ut jam aliis obſervatum. Vnde & ipſe baptiſmus δῶρον Græcis vocatur ut & Euchariſtia, propter eam gratiam ſpiritalem quæ in utroque datur. Baſilius, προστρέχειν τοῦ δώρου, *ad donum accurrere*, de baptiſmo. De cœna Domini quod etiam δῶρον paſſim Græcis Patribus vocetur, nemo ignorat. Sic & *gratiam* eandem quoque vocari ab eadem ratione jam viris doctis etiam notatum ex Cypriano & Auguſtino. Sic & Baptiſmus pariter χάρις. Vnde apud Cyrillum in Myſtagogica quarta; προσέρχεσθαι τῇ χάριτι, eſt accedere ad baptiſmum. Partes ipſæ diſtribuendæ fidelibus ex pane confracto *gratiæ* nomine veniebant, ut locus Auguſtini ab omnibus ferme qui de hoc negotio tractarunt citatus, oſtendit. *Vnuſquiſque accipit partem ſuam, unde & ipſæ gratia partes vocantur.* Ipſæ partes gratia vocantur. Inde eſt, quod panis de quo communio erat facienda benedicebatur primo, deinde in partes confringebatur, tum demum illæ ipſæ partes in populum viritim diſtribuebantur. Quod locus Euagrii oſtendit lib. IV. cap. XXXV. ubi dicit morem fuiſſe in Conſtantinopolitana Eccleſia quando multæ admodum partes Dominici corporis, μερίδας appellat, poſt communionem peractam remanſiſſent, eas diſtribui pueris impubibus ad hoc vocatis. Ex quibus conſtat partes prius fieri

fieri ſolitas de pane minutatim confracto quam diſtributio earum viritim in ſingulos fideles fieret. In ordine quoque Romano ante octingentos & amplius annos conſcripto, Diaconi frangunt hoſtias, priuſquam dividantur. Ita partem cum ſuam quiſque acciperet è manu ſacerdotis *gratiam* accipere dicebatur, & ipſæ partes *gratia*. An ergo mirum eſt, ſi nomine *corporis* etiam *Domini* nomine appellentur partes quæ accipiuntur à fidelibus, cum & *gratia* vocentur, & *donum*? Paſſim apud Tertullianum, ut alios omittam, *corporis Domini* nomine Euchariſtia reperitur appellata. Vt in libro de Idololatria, *Eum manum admovere corpori Domini*. Et in libro de Oratione. *Quod ſtatio ſolvenda ſit accepto corpore Domini.* Et paulo poſt: *Accepto corpore Domini & reſervato utrumque ſalvum eſt.* Piget plura teſtimonia congerere quæ apud hunc & alios Patres ubique occurrunt. Si quis putat *corpus Domini* aliud eſſe quam panem Euchariſticum ea figura loquendi qua pro re ſignificante ponitur ſignificata, pro ſigno res ipſa, fallitur. Exēplum dabo quod inſtar omnium eſt ad hoc explicandum. Ephraimius Antiochenus Patriarcha apud Photium. Οὕτω τὸ παρὰ τῶν πιστῶν λαμβανόμενον σῶμα Χριστοῦ καὶ τῆς αἰσθητῆς οὐσίας οὐκ ἐξίσταται, καὶ τῆς νοητῆς ἀδιαίρετον μένει χάριτος. *Sic & corpus Chriſti quod à fidelibus accipitur, & à ſenſibili ſubſtantia non excidit, & ab intelligibili gratia non ſeparatur.* Cor-

pus hic verum intelligere poſſit quiſpiam an panem corporis nomine ſignatũ? Hoc omnino, non illud. Res clara. An magis eſt corpus quam gratia id quod accipitur, cum utroque nomine ſignetur? Certe corporis virtus eſt & efficacia, ut gratiæ effectus, & doni ſpiritalis cum digne ſumitur atque ut oportet. Alias neque corpus eſt, neque gratia, neque donum ſpiritale, neque virtus divina, quamvis his nominibus appelletur. Cyprianus in libello de Lapſis: *Nec immerentibus ad ſalutem prodeſt quod ſumitur, quando gratia ſalutaris in cinerem ſanctitate fugiente mutatur.* Ita malos dixit Auguſtinus ſacramentum ſolum accipere, non rem ſacramenti. Quæ eſt res ſacramenti? Corpus ipſum, ut alibi interpretatur in libro ſententiarum Proſperi, *Conficitur autem ſacrificium Eccleſiæ ſacramento & re ſacramenti, id eſt, corpore Chriſti.* Quod & alibi repetit. Hoc idem eſt quod aliter dixit, de *ſigno viſibili & gratia inviſibili.* Nam quod illud corpus eſt? corporis virtus & efficacia, & ipſa gratia. *Sacramentum corporis* vocatur. Certe. Sed & *ſacramentum gratiæ* apud eundem Auguſtinum in Pſalmum LXXVII. *Sed ipſa gratia cujus ipſa ſunt ſacramenta quæ membra corporis Chriſti cum ſuo capite regenerata ſunt, non communis eſt omnibus. Nam & hæretici habent eundem baptiſmum, & falſi fratres in communione Catholici nominis.* Corpus Chriſti in ſacramento Euchariſtiæ virtus eſt, & δύναμις, & ἐνέργεια

corporis

corporis Chriſti. Victor Antiochenus ad illa Marci, *& cœnantibus ipſis.* Συγκαθιστάμενος ὡς θεὸς ταῖς ἡμετέραις ἀσθενείαις ἐνίησι τοῖς προκειμένοις δύναμιν ζωῆς, καὶ μεθίστησιν αὐτὰ πρὸς ἐνέργειαν τῆς ἑαυτοῦ σαρκὸς ἵνα εἰς μέθεξιν ζωοποιὸν ἔχωμεν αὐτά. *Vt Deus ſeſe accommodans noſtris infirmitatibus, immittit propoſitis ſpeciebus virtutem vitæ, & ea tranſmutat in efficaciam ipſius carnis, ut in participationem vivificam eam habeamus.* Ecce δύναμις ζωῆς, ecce ἐνέργεια τῆς σαρκὸς Chriſti quæ in ſacramento eſt, & in quam converſæ ſunt ſpecies viſibiles, ſub quibus latet gratia inviſibilis, quæ illam δύναμιν ζωῆς efficit, & efficaciam corporis Chriſti largitur. *Virtutem corporis* quidam dixit ex Latinis. Epiphanius Theodoreto antiquior, in expoſitione fidei hanc corporis Dominici virtutē quæ in pane eſt Euchariſtiæ, vocavit δύναμιν ἄρτου, quæ eadem eſt & δύναμις σώματος. Nam & *ſacramentum panis* dicebatur idem, & *ſacramentum corporis.* Ἐνταῦθα δὲ ἐν Χριστῷ ἰσχυροποιουμένων τῆς δυνάμεως τοῦ ἄρτου, καὶ τῆς τοῦ ὕδατος ἰσχύος, ἵνα οὐκ ἄρτος ἡμῖν γένηται δύναμις, ἀλλὰ δύναμις ἄρτου. *Hic vero in Chriſto panis virtute & aquæ vi corroboratis, ut non panis ſit nobis virtus, ſed virtus quæ in pane eſt.* Omnium qui vivunt hodie mortalium inſcitiſſimus & nequiſſimus, ita hunc locum more ſuo, id eſt, peſſime reddidit: *Vt non panis ipſe ſit nobis virtus, ſed virtus à pane profecta.* Apparet non intellexiſſe quæ ſit hic δύναμις ἄρτου de qua loquitur Epiphanius, aut maligne intellectum id

ſibi diſſimulaſſe. An virtus quæ in pane eſt myſtico ſpiritalis, de qua hic intelligit Epiphanius, à pane ipſo proficiſcitur? Immo extrinſecus in eum advenit, & de cœlo deſcendit cum ſpiritalis ſit, & corpus Chriſti ſpiritale exhibeat. Quam δύναμιν ἄρτου hic appellavit, in ſequentibus δύναμιν ἐν ἄρτῳ nuncupat, καὶ βρῶσις μὲν ὁ ἄρτος, inquit, ἡ δὲ δύναμις ἐν αὐτῷ εἰς ζωογόνησιν. Et *panis quidem cibus eſt, virtus vero quæ in pane eſt, ad vitam generandam eſt efficax*, nempe æternam. Eadem malignitate ac perfidia verum ſenſum hujus loci ſuppreſſit, ſic vertendo. *Ac cibus quidem noſter panis eſt, ſed in ipſo vitalis quædam virtus continetur.* De induſtria ſic ambigue expreſſit, ut poſſet id intelligi de ea virtute panis naturalis qua vita noſtra ſuſtentatur, cum auctor intelligat de vivifica ac ſpiritali virtute quę inditur pani Euchariſtico operatione inviſibili & interna Spiritus Sancti. Dicit igitur non panem ipſum nobis hanc virtutem ſuggerere & donare, ſed ipſam quæ in pane eſt virtutem. Tantum abeſt ut dicere voluerit à pane illam proficiſci, ut ſua verſione homo nequam expreſſit. Ita de Baptiſmo non ideo dari illum ait, ut aqua nos lavet, ſed ut vis aquæ per fidem & energiam & ſpem nobis fiat in conſummationem ſalutis. Sic aquam & vim aquæ ſeparat in baptiſmo, ut in Euchariſtia panem & virtutem panis. Sic Ambroſius de baptiſmo ſcripſit, ſi qua in aqua gratia eſt, non ex natura eam

aquæ,

aquæ, ſed ex præſentia Spiritus Sancti procedere. Gratia in Baptiſmo eſt ἰσχὺς quæ ex præſentia Spiritus Sancti huic ſacramento adeſt. Ad eundem prorſus modum δύναμις in pane ex præſentia Spiritus Sancti ſacramentis corporis & ſanguinis ineſt. Cum vero totum ſacramentum Euchariſtiæ in ἄρτον & δύναμιν dividit Epiphanius, clare oſtendit ſe panem in eo agnoviſſe cum virtute pani adjuncta quæ & *virtus ſacramenti* paſſim appellatur à Latinis Patribus. Idem in Anchorato panem & δύναμιν in Euchariſtia diſtinguit, & panem quidem, τὸ στρογγυλοειδὲς καὶ ἀναίσθητον vocavit, *rotundum & ſenſus expers.* At illam ipſam, inquit, ſenſu caſſam & brutam materiam, ſuum eſſe corpus pronuntiavit Chriſtus, ſed ὡς πρὸς τὴν δύναμιν hoc dixit, & τῇ χάριτι. Locus hodie ille Epiphanii præ vitioſa interpunctione non intelligitur. Non enim verba illa, ὡς πρὸς τὴν δύναμιν connectenda ſunt cum iis quæ præcedunt, ſed cum ſequentibus jungenda hoc modo, καὶ εὐχαριστήσας εἶπε τοῦτο μου ἐστὶ τόδε, καὶ ὁρῶμεν ὅτι οὐκ ἴσον ἐστὶν οὐδὲ ὅμοιον, οὐ τῇ ἐνσάρκῳ εἰκόνι, οὐ τῇ ἀοράτῳ θεότητι, οὐ τοῖς χαρακτῆρσι τῶν μελῶν. Τὸ μὲν γάρ ἐστι στρογγυλοειδὲς καὶ ἀναίσθητον. Ὡς πρὸς τὴν δύναμιν καὶ ἠθέλησε χάριτι εἰπεῖν, τοῦτο μου ἐστὶ τόδε, καὶ οὐδεὶς ἀπιστεῖ τῷ λόγῳ. *Et cum benedixiſſet, dixit, Hoc meum iſtud eſt, & videmus quod nec par eſt nec ſimile aut corporeæ figuræ, aut inviſibili divinitati, nec lineamentis membrorum. Hoc enim rotundum & ſenſus expers. Quantum ad virtutem & dice-*

re gratia volunt, Hoc meum iſtud eſt. Non alius inſignior locus in tota Patrum antiquitate nec illuſtrior convincendæ fanaticæ Pontificiorum de hoc ſacramento hereſi. Illud cui Chriſtus benedixit cum inſtitueret ſacramenta corporis & ſanguinis ſui, non ſimile eſt, inquit, nec ullo modo æquale aſſumptæ carnis figuræ, aut inviſibili divinitati, nec membrorum lineamentis. Res rotunda eſt ac bruta de qua tamen dicere voluit Dominus, hoc corpus meum eſt. Quomodo, hoc dixit? ὡς πρὸς τὴν δύναμιν καὶ χάριν. Ergo δυνάμει corpus eſt Chriſti hic panis, & χάριτι non re ipſa nec in veritate. Nemo tamen verbo Chriſti non credit. Nam qui vera eſſe quæ dixit non putat, excidit gratia & ſalute, cujus vim & effectum pani ille indidit. Panis igitur in ſacramento manet panis ſecundum Epiphanium, quæ eſt ſubſtantia terreſtris Irenæo, cui accedit altera ſubſtantia divina, nempe virtus illa corporis Chriſti. Sed cujus corporis? An naturalis & ſubſtantialis? Nullo modo, ſed ſpiritalis. Ambroſius in libro de iis qui myſteriis initiantur, ita clare hoc explicat, ut claror ſit merus, capite ultimo ſub finem, *In illo ſacramento Chriſtum eſſe dicit, quia corpus eſt Chriſti.* Cur non vice verſa ſcripſit ibi corpus eſſe Chriſti quia Chriſtus eſt? Sane ſi verum corpus huic ſacramento ineſſe credidit, ita dicere debuit. Ex concluſione ipſius colligitur de quali Chriſto, & de quali corpore ejus intel-

intellexerit. *Non ergo*, inquit, *corporalis eſca eſt, ſed ſpiritalis*. Cur non corporalis, ſi corpus Chriſti eſt? Cur ſpiritalis tantum ſi etiam corporalis? Sed cur ita dixerit mox explicat, & hanc rationem addit, *Corpus enim Dei, corpus eſt ſpiritale. Corpus Chriſti corpus eſt divini ſpiritus, quia ſpiritus eſt Chriſti, ut legimus.* Non igitur de naturali corpore Chriſti in quo paſſus eſt intellexit, ſed ſpiritali ejus ſubſtantia, ſed de ſpiritu ipſo. Corpus enim Dei, inquit, corpus eſt ſpiritale, id eſt, ſubſtantia ſpiritalis & Spiritus. In ſacramenta panis & vini ſpiritum deſcendere, advenire, ἐπιφοιτᾷν, Patres dixere, haud ſecus atque in baptiſmi ſacramentum. Auctor de ſacramentis libro primo capite quarto: *Non aqua omnis ſanat, ſed aqua ſanat, quæ habet gratiam Chriſti.* Chriſtum ipſum in aqua adeſſe ſcripſit verus Ambroſius in libro de his qui myſteriis initiantur capite v. *Crede ergo adeſſe Dominum Ieſum invocatum precibus ſacerdotum, qui ait ubi fuerint duo vel tres, ibi & ego ſum. Quanto magis ubi eſt Eccleſia, ubi myſteria ſua ſunt, ibi dignatur ſuam impertire præſentiam?* Non in medio duorum vel trium, qui in nomine ejus convenerint Chriſtus præſens eſt corpore, ſed ſpiritu. Magis quidem præſentem eſſe in Eccleſia ubi ſacramenta ſua ſunt dicit, ſed non alio tamen modo; quia ibi etiam eſt præſens Spiritu. De baptiſmo ibi loquitur. Eodem libro capite III. *Crede ergo divinitatis illic eſſe præſentiam.*

Digitized by Google

ſentiam. Nempe in baptiſmo. *Operationem*, inquit, *credis, non credis præſentiam?* Quomodo præſentia divinitatis in baptiſmo eſt, aut Chriſti? Sequenti capite id explicat per Spiritus Sancti deſcenſum: *Illis Angelus deſcendebat, tibi Spiritus Sanctus. Illis creatura movebatur, tibi Chriſtus operatur, Dominus creaturæ.* Auctor librorum de ſacramentis libro I. capite IV. *Non ſanat aqua niſi Spiritus Sanctus deſcenderit & aquam illam conſecraverit.* Quinimmo & corpus Chriſti in baptiſmo repræſentari in unctione nempe Chriſmatis, idem ait libro primo capite undecimo, *Conſidera ubi capias ſacramenta cœleſtia. Si hic corpus eſt Chriſti, hic & Angeli conſtituti ſunt.* Item libro ſecundo capite V. *Venit Sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, præſentiam Filii & Spiritus Sancti.* Per Spiritum Sanctum non ſolum Chriſtus, ſed etiam Pater venit, & in eo, cum venit, præſens adeſſe creditur Chriſtus. Ambroſius libro I. de Spiritu Sancto cap. X. *Sic ergo Spiritus venit, quemadmodum venit Pater. Dixit enim Filius; Ego & Pater veniemus & manſionem apud eum faciemus. Nunquid corporaliter Pater venit? Sic ergo Spiritus venit, in quo cum venit & Patris & Filii plena præſentia eſt.* Sic de ſacro Chriſmate dixit Cyrillus in Catecheſi tertia, poſt invocationem Spiritus Sancti non eſſe amplius oleum cõmune, ſed Chriſti donum, & per præſentiam Spiritus Sancti, ipſius divinitatis operatorium.

Οὕτω

Οὕτω καὶ τὸ ἅγιον τοῦτο μύρον, οὐκέτι ψιλὸν, οὐδ᾽ ὡς ἂν εἴποι τις, κοινὸν μετ᾽ ἐπίκλησιν, ἀλλὰ Χριστοῦ χάρισμα, καὶ πνεύματος ἁγίου παρουσίᾳ τῆς αὐτοῦ θεότητος ἐνεργητικόν. Hinc ipſum eſſe Chriſtum ſuperſubſtantialiter bonum odorem flagrantem hoc μύρον eſſe dicit hypobolimæus Areopagita Dionyſius. Πεπείσμεθα δὲ εἶναι θεαρχικώτατον Ἰησοῦν ὑπερουσίως εὐώδη. In Euchariſtia ſimiliter Chriſti adventum precabantur ſacerdotes qui iſtud ſacramentum conficiebant, ut ait Hieronymus commentariis in Sophoniam, *Sacerdotes quoque qui dant baptiſmum, & ad Euchariſtiam Domini imprecantur adventum*. Quomodo Chriſtus advenit in hoc ſacramentum corporis ſui? Non corpore ſuo, ſed Spiritus præſentia, quem etiam invocabant Sacerdotes ut in propoſitas in menſa ſpecies panis & vini deſcenderet. Cyprianus de unctione Chriſmatis: *Ineſt veritas ſigno, & Spiritus ſacramento.* Hunc etiam Spiritum ſua præſentia ἐνεργητικὸν eſſe Chriſti divinitatis dicit Cyrillus paulo ante citatus. In myſterio incarnationis & Spiritus Sanctus nominatur & *virtus*, hoc eſt, δύναμις Dei altiſſimi. Sic enim habuit ſalutatio Angelica, τὸ πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. Per Spiritum Sanctum Deus operatur & virtus ejus exeritur. Ita accipienda vox δύναμις apud Paulum in Epiſtola ad Romanos cap. I. v. IV. de Chriſto qui dicitur ex ſemine Davidis ſecundum carnem, & ὁρισθεὶς υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, *prædeſtinatus Filius Dei in virtute ſecundum Spiritum*

ritum ſanctitatis. Illa ipſa δύναμις divina intelligenda quæ virginem Mariam matrem Chriſti obumbravit per ſuperventum Spiritus Sancti, ex qua conceptus eſt. Sic ille factus eſt ac declaratus Filius Dei in virtute Dei per Spiritum Sanctum, vel ſanctitatis. Ita hæ opponuntur invicem duæ naturæ & ſubſtantiæ Chriſti, humana & divina. Humana κατὰ σάρκα, divina κατὰ πνεῦμα dicitur. Ita apud Patres his duobus vocabulis ſignantur *carnis* & *ſpiritus*. Per *carnem* humanitas ejus intelligitur, per *ſpiritum* divinitas. Nam πνεῦμα ἐστὶ θεία οὐσία. Irenæus libro IV. contra hæreſes, cap. XXXIV. dicit in Euchariſtia *congruenter prædicari communicationem & unitatem carnis & ſpiritus*. Id eſt, humanitatis & divinitatis Chriſti. Cyprianus de reſurrectione Chriſti; *Virtus inviſibilis & viſibilia ſacramenta ſic faciunt unum corpus ut caro & ſpiritus*. Omitto alios. Spiritus ergo θεότης eſt, caro ἀνθρωπότης. Divinitas etiam Θεοῦ δύναμις appellatur, ut apud Apollinarium in primo dialogo Theodoreti quem non pro hæretico ſed pro Orthodoxo loquutum eſſe ait, cum ſcripſit, οὔτε γὰρ ἀλλοίωσις, οὔτε μετακίνησις, οὔτε περικλεισμὸς γέγονε περὶ τὴν ἁγίαν τοῦ Θεοῦ δύναμιν. De divinitate Chriſti loquitur, quam θεότητα paulo ante idem vocaverat, cum dixiſſet incarnationem factam eſſe ἀναλλοιώτου μενούσης θεότητος. Quod ut manifeſtius explicaret nullam ἀλλοίωσιν, nullam μετακίνησιν, nullum περικλεισμὸν contigiſſe circa divinitatem

ſive ſanctam Dei virtutem quando humanitati conjuncta eſt. In hæreſi Cerinthi Epiphanius quem Spiritum Sanctum dixerat ex opinione Cerinthianorum deſcendiſſe inChriſtum ſpecie columbæ, paulo poſt δύναμιν appellat, καὶ διὰ τοῦτο ἐπειδὴ ἦλθεν ἡ δύναμις εἰς αὐτὸν ἄνωθεν. Ea δύναμις Spiritus Sanctus illi eſt. In Melchiſedecianorum hæreſi Theodoretus ſcribit eos Melchiſedecum credidiſſe δύναμιν τινα θείαν καὶ μεγίστην. Epiphanius ait in eorum hæreſi non ſolum δύναμιν τινα Melchiſedecũ exiſtimaſſe, ſed Chriſto etiam majorem. Hieracitę eumSpiritumSanctum eſſe autumabant. Eodem ut videtur ſenſu & δύναμιν uſurparuntGræciPatres, & Latini *virtutem*, cũ in hoc ſacramento Euchariſtiæ eam intervenire dixerunt perSpiritusSancti præſentiam. Quinimmo & pro ipſa divinitate vel divina ſubſtantia accipitur cum ſit virtus & potẽtia divinitatis. Certe & Angeli ipſi etiam δυνάμεις dicti ſunt, & ſpiritus. Sed & ἐνέργειαν Græci pro δυνάμει ſive divina ſubſtantia poſuerunt. Vnde Græci Patres ἐνεργουμένους inde dixerunt eos qui vexantur ab immundis ſpiritibus. Certe & ipſi Philoſophi Deos definierunt ἐνεργείας τῇ οὐσίᾳ, ſive αὐτοενεργείας ut docet Ammonius in librum περὶ ἑρμηνείας. Et propterea addit ibidem AgrigentinumSophum eos reprehendere qui de Diis loquerentur tanquam humana facie præditis, & Poëtarum fabulas carpit quæ ſic eos producunt, cum humani corporis lineamentis. Deum quippe nihil aliud

eſſe

eſſe niſi φρένα ἱερὴν quæ totum orbem permeat ac pervolat celeri cogitatione. Sic igitur de divina omni natura loquitur:

> Ἀλλὰ φρὴν ἱερὴ καὶ ἀθέσφατος ἔπλετο μοῦνον
> Φροντίσι κόσμον ἅπαντα καταΐσσουσα θοῇσι.

Διὰ τὸ ἱερὴ, inquit Ammonius, καὶ τὴν ὑπὲρ νοῦν αἰνιττόμενος αἰτίαν. *Per mentem ſanctam, cauſam quæ ſuper mentem eſt ſignificans.* Hæc φρὴν ἱερὴ, Spiritui Sancto reſpondet, quæ οὐσία vere divina, & δύναμις & ἐνέργεια. Spiritus eſt proprie ſubſtantia divina, δύναμις ejus virtus & potentia, ἐνέργεια efficientia vel operatio, gratia vel ſanctitas ejus effectus. Vnde & πνεῦμα τῆς ἁγιωσύνης dicitur Paulo quod ſanctificet, & πνεῦμα χάριτος quod gratiam donet ſalutarem. Inde & *gratia* pro ipſo ſpiritu gratiæ quæ ſacramento per ſpiritus divini virtutem & operationem additur. Nam & gratiam è cœlo in ſacramenta viſibilia ſupervenire quidam Patres dixerunt. Apud Nicetam lib. III. de geſtis Alexii Comneni, καὶ ἡ τῶν θείων μυστηρίων ἐνέργεια διὰ τῆς πρὸς θεὸν εὐχῆς καὶ ἐπικλήσεως καὶ ἐπελεύσεως τῆς ἐξ οὐρανοῦ χάριτος πληροῦται. *Et ſacrorum myſteriorum efficacia per precem ad Deum factam & invocationem, & superventum gratia è cœlo deſcedentis impletur.* Alii Spiritum Sanctum deſcendere dixerunt, alii Chriſtum ipſum, alii corpus Chriſti. Sic gratiam ſacramentis eſſe adjunctam, Chriſtum ipſum in his eſſe præſentem, corpus Chriſti ſpiritale, Spiritum Sanctum, divinitatem, ſubſtantiam

& eſſentiam, virtutem divinam, etiam λόγον, hoc eſt, Verbum divinum. Inde ſane λογικὴ θυσία dicitur eodem ſenſu quo λογικὴ τράπεζα Græcis Patribus quæ perperam Latini Patres qui ea legebant in Græcorum ſcriptis *rationabile ſacrificium*, vel *rationabilem hoſtiam*, reddiderunt, cum *divinum ſacrificium*, & *ſpiritale* vertere debuiſſent. Sic enim λογικὴ θυσία dicitur, ut πνευματικὴ θυσία paſſim apud Patres. Theodoretus λογικὴν τράπεζαν ita dixit, ut alii πνευματικὴν τράπεζαν. Quis autem ignorat λόγον abſolute in myſterio incarnationis idem eſſe quod πνεῦμα, ſive θείαν οὐσίαν; Vnde illa, λόγος σὰρξ ἐγένετο. Inde illa unitas carnis & ſpiritus, σαρκὸς καὶ λόγου. Ita nos λόγον ipſum manducare in hoc ſacramento ipſi Patres ſcripſere, ut ſupra oſtendimus, quia nimirum λόγος, ſive divinitas, ſive divina gratia & virtus adjuncta eſt huic ſacramento. Bertramus Presbyter de corpore & ſanguine Domini: *Verbum autem Dei qui eſt panis inviſibilis inviſibiliter in illo exiſtens ſacramento, inviſibili participatione fidelium mentem vivificando paſcit.* Alio loco vocat *ſpiritale Verbum: Vtrumque hoc incorporeo guſtu, nec corporali ſagina, ſed ſpiritalis Verbi virtute.* Ibidem: *Attamen Apoſtolus vel illud Manna, vel illam aquam, ſpiritalem eſcam, & ſpiritalem potum appellat. Cur hoc? quoniam inerat corporeis illis ſubſtantiis ſpiritalis Verbi poteſtas, quæ mentes potius quam corpora credentium paſceret atque potaret.* Alibi,

 poten-

potentioris virtutem ſubſtantiæ. Hoc eſt, δύναμιν θειοτέρας οὐσίας. Auctor libri de cœna *omnipotentiam Verbi.* In his ſacramentis nos *participes ſpiritus fieri,* & uſque *ad participationem ſpiritus* ei nos communicare dixere Latini Patres. Sic ſpiritus, Verbum ſive λόγος, divina ſubſtantia, divinitas, divina eſſentia idem ſunt. Gelaſius in *divinam ſubſtantiam* tranſire ſacramenta dixit cum tamen non deſinere eſſe naturam & ſubſtantiam panis ibidem ſcripſerit. Gennadium pro Gelaſio perperam nominavit Grotius, qui inde male etiam voluit Proteſtantium ſtabilire doctrinam, ex quo & Pontificii æque male ſuam confirmare contendunt. Fruſtra etiam idem Grotius confugit ad Platonicorum dogma ut nobis probaret res æternas & ſolo intellectu perceptibiles, *ſubſtantias* vocari, ut ex eo Tranſſubſtantiationis dogma adſtrueret. Non ſoli Platonici, ſed paſſim Chriſtiani Patres, rem & virtutem ſpiritalem, & ſpiritum θείαν οὐσίαν appellarunt. An à Platonicis id acceperint neſcio, ſed non aliter ſentire potuerunt. Nec tamen quod divina ſubſtantia eſt virtus illa quæ in ſacramentis eſt, id efficit, ut panis in eam ſubſtantiam tranſmutatus exiſtimari poſſit. Quod omnium ratione utentium ſenſus communis aſpernatur & reſpuit. Nam quod de myſterio incarnationis dictum eſt ab Orthodoxis Patribus hic etiam locum habet. Et Theodoretus notat in primo Dialogo

logo rećte ſenſiſſe Apollinarium, qui hoc argumento demonſtravit, λόγον, id eſt, divinitatem, non converſam eſſe in carnem, id eſt, in humanitatem, εἰ δέ τι προσλαμβάνει τις, οὐ τρέπεται εἰς τοῦτο, προσέλαβε δὲ σάρκα ὁ Χριστὸς, ἄρα οὐκ ἐτράπη εἰς σάρκα. *Si quid quis aſſumit in id non convertitur, aſſumpſit autem carnem Chriſtus, ergo non converſus eſt in carnem.* In hoc ſacramento Patres omnes conſentiunt gratiam ſpiritalem & divinam, quæ & ipſa divinitatis ſubſtantia eſt, adjunćtam eſſe pani κατὰ πρόσληψιν, non igitur panis in eam ſubſtantiam converſus dici aut videri poteſt. Cum vero dicunt tranſiſſe ſacramenta in ſubſtantiam divinam non de ea converſione proprie ſumpta, quæ & τροπὴ & ἀλλοίωσις Græce dicitur, intellexerunt, ſed de ea mutatione, quæ rem aliam facit quam erat, adjunćtione ejus rei quam non habebat. Sic Gelaſius ſacramenta ſcripſit in divinam tranſiſſe ſubſtantiam ſpiritu perficiente, cum tamen idem dicat ibidem diſertiſſimis verbis, non deſinere eſſe ſubſtantiam panis & vini, id eſt, ἀναλλοιώτου καὶ ἀτρέπτου μενούσης τῆς τοῦ ἄρτου καὶ οἴνου οὐσίας. Sic Theodoretus eam μεταβολὴν agnoſcit, quæ fit κατὰ προσθήκην τῆς χάριτος, cum etiam nihiloſecius pronuntiarit, τὰ σύμβολα μυστικὰ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν οὐ τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως, & μένει ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους. De eadem mutatione ſive converſione improprie ſumpta intelligendum quod ſcripſit Amalarius lib. III. de Eccleſiaſticis Officiis

cap. XXIV. *Hic credimus naturam ſimplicem panis & vini aqua mixti, verti in naturam rationabilem, ſcilicet corporis & ſanguinis Chriſti.* Vbi perperam vertit *rationabilem naturam* quæ λογικὴ φύσις in Græco auctore fuit, quem Latine reddere voluit. Λογικὴ illa φύσις ita ſpiritalis eſt Verbi natura, non rationalis, ut λογικὴ θύσια, divinum & ſpiritale eſt ſacrificium, & λογικὴ τράπεζα ſpiritalis Verbi, ſive divina menſa. Hunc errorem omnes fere commiſerunt antiqui Patres Latini, qui Græca Patrum ſcripta in Romanum ſermonem convertentes λογικὸν in iſtis, quod à λόγῳ verbo *Deo* derivatur, ab eo λόγῳ quæ eſt *ratio* deduxerunt. Sed id nulla ratione nititur. Notandum quod ait Amalarius ſimplicem naturam panis verti in naturam Verbi, non abſolute naturā panis hanc pati converſionem. Nihil ergo amplius dicere videtur voluiſſe quam quod eſt à veteribus dictum, ex ſimplice pane λιτοῦ καὶ ψιλοῦ ἄρτου, fieri ſacratum, & non eſſe amplius κοινὸν ἄρτον, panem communem. Si intellexiſſet abſolute converti panis naturam in naturam corporis Chriſti, ſane dixiſſet, dicere ſaltem debuiſſet, *Hic credimus naturam panis & vini mixti verti in naturam corporis Chriſti.* Præterea certum eſt Amalarium ex illis fuiſſe qui ſubſtantiam panis & vini poſt conſecrationem manere crediderunt. Nam in Epiſtola ad Guirardum non obſcure innuit ad ſeceſſum ire panem Euchariſtiæ qui ore ſumitur, quia dixit Domi-

Dominus, *omne quod intrat in os, in ventrem vadit & in ſeceſſum emittitur.* Vnus igitur fuit eorum quos poſtuma ætas poſt introductam de Tranſſubſtantiato pane in corpus Chriſti opinionem, *Stercoraniſtas* appellavit, & κοπρεισταὶς. Atqui plerique etiam antiquorum qui ſubſtantiam panis non mutari credidere, nihilo tamen minus in ſeceſſum non ejici perſuaſum habuere, de quibus infra. Tanto itaque magis qui cum ſtercore ejici panem myſticum exiſtimarunt, ſubſtantiam ejus ac naturam panis remanere opinati ſunt. Ipſe certe Amalarius libro III. capite XXVI. *Oblatam* & *calicem*, id eſt, panem conſecratum & vinum, ſigna eſſe corporis & ſanguinis ſcripſit. Quid enim aliud hæc ejus verba ſignificant? *Oblata & calix Dominicum corpus ſignant. Quando Chriſtus dixit, Hic eſt calix ſanguinis mei, ſuum ſanguinem ſignavit, qui ſanguis, ſicut vinum eſt intra calicem, ita erat intra corpus.* Verſio igitur illa quam ibi dicit non eſt proprie intelligenda, ut τροπὴν & ἀλλοίωσιν Græci Philoſophi appellant, ſed de eo genere mutationis debet accipi quam Græci Patres μεταβολὴν vocant, ut ſupra oſtendimus, qui μετασχηματισμὸς eſt potius, & μεταστοιχείωσις, ut etiam Græci Patres vocarunt, quam τροπή. Qui ex imberbi ætate tranſit ad virilem & barbatam, mutatur ſane dum imberbis fit barbatus, ſed non ſubſtantiam priſtinam cum alia nova commutat. Μετασχηματίζεται tantum, & μεταποιεῖται.

 Multo

Multo minus cum divina res adjungitur ad humanam, humana ſubſtantia convertitur in divinam. Fit tamen μετασχηματισμὸς & μεταποίησις, additione, ut dixi, non converſione. Hoc nonnulli dixerunt eſſe, *inconvertibiliter converti*, ἀτρέπτως τρέπεσθαι. De natura divina cum humana unita in incarnationis myſterio quidam hanc loquutionem uſurparunt. Alii vitarunt hanc expreſſionem quia nulla proprie τροπὴ facta eſt, tametſi naturæ humanæ magna mutatio interceſſerit in aſſumenda divina, qua homo Deus fieret ex homine nudo. Sed non ea τροπὴ proprie, nec ἀλλοίωσις. Et ὀξύμωρον plane eſt ἄτρεπτον eam τροπὴν dicere, ut fecit Eutyches. Ea quæ ante attulimus de veterum Patrum ſententia qui non mutata panis ſubſtantia ſcripſerunt in hoc ſacramento Spiritum Sanctum præſentem eſſe, Chriſtum ipſum, λόγον, divinitatem, divinam ſubſtantiam, divinam eſſentiam, eo pertinent ut conſtet antiquos Patres duas agnoviſſe ſubſtantias & naturas ſeparatas in Euchariſtia, unam panis, nempe terrenam, alteram corporis Chriſti, nempe cœleſtem: ſed corporis tamen ſpiritalis & ipſius ſpiritus, hoc eſt, ſolius divinæ eſſentiæ, non humanæ: ſolius Chriſti divinitatis qua ubique adeſt præſens, non humanitatis qua cum corpore ſuo vero localiter in cœlo eſt. Eodem plane recidit, ut ante oſtendimus, quod Irenæus & Auguſtinus aliique dixerunt de duabus rebus

quibus

quibus ſacrificium hoc conſtare & confici tradidere, alterâ terrena, altera divina. Huc facit & eadem diſtinctio Epiphanii, qui ἄρτον & δύναμιν in Euchariſtia ſimul eſſe diſtincte explicat. Panis terrena eſt ſubſtantia, δύναμις divina, quã & Spiritus Sancti, & Ieſus Chriſti, & corporis Chriſti ſpiritalis, & gratiæ, & divinitatis, θεότητος, divinæ eſſentiæ, divinæ ſubſtantiæ nominibus indigitarunt, ſicut jam pluribus pateſecimus. Sed hæc opinio Patrum de gemina ſubſtantia Euchariſtiæ plurimum diſſidet à Lutherana hodierna. Hi enim corpus Chriſti harum rerum unam duarum faciunt, alteram panem. Vtrique ſunt διουσιαςαὶ, ſed differunt in genere ſubſtantiæ unius. Patres ponunt hinc panẽ pro terrena & corruptibili, inde virtutem Spiritus Sancti, & per ejus præſentiam præſentem ipſam Chriſti divinitatem cõſtituunt. Lutherani ſimiliter panem pro altera ſubſtantia de duabus admittunt, eamque terrenam, ſed ex altera parte collocant ipſum verum corpus Chriſti diſtinctum propria hypoſtaſi à ſubſtantia panis. Ipſi autem Pontificii cum ſua Tranſſubſtantiatione, vel συνουσιαςαὶ ſunt, ut ante dicebam, quia de duabus unam factam agnoſcunt Chriſti corporis ſubſtantiam, vel potius μονουσιαςαὶ quia ſolam divinam agnoſcunt ſublata & abolita panis ſubſtantia, de qua quid ea factum ſit ubi ejus in locum ſucceſſit corporis & ſanguinis natura dicere neſciunt. Nunc videndum cum

duas certum ſit agnoſci à Patribus in hoc ſacramento ſubſtantias, terrenam panis, & cœleſtem Spiritus Sancti quo vinculo unitatis conjunctas eas teneri putaverint, & an liceat Lutheranis de Patrum ſententia confidere quaſi cum ſua faciente. Gratiam, ut dixi, adjunctam eſſe pani dixerunt. Ita enim Theodoretus Chriſtum dixit ſymbola panis & vini honoraſſe appellatione corporis & ſanguinis ſui, *οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τῇ φύσει τὴν χάριν προστεθεικώς. Non naturam mutando panis & vini, ſed naturæ gratiam adjiciendo*. Et probabile eſt hanc fuiſſe Eccleſiæ tum univerſæ conſtantem opinionem. Sed quomodo illa gratia divina quæ & divina ſubſtantia & eſſentia eſt, quæq; pani & vino infunditur virtute Spiritus Sancti, cum pane & vino cohærebat, aut qua copula junctæ invicem teneantur quis nos docebit? Ex anterioribus & poſterioribus Theodoreto Patribus, id omnino eſt colligendum. Inter antiquiſſimos unus occurrit Irenæus qui lib. IV. contra Hæreſes cap. XXXIV. ex duabus rebus, id eſt, ex duabus ſubſtantiis, Euchariſtiam conſtare ſcribit, terrena & cœleſti. Eam offerendo & ſumendo, congruenter *communicationem* nos ait, atque *unitatem carnis & ſpiritus prædicare*. Ergo videtur velle eodem modo in imagine & ſimilitudine conjunctas eſſe illas duas res ſive ſubſtantias ex quibus Euchariſtiam conſtare dixit, ut in principali myſterio in unitatem coaluerunt

runt

runt caro & ſpiritus. Clarius id explicavit inter vetuſtiores ex Latinis Cyprianus in libro de Reſurrectione Chriſti: *Unus eſt cibus, ſignificantia & ſignificata, res & ſigna. Virtus inviſibilis & viſibilia ſacramenta ſic faciunt unum corpus, ſicut caro & ſpiritus: Et quod videtur, & nomine & virtute Chriſti corpus cenſetur.* Nihil his apertius nec viſibilius. Rem & ſignum, virtutem inviſibilem & viſibile ſacramentum, id quod videtur & quod nomine & virtute Chriſti corpus cenſetur, unum corpus ita facere dicit, ſicut caro & ſpiritus in incarnationis myſterio. Longe recentior Cypriano auctor qui ſub Cypriani nomine de cœna legitur, hunc etiam unitatis modum clare expreſſit, quaſi idem ſit in ſacramento viſibili, & infuſa ei eſſentia divina, ut fuit in carne & ſpiritu quibus homo Deus Chriſtus unus factus eſt. *Panis*, inquit, *iſte quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie nec natura mutatus, omnipotentia Verbi factus eſt caro, & ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat divinitas, ita ſacramento viſibili ineffabiliter divina ſe infundit eſſentia.* Ταυτότης unitatis in prototypo myſterio, & exemplari per omnia ex iſtis ejus verbis convenit & conſonat. Panis ille quem tradidit Chriſtus diſcipulis omnipotentia Verbi factus eſt caro, ut Verbum ipſum virtute Spiritus Sancti factum eſt caro. In perſona Chriſti videbatur humanitas, latebat divinitas, ita in Euchariſtia ſacramentum viſibile eſt, id eſt, panis

nis, utpote non effigie nec natura mutatus, divina vero eſſentia, quæ ſe ei ineffabiliter infundit, non videtur. An potuit expreſſius ſignificare divinam eſſentiam in Euchariſtia ita cum pane unitam eſſe, ut unita fuit in perſona Chriſti divinitas ejus & humanitas? Gelaſii Papæ non minus aperta de hac eadem utriuſque myſterii unitate ſententia fuit, nec minus ſignificantibus verbis declarata hoc modo: *Satis ergo evidenter hoc nobis in ipſo Domino Chriſto ſentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus, & ſumimus, ut in hac ſcilicet, in divinam tranſeunt*, nempe ſacramenta, ut ex ſuperioribus repetendum, *ſpiritu perficiente ſubſtantiam, permanentia tamen in ſua proprietate natura., ſic illud ipſum myſterium principale cujus nobis efficientiam virtutemque veraciter repræſentant, ex quibus conſtat, proprie permanentibus unum Chriſtum, quia verum integrumque, permanere demonſtrant.* Contra Eutychetem diſputans qui duas naturas Chriſti humanam & divinam in unam conflabat & confundebat, nititur hoc argumento, ex ſimilitudine & imagine principalis illius myſterii ducto. Quod imago debeat eſſe ſimilis archetypo, quæ niſi ei per omnia reſpondeat non poteſt dici aut videri ejus imago, ex eo arguit duas eſſe in Chriſto diſtinctas naturas, ſub una hypoſtaſi conjunctas, & unum Chriſtum verum & integrum facientes, quia nimirum hoc ipſum deprehenditur in

imagine

imagine & ſimilitudine Chriſti, ut celebratur & ſumitur in Eccleſia à fidelibus. Ea eſt Euchariſtia, qua imago & ſimilitudo corporis Chriſti in actione myſteriorum celebratur. Cum igitur hac imagine tranſeant ſacramenta viſibilia panis & vini in divinam ſubſtantiam corporis & ſanguinis, propria natura & ſubſtantia earum ſpecierum permanente, in archetypo, ut diximus, myſterio, duas ſimul naturas, divinam & humanã inpermixtas permanentes unum facere Chriſtum, id eſt, unam ejus perſonam veram & integram neceſſe eſt. Nec audio noſtros hic dicentes de ſola relationis & σχέσεως unitate intelligi debere verba Gelaſii. Non enim ejus ratiocinatio procederet ad probandam duarum in Chriſto diſtinctarum naturarum unitatem in eadem hypoſtaſi ex ſimilitudine & magine qua myſterium illud principale repræſentatur, in qua ſymbola in natura ſua ac proprietate perdurantia, ſic tamen junguntur & uniuntur cum divinitate ſive divina gratia iis adnexa, ut unum corpus cum ea faciant. Ephraimius Patriarcha Antiochenus eam gratiam divinam à ſacramentis corporis & ſanguinis inſeparabilem manere dicit, οὐκ ἐξίσαται τῆς αἰσθητῆς ὐσίας καὶ τῆς νοητῆς ἀδιαίρετον μένει χάριτος. Et à ſenſibili eſſentia non recedit, & inſeparabile manet ab intelligibili gratia. Hæc unitas, qua gratia inſeparabilis eſt à ſubſtantia panis viſibilis, non poteſt eſſe nuda relatio vel σχέσις.

Vtitur

Vtitur autem idem Ephraimius eodem argumento quo Gelaſius ad demōſtrandam duarum in Chriſti perſona naturarum diſtinctionem. Ὥστε, inquit, ἕνα Χριστὸν ἐν ψηλαφητῇ καὶ ἀψηλαφήτῳ οὐσίᾳ, καὶ ἐν ὁρατῇ καὶ ἀοράτῳ γνωρίζεται, καὶ ἄλλοις εἰδέναι διδάσκαλος. Quare Chriſtus unus in palpabili & impalpabili ſubſtantia, ut & in viſibili atque invibiſili agnoſcitur. Deinde ſubjicit, εἰ γὰρ καὶ ἑνὸς προσώπου ἑκάτερον, ἀλλ' οὐδεὶς ἂν εἰπεῖν δύναται νοῦν ἔχων ὡς ἡ αὐτὴ φύσις ψηλαφητοῦ καὶ ἀψηλαφήτου, καὶ ὁρατοῦ καὶ ἀοράτου. *Si enim eſt unius perſonæ utrumque* (perperam Ieſuita interpres vertit, *ſi unius perſonæ alterum,*) *ſed nemo dicere auſit mentis ſuæ compos, quod eadem natura ſit in Chriſto palpabilis & impalpabilis, viſibilis & inviſibilis.* Tum continuo ſubjungit eodem plane modo corpus Chriſti quod à fidelibus ſumitur, à ſenſibili ſubſtantia, nempe panis, non recedere, & tamen inſeparabile eſſe à gratia intelligibili. Per corpus Chriſti, more loquendi vulgato Patrum, intelligit panem qui figura eſt corporis Chriſti. Non enim corpus Chriſti verum ita in ſacramento eſſe crediderunt, ut αἰσθητὴν οὐσίαν haberet, & nemo etiam hoc hodie credit. Ita & auctor libri de Cœna de hac inſeparablili unitate majeſtatis divinæ in hoc myſterio cum viſibili ſacramento panis, ſic ſcribit; *Sacramenta quidem quantum in ſe eſt, ſine propria eſſe virtute non poſſunt, nec ullo modo divina ſe abſentat majeſtas myſteriis.* Ita dixit Cyrillus Alexandrinus,

Neſtorium

Neſtorium diſſolvere myſterium Euchariſtiæ, quia cum negaret in myſterio incarnationis unitam eſſe carnem Verbo divino, ſed duas diſtinctas ὑποστάσεις in eo agnoſceret, idem quoque conſequi eſſet neceſſe de myſterio Euchariſtiæ in quo negare pariter deberet, duas naturas panis & divinæ gratiæ ei adnexæ ſic junctas cohærere, ut unum corpus facerent. Græci recentiores ut Damaſcenus, & alii æquales eam opinionem ſuam non aliunde videntur hauſiſſe quam ab antiquioribus Patribus, cum dixere eodem modo conjungi duas ſubſtantias ſacramenti in uno ſuppoſito diſtinctas, nempe humanam ſive terreſtrem panis, & divinam gratiæ ſpiritalis. Damaſcenus lib. IV. de fide Orthodoxa cap. XIV. ad hunc modum ſcribit, Οὕτω καὶ ὁ ἄρτος τῆς κοινωνίας οὐκ ἄρτος λιτός ἐστιν, ἀλλ' ἡνωμένος θεότητι, σῶμα δὲ ἡνωμένον θεότητι, οὐ μία φύσις ἐστὶ, ἀλλὰ μία μὲν τοῦ σώματος, τῆς δὲ ἡνωμένης αὐτῷ θεότητος ἑτέρα, ὥστε τὸ συναμφότερον, οὐ μία φύσις, ἀλλὰ δύο. Sic & panis communionis non ſimplex eſt panis, ſed divinitati unitus. Corpus autem unitum divinitati, non una eſt natura ſive ſubſtantia, *ſed una quidem corporis, unitæ vero ei divinitatis altera, ita ut utrumque non una ſit natura, ſed duæ.* Nomine θεότητος quæ unita eſt corpori ſive ſubſtantiæ panis, intelligit divinam ſubſtantiam, ut eam vocavit Gelaſius, vel *divinam eſſentiam*, ut auctor libri de Cœna appellat, quæ ſe infundit ſacramento viſibili. Nec alia eſt hæc divina eſſentia ſive θεότης, à gratia divina vel ſpiritali

tali

tali quam cum pane ipſo inſeparabilis eſſe unitatis dicit Ephraimius. Ipſe Damaſcenus eodem capite, Deum cum oleo Chriſmatis, & aqua baptiſmi conjunxiſſe ait gratiam Spiritus Sancti, ex rebus uſitatis & naturalibus quæ ſupra naturam ſunt operando. Eundem in modum quoniam mos eſt mortalibus panem edere, & vinum atque aquam bibere, conjunxiſſe illis ſuam divinitatem, & feciſſe eas ſpecies corpus ſuum & ſanguinem, ἵνα διὰ τῶν συνηθῶν καὶ κατὰ φύσιν, ἐν τοῖς ὑπὲρ φύσιν γενώμεθα, *Vt per conſueta & naturalia in iis ſimus quæ ſupra naturam ſunt*. De baptiſmo & Chriſmate χάριν πνεύματος proprie elementorum ſpeciebus, id eſt, aquæ & oleo conjunctam dixit, pani autem & vino θεότητα Chriſti. Sed auctores veteres eam gratiam ſpiritalem, quæ conjuncta eſt cum aqua baptiſmi, æque divinitatem & corpus etiam Chriſti appellarunt, & Spiritum Sanctum, & Chriſtum in ſacramento Euchariſtiæ, & rurſus vice verſa eam θεότητα quam cum pane & vino Damaſcenus conjunctam eſſe ſcribit, χάριτα τοῦ πνεύματος nominarunt, ut Epiphanius, Theodoretus, Ephraimius, alii, ſicut ſupra pluribus oſtenſum eſt. Vnitatem divinæ hujus ac ſpiritalis gratiæ cum igne comparat Damaſcenus qui cum carbone ardenti junctus eſt. Ἄνθραξ δὲ, inquit, ξύλον λιτὸν οὐκ ἐστιν, ἀλλ' ἡνωμένον πυρὶ, οὕτω καὶ ὁ ἄρτος τῆς κοινωνίας οὐκ ἄρτος λιτός ἐστιν, ἀλλ' ἡνωμένος θεότητι. *Carbo autem non ſimplex lignum*

gnum eſt, ſed unitum igni lignum, ſic & panis communionis non ſimplex panis eſt, ſed unitus divinitati panis. Hæc unitas, ſive unitio, ignis cum ligno ſive carbone ignito, ut non eſt relationis unitas nec χέσεως, ita ſecundum illos Doctores ac Patres antiquos, quos ſequuntur neoterici, cum panẽ velint eodem modo unitum eſſe divinitati, non agunt de unitate χέσεως vel relationis. Idem Damaſcenus alio loco ἕνωσιν duarum in Chriſto naturarum in eadem hypoſtaſi vel ſuppoſito vocem aſſimilat ei ἑνώσει qua ignis cum ligno ardenti unitus eſt. Hæc unio plane eſt ὑποστατικὴ quam æque videntur in myſterio Euchariſtiæ admiſiſſe etiam veteres Patres ut in myſterio incarnationis. Non igitur nova eſt hæc opinio, ut pleriſque video placere, ſed antiquiſſima, & vetuſtis Patribus credita traditaque. Ex maxime recentibus auctoribus Rupertus Abbas Tuitienſis, utpote qui ſæculo duodecimo vixerit, cum antiquis paria tradidit lib. II. de Divinis officiis, cap. IX. de materia hujus ſacramenti: *Eſſe tam in Pontifice quam in ſacrificio divinam ſubſtantiam, eſſe & terrenam. Terrenam in utroque eſſe, id quod corporaliter vel localiter videri poteſt: divinam in utroque verbum inviſibile eſſe, quod in principio creavit Deus apud Deum.* Duas hic licet videre ab eo conſtitui ſubſtantias tam in ſacramento Euchariſtiæ quam in incarnationis myſterio, & duas quidem ſolas, ut Irenæus, ut Auguſtinus, & alii. Panis & vinum

num in hoc myſterio terrena eſt ſubſtãtia, Verbum, ſive λόγος, cœleſtis. Idem in fine capitis: *Igitur his pariter ex rebus ſacrificium nobis conſtruit Pontifex ſummus, quibus totus homo vegetatur, id eſt, ex verbo Dei, in quo vivit homo, & ex terræ fructibus quibus ſolum vivit corpus, his duntaxat qui omnium primi ſunt. Panis enim eorum quæ ad eſum, vinum eorum quæ ad potum pertinent, primum eſt.* Verum panem & verum vinum, ut cernere eſt, agnoſcit in hoc ſacramento, quæ ſubſtantia eſt terrena, qua corpus ſolum vivit, cui ſolam divinam adjungit, Verbum inviſibile quo animæ paſcuntur. Solam igitur divinitatem ponit Chriſti quæ pani myſtico adhæret eodem modo quo divinitas in perſona ejus & vero corpore cum humanitate καθ' ὑπόστασιν juncta eſt. Cyprianus in libro de unctione Chriſmatis ſcribit, *diverſas ſpecies & nomina ad unam in hoc ſacramento reduci eſſentiam, & ſignificantia & ſignificata iiſdem vocabulis cenſeri.* Nempe diverſas ſubſtantias terrenam panis & vini, ac divinam Spiritus Sancti ad unam hypoſtaſin reduci intelligit. Et videtur eſſentiam hic pro hypoſtaſi poſuiſſe. Sed idem Rupertus, ſi idem eſt de quo valde dubito, magiſque iis puto aſſentiendum qui negant ejus eſſe libros illos de officiis divinis, is inquam Rupertus in Exodum non ſolum Chriſti divinitatem cum pane ſacramentali conjunctam eſſe vult, ſed etiam humanitatem, ut hæc verba ejus declarant;

Item

Item quomodo Verbum à ſummo emiſſum caro factum eſt, non mutatum in carnem, ſic panis & vinum, utrumque ab imo ſublevatum, fit corpus Chriſti & ſanguis, non mutatum in carnis ſaporem, ſive in ſanguinis horrorem, ſed aſſumendo inviſibiliter utriuſque, divinæ ſcilicet & humanæ, quæ in Chriſto eſt ſubſtantiæ, veritatem. Si panis in hoc myſterio aſſumpſit humanam ſimul & divinam Chriſti corporis ſubſtantiam non jam duæ ſunt in myſtico pane ſubſtantiæ, ſed tres, humana & divina Chriſti, item terrena panis. Nam panis ſubſtantiam manere videmus eum ſic ſatis aperte velle. An non igitur hæc inter ſe pugnant, totam humanitatem Chriſti & divinitatem una cum pane in eodem ſuppoſito collocare, & duas tantum ſubſtantias in eo pane ponere, terrenam unam ipſius panis, & alteram Chriſti corporis divinam, quod tamen ex utraque conſtat divina & humana, quas ambas pani uniri ὑποστατικῶς, hic Rupertus facit? Si utrumque poteſt ſubſiſtere nihil prohibet eundem videri qui in Exodum ſcripſit, & qui de Divinis Officiis libros compoſuit. Sic ſane & Damaſcenus duas tantum naturas in ſacramento corporis & ſanguinis admittit, panis unã, alteram divinitatis. Sed notandum ſolam eum θεότητα nominare quæ cum pane conjuncta ſit, non etiam ἀνθρωπότητα, ut iſte Rupertus facit in Exodum, & in Iohannem. Sed rurſus Damaſcenus qui ſolam θεότητα adjungit pani, eum

panem negat eſſe ἀντίτυπον aut τύπον corporis, ſicut priores Patres dicunt. Nam verum vult eſſe corpus Chriſti, & αὐτὸν τὸν ἄρτον καὶ τὸν οἶνον μεταποιεῖσθαι εἰς σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ. Cæterum quomodo hæc cohæreant nullus capio. Si panis verum eſt Chriſti corpus, non ſolum θεότητα ejus habet, ſed etiam ἀνθρωπότητα. Sic duæ erunt in pane myſtico diſtinctæ naturæ, ut in corpore Chriſti. pani ipſi quid fiet? Ea eſt ſubſtantia terrena quæ partem facit ſacramenti alteram, & quam iſti affirmant remanere etiam poſt conſecrationem. Hoc modo non duas, ſed tres in ſacramento ſubſtantias eſſe oportet, unam panis, duas alteras divinitatis & humanitatis Chriſti. Totidem ſane agnoſcit Rupertus Abbas in Exodum, ubi diſerte negat ſubſtantiam panis deſtructam aut corruptam eſſe operatione Spiritus Sancti. Ea operatione dicit, panem corpus, vinum fieri ſanguinem Chriſti. *Sed iſtud*, inquit, *non capit humana ſapientia. Totum attribuetis operationi Spiritus Sancti, cujus effectus non eſt deſtruere vel corrumpere ſubſtantiam quamcunque ſuos in uſus aſſumit, ſed ſubſtantiæ bono permanenti quod erat, adjicere quod non erat.* Huc uſque illi convenit cum antiquis Patribus: Etiam exemplum & ſimilitudo quam affert ex incarnationis myſterio, in quo natura humana non eſt deſtructa à ſpiritu incarnante, ſed ſine mutatione aſſumpta à Verbo divino, plane facit cum veterum ſententia qui eam ſimiliter attulerunt:

lerunt: *Sicut naturam humanam non deſtruxit, cum illam operatione ſua ex utero virginis Deus Verbo in unitatem perſonæ conjunxit, ſic ſubſtantiam panis & vini ſecundum exteriorem ſpeciem quinque ſenſibus ſubjectam, non mutat aut deſtruit, cum eidem Verbo in unitatem corporis ejuſdem quod in cruce pependit, & ſanguinis ejuſdem quem de latere ſuo fudit, iſta conjungit.* Neque hæc multum abeunt à veterum opinione, quæ panis & vini ſubſtantiis non mutatis, nec deſtructis, verbum jungi vult in unitatem unius corporis. Sic enim & Cyprianus loco quem ſupra protulimus ex libro de reſurrectione Chriſti, ſcripſit, *ſignificantia & ſignificata, res & ſigna, virtutem inviſibilem & viſibilia ſacramenta ſic facere unum corpus, ſicut caro & ſpiritus*, in myſterio nempe incarnationis. Sed illud quod addit Rupertus de pane & vino, quæ non mutando in carnis ſaporem neque in ſanguinis horrorem fiunt corpus & ſanguis Chriſti, *ſed aſſumendo inviſibiliter utriuſque, divinæ ſcilicet & humanæ, quæ in Chriſto eſt immortalis ſubſtantiæ veritatem*, prorſus à priſcorum ſenſu ac mente recedit. Non enim illi id quod adjungitur ad ſubſtantiam panis & vini non mutatam, per Spiritus Sancti virtutem, humanitatem ſimul eſſe & divinitatem Chriſti dixerunt, ſed ſolam divinitatem, vel ut etiam Damaſcenus vocat, θεότητα. Non alio modo enim divinitatis præſentiam in hoc ſacramento eſſe docuerunt, quam in baptiſmo, vel in

Chriſmate. Vnde & eã gratiam quæ adjiceretur panis naturæ & vini æque dixerunt, ut illam quæ aquę baptiſmi, ſpiritalem. Vlterius alii progreſſi ſunt, & ipſum Spiritum Sanctum adeſſe præſentem in utroque ſacramento, qui gratiam illam conferret, affirmarunt. Hunc & ſpiritum Chriſti, & divinitatem etiam Chriſti eſſe dixerunt, ſed nunquam humanitatem Chriſti, ut ex locis quos attulimus, poteſt liquere. Ex illa vero divinitatis adjunctione ad ſubſtantiam panis per conſequentiam quandam nonnulli corpus etiam Chriſti fieri de pane, & ſanguinem de vino crediderunt, quia cum divinitas illa Chriſti cœlum impleat ac terras, ita etiam panem myſticum ſacramenti replere, & corpus ſic factum Chriſti idem facere cum eo corpore quod in cœlo eſt. Eandem quippe divinitatem quæ Chriſti corpori in cœlo unita eſt, adeſſe & pani qui corpus ejus eſt in altari, ſed ſine mutatione & deſtructione ſubſtantiæ panis, ſicut & natura Chriſti humana non deſtructa nec mutata unita eſt divinitati ejus. Sic ex omnibus corporibus Chriſti quæ ubique terrarum ſanctificantur à ſacerdotibus eadem illa divinitate impleta qua corpus ejus impletur in cœlo, unum & ſolum fieri corpus Chriſti. Hæc eadem opinio fuit Haimonis Alberſtadienſis, Remigii Rhemenſis, VValrami & aliorum quorundam. Iſtos omnes certum eſt nō admiſiſſe Tranſſubſtantiationem, cum velint panis ſubſtantiam integram

tegram manere. Sed cum vixerint ea ætate qua jam illud dogma de Tranſſubſtantiato pane & vino in corpus & ſanguinem Chriſti vigeret in multis Europæ partibus, & paſſim in ſcriptis Patrum antiquorum legerent ſubſtantiam panis & vini remanere etiam poſt conſecrationem, quaſi honorarii arbitri medium ſecare voluerunt. Ex antiquorum mente retinuerunt ſubſtantiam panis & vini in ſacramēto manentem, quam removerunt novitii Tranſſubſtantiatores. Sed non minus quam iſti corpus verum Chriſti in eodem ſacramento agnoverunt cum tota ſua divinitate & humanitate. Nihil enim inter horum & Tranſſubſtantiatorum ſententiam fere intereſt, niſi quod illi removent ſubſtātiam viſibilium ſpecierum, quam iſti conſervant. Quippe ubi deſinit eſſe ſubſtantia panis, ibi incipere volunt eſſe ſubſtantiam corporis Chriſti cum ſua humanitate & anima, quæ eſt pars corporis. In tale autem corpus converti ſubſtantiam panis, non in ipſam Deitatem, quæ tamen ut ipſa nunquam abſtitit à corpore ſuo, ita & nunc in hoc corpore poſtquam factum eſt ex pane, præſentem eam ſiſti. At illi quos medium diximus tenuiſſe inter iſtos novatores & antiquos Patres, cum in pleriſque inveniſſent ita pani myſtico adjunctam & unitam eſſe divinitatem Chriſti, ut ab eo non ſepararetur, manente tamen ſubſtantia panis, ſicut divina natura juncta eſt humanæ ſine humani-

Bb 3 tatis

tatis deſtructione, hanc viam iniverunt ut ab antiquis non in totum diſcederent, nec à novitiis ſe longius traherent. Ab antiquis hauſerunt, non mutari panis & vini ſubſtantiam, ſed ad eam adjici per virtutem SpiritusSancti, id quod non haberet, nempe divinitatem Chriſti, ſive θεότητα. Ea aſſumpta ſic quaſi corpus verum effici, & unum exiſtere cum eo quod eſt in cœlo. Ita humanitatem ſimul & divinitatem in pane ſimul ineſſe, ſicut ineſſet in Chriſti perſona, non eo modo quo placet Lutheranis, ſed eo qui plurimis veterum Patrum videtur arriſiſſe, per unitatem perſonæ ſive ὑποστάσεως, ita ut duæ naturæ ſic in corpore myſtico unirentur hypoſtatice, ut in Chriſti corpore conjunctæ fuerant in perſonæ unitatem. Hæc eſt quam quidam vocarunt *impanationem*, ut incarnationem. ἐνάρτωσιν Græce liceat ſic dixiſſe, ut ἐνσάρκωσιν. Rupertus Abbas hoc nomine abſtinuit, ſed rem ipſam clare explicavit. Is in Iohannem cap. VI. ita ſcripſit, *Sicut Verbum caro factum eſt non mutatum in carnem, ſed aſſumendo carnem, ſic idipſum Verbum jamdudum carnem factum, panem viſibilem fieri non mutatum in panem, ſed aſſumendo, & in unitatem perſonæ transferendo panem.* Mira ſane opinio, & à veterum ſententia multum abhorrens. Verbum caro factum eſt, non mutatum in carnem, ſed aſſumendo eam. Hoc idem Verbum in ſacramento fit panis viſibilis, non mutatum in panem

nem, ſed eum aſſumendo, & in unitatem ſuæ perſonæ transferendo. Quis veterum Patrum ita ſenſit, aut ita loquutus eſt? Dicunt ſimpliciter ad panis & vini ſubſtantiam adjici virtute Sancti Spiritus, ſpiritalem gratiam. Fac eam eſſe meram divinitatem, ita panis aſſumpſerit divinitatem, quia aſſumpſit ſanctificationem, ut Clemens dixit de aqua Baptiſmi προσλαμβάνειν eam ἁγιασμὸν, vel quod idem eſt, χώρειν πνευματικὴν. Alio loco in Exodum idem Rupertus, non Verbum dixit aſſumere panem in hoc myſterio, ſed panem aſſumere Verbum. *Item*, inquit, *quomodo Verbum à ſummo demiſſum caro factum eſt, non mutatum in carnem, ſed aſſumendo carnem, ſic panis & vinum utrumque ab imo ſublevatum fit corpus & ſanguis Chriſti, non mutatum in carnis ſaporem, ſive in ſanguinis horrorem, ſed aſſumendo inviſibiliter utriuſque, divinæ ſcilicet & humanæ, quæ in Chriſto eſt, immortalis ſubſtantiæ, veritatem*. Nihil habet hæc ſententia ſimile cum ſenſu veterum. Nam panem & vinum accipere tantum ſpiritalem & divinam virtutem tradiderunt. Dic etiam, ſi vis, ut dixit Gelaſius, *divinam ſubſtantiam*, ſed de humanitate Chriſti nihil addiderunt. An idem eſt ſi dicatur panis Verbum cum utraque ſua ſubſtantia divina & humana aſſumere, & Verbum ipſum aſſumere panem? Vtrum dicatur parum refert, cum utrumque ſit abſurdiſſimum, & neutra loquutione ſententiam ſuam expreſſerint Patres,

 qui

qui ſimpliciter dixere Chriſtum cum ſacramentum corporis & ſanguinis ſui inſtitueret, & panem tradens diceret, *Hoc eſt corpus meum*, non mutaſſe panis & vini ſubſtantiam ac naturam; ſed naturæ adjeciſſe gratiam. Pone divinitatem ipſam eſſe illam Gratiam, & Spiritum Dei qui eam confert ibi eſſe dum ea confertur præſentem in ſubſtantia ſua divina, ne ſic quidem dici queat, panem aſſumere divinam ſubſtantiam. Rectius auctor libri de Cœna divinam eſſentiam ineffabiliter *ſe infundere* ſacramento viſibili ſcribit. Græci ἐπιφοίτησιν τοῦ ἁγίου πνεύματος, & ἐπέλευσιν, *Superventum, deſcenſum, adventum*, & *illapſum ſpiritus divini* Latini Patres. Sed ut melius concineret myſterium Euchariſtiæ cum myſterio incarnationis, videtur alibi idem Rupertus maluiſſe dicere quod Verbum aſſumeret panem, ut idem Verbum aſſumpſiſſe dicitur carnem. Nam panem eſſe in ſacramēto, ut caro eſt in myſterio incarnationis. Vt verbum aſſumpſit in iſto carnem, ita in illo panem aſſumit, & transfert in perſonæ ſuæ unitatem. Hæc eſt ergo ἄρτωσις, ut illa eſt σάρκωσις. Sed nemo veterum ſic loquutus invenitur, quod panem aſſumat Verbum in Euchariſtiæ ſacramento. Sed eſto, panem aſſumit Verbum in propria panis ſubſtantia, non mutata ea nec deſtructa. Sic tres exiſtent in hoc ſacramento, ut diximus, ſubſtantiæ, una panis, cum Verbi duabus naturis ſive ſubſtantiis, divina

vina & humana. Immo integrum ſacramentum ſex habiturum eſt ſubſtantias. Alia quippe panis eſt, alia vini ſubſtantia, cum etiam duo ſacramenta ex iſtis duobus ſymbolis fecerint quidam antiquorum Patrum. Si duo ſacramenta ſunt & duo ſymbola, duas etiam diverſas eſſe ſubſtantias neceſſe eſt, ut duæ diverſæ res ſunt quarum panis & vinum ſeparata ſigna ſunt. Panis quippe ſymbolum eſt corporis Chriſti in cruce fracti & mortui, vinum ſymbolum eſt ſanguinis ex latere ejus fuſi. Sanguis ita ſeparatus à corpore diverſam ab eo ſubſtantiam efficit. Sic quattuor erunt ad minimum ſubſtantiæ in Euchariſtia, una panis, ſecunda vini, cum duabus corporis & ſanguinis. His adde & quintam Chriſti ipſius divinitatem, quia, ut ait auctor libri de cœna, *nullo modo ſe divina abſentat majeſtas myſteriis.* Sed & cum ſeorſim panis tradatur & ſeorſim calix, ut etiam ſeparatim tradita & tradenda inſtituta à Domino fuere, unum inter cœnam, alterum poſt cœnam, an dividua in ſe divinitas cum parte ſui ſe præſentem ſiſtet in calice, & pro altera parte præſentiam ſuam commodabit pani? Non alia eſt certe divinitas quæ & ſe præſentem in baptiſmo exhibet cum effectu gratiæ ſalutaris. An aliter ea agit in ſancto lavacro quam in ſancta cœna? Nequaquam. Non aſſumit in baptiſmo aquam divinitas, ut eam in unitatem ſuæ perſonæ transferat. Ergo nec in Euchari-

ſtia hoc facit. Sacramenta utraque eadem definitione tenentur apud veteres, dum ſignacula deſcribuntur rerum divinarum viſibilia, ſed res ipſas inviſibiles in iis donari. Vel, ut apud Iſidorum legitur, ex antiquiore auctore, *Sacramenta dici quia ſub tegumento corporalium rerum virtus divina ſecretius ſalutem operatur*. Quod tam de baptiſmo quam de Euchariſtia dicitur. Non poſſet autem eadem definitio utrique competere, ſi tam differentis eſſent rationis ac generis, ut in Euchariſtia totum corpus verum Chriſti cum duabus ſuis ſubſtantiis divina & humana exhiberetur, diſtinctis in eodem ſuppoſito, ut fuere in perſona Chriſti κατ' ὑπόστασιν unitæ. Non enim quod ponunt verum eſſe poteſt, myſterii principalis, quæ eſt incarnatio, ſimilitudinem & imaginem celebrari in Euchariſtia, quæ propterea eodem modo diſtinctas habere Chriſti naturas, ſed in eadem hypoſtaſi conjunctas, deberet. Nec enim incarnationis & nativitatis proprie Chriſti, ſed paſſionis & mortis ejus hæc ſimilitudo eſt, per ſymbola fracti panis & effuſi vini corpus fractum & ſanguinem effuſum in cruce figurans, ſicut jam toties dictum eſt. Ejuſdem paſſionis & ſanguinis pro nobis fuſi aqua etiam baptiſmi habetur ἀντίτυπον, quæ non idcirco tamen in ſanguinem mutatur, nec cum ſanguine unitate hypoſtatica conjungitur. Tametſi autem in Euchariſtiæ myſterio celebraretur ſimilitudo & imago myſterii

myſterii incarnationis, non tamen inde ſequeretur, ut in principali myſterio divinitas & humanitas, caro & ſpiritus, καθ' ὑπόστασιν unita ſunt, hoc idẽ reipſa & in veritate fieri neceſſe eſſe in imagine rei quod in re ipſa factũ eſſet. Dixit ex antiquiſſimis Irenæus, *nos offerre* in Euchariſtiæ ſacramẽtis, *Deo quæ ſunt ejus, congruenter communicationem & unitatem prædicantes carnis & ſpiritus.* Qui prædicant eam communionem & unitatem carnis & ſpiritus, quæ in incarnationis facta eſt myſterio, ipſi quidem per fidem carni Chriſti communicant, & ſpiritum ejus vivificum in ea accipiunt, ſed non propterea conſequitur, pani myſtico quam è terra eſſe ibidem dicit Irenæus, cœleſtem Euchariſtiæ partem, id eſt, Spiritum Chriſti & virtutem ita inſeparabiliter adhærere, ut una ex duabus fiat hypoſtaſis, ſicut in perſona Chriſti, carnis & Verbi fuit. Certum eſt quidem pleroſque veterum exemplum unitatis carnis & ſpiritus ex incarnatione mutuatos eſſe, ut rei terreſtris & cœleſtis unitatem quæ in myſterio Euchariſtiæ intercedit, commendarent. Sed non illi intellexerunt ut ea unitas in principali myſterio hypoſtatica eſt, ita in iſto quod alterius ſimilitudinem eſſe docent, per omnia parem eſſe. Nunquam ſane καθ' ὑπόστασιν eam fieri perhibuerunt, nec eo verbo uſi ſunt in tali unione declaranda. Non talem intelligi voluiſſe vel illud argumento eſt, quod in tam arcta & inſeparabili unitate

quam

quam ſimilem videri voluerunt hypoſtaticæ unitati Verbi & carnis, tenuerunt tamen ab improbis & immundis ſolum panem percipi, non etiam gratiam conſequi quæ pani juncta eſſet. Auctor libri de cœna poſtquam ſcripſiſſet, *divinam majeſtatem non ſe abſentare myſteriis*, ſtatim intulit, *ſed quamvis ab indignis ſe ſumi vel contingi ſacramenta permittant, non poſſunt tamen ſpiritus eſſe participes quorum infidelitas vel indignitas tantæ ſanctitudini contradicit.* Ex duabus igitur rebus quibus conſtat Euchariſtia, ſolam terrenam, id eſt, panem accipiunt infideles & indigni, non cœleſtem quæ ſpiritalis eſt gratia, nec Spiritus Sancti participes fiunt. At ſi hypoſtatice Spiritus junctus eſſet cum pane, res cœleſtis cum terrena, nunquam invicem divellerentur, & unam ſumens alteram quoque neceſſario acciperet. *Sacramenta* autem hic appellavit more veterum Patrum Latinorum, ipſas res viſibiles & terrenas, ut Auguſtinus, qui ſacramentum diſtinxit à re & virtute ſacramenti, & ſacramentum quidem malos accipere dixit, non autem virtutem ſacramenti. Sed quod magis mirum eſt, ne illi quidem qui impanationem crediderunt, talem in ea unitatem panis & virtutis divinæ eſſe arbitrati ſunt qualis fuiſſet in incarnatione. Nam & ipſe Rupertus in libro II. de divinis officiis cap. IX. dixit, *in illum in quo fides non eſt, præter viſibiles ſpecies panis & vini nihil de ſacrificio pervenire.*

Sed

Sed valde, ut jam dixi, dubito, an ille tractatus ejuſdem ſitRuperti qui inExodum & in Iohannem commentarios ſcripſit, ubi etiam docuit, Verbum divinum aſſumere panẽ,& eum transferre in unitatẽ perſonæ ſuæ. Si ejuſdem ſunt hominis illa omnia opera, apparet inde quantopere incertus ac dubius fluctuarit inter veterum opinionem quam ex eorum ſcriptis hauſerat, & ſuorum temporum dogma. Quas duas diverſas ſententias ut conciliaret, in hanc deſcendit mediam & novam quæ veritatem realem præſentiæ non minus adſtrueret, quam nova opinio de Tranſſubſtantiatione, & quæ ſubſtantiam panis non deſtrueret, ſicut veteres eam non deſtrui nec mutari voluerunt. Et ſane ab illa priſcorum ſententia aſſerentium in Euchariſtia unitatem ſimilem dari panis & divinitatis, ei unitati qua Verbum divinum carni Chriſti unitum eſt, facilis deſcenſus fuit in iſtam novam quam ἐνάρτωσιν vel ἄρτωσιν dixere, ut σάρκωσιν. Hujus auctores exiſtimarunt propter panem à Verbo adſumptum ὑποστατικῶς, poſſe prædicari quod panis ſitChriſtus & corpus Chriſti, remanente tamen natura & ſubſtantia panis, ut in σαρκώσει permanſit natura carnis non confuſa cum divinitate nec in eam converſa. Quæ opinio, ut multis modis falſa & ridicula, à Pontificiis ipſis pridem exploſa fuit, cum tamen longe falſitatis & abſurditatis majoris vitio laboret eorum Tranſſubſtantiatio. Vtrique quidem

hoc

hoc commune eſt propoſitum, ut veritatē præſentiæ corporis Chriſti in Euchariſtia affingat, ſed in tranſſubſtantiatione ea novitas præterea notatur quæ non eſt in impanatione, quæ ſubſtantiam viſibilium ſpecierum ſacramenti cum antiquitate retinet, ab iſta abjectam. Eam opinionem damnant hoc nomine præcipue Pontificii Doctores, quod nullo modo veriſimile ſit toties Verbum divinum aſſumere ſubſtantiam panis hypoſtaticè, & iterum deferere, quoties conficitur Euchariſtia, & illæ externæ ſpecies corrumpuntur. An magis probabile eſt & veriſimile in Tranſſubſtantiatione ita panis ſubſtantiam aboleri ut remaneant accidentia ſine ſubjecto, & ſubſtantiam corporis Chriſti ſuccedere ſub panis accidentibus? An magis veriſimile eſt toties corpus Chriſti de cœlo deſcendere ubi localiter continetur, & iterum in cœlum revolare, quoties Euchariſtia conficitur, & illæ externæ ſpecies corrumpuntur? Omitto rationes alias quibus vulgo impugnarunt Doctores Pontificii illam impanationem, quæ tamen non tot habet difficultates, nec tantas abſurditates, quot & quantas doctrina de Tranſſubſtantiatione, quæ præterea miracula, ſive monſtra potius, ſine neceſſitate multiplicat, qualia non fiunt in illa impanatione. Cujus etiam hoc maxime cum tota antiquitate conforme & conſonum quod ſubſtantiam panis & vini conſervet, quarum abolitio

aut

aut adnihilatio portentoſa eſt in Tranſſubſtantiatione. Si tota panis ſubſtantia manet, ut veriſſime manere tota antiquitas Patrum conteſtatur, reliqua una eſt difficulas, inquiunt quidam Doctores Scholaſtici non incelebres, quomodo ea conjungatur cum corpore Domini. Conjungi vero cum eo poſſe ajunt, vel unitate hypoſtatica, vel alia ſimplici qui ſacramentalis poſſit appellari. Sed de iſta ſacramentali unitate ſomnium eſt. Deberet eſſe propria hujus ſacramenti, aut communis etiam cum Baptiſmo. Si communis etiam baptiſmi eſt, recte diceretur ſacramentalis. Si propria eſt Euchariſtiæ, cur dicatur ſacramentalis, non video, cum unius ſit Euchariſtiæ, non aliorum etiam ſacramentorum. Præterea cum ſacramenta ſignacula ſint viſibilia rei divinæ & inviſibilis, ſigni & rei ſignificatæ, non alia poteſt dari unitas quam relativa & σχετικὴ qualis eſt inter ſignum & rem cujus eſt ſignum. Si ſacramentalis vocata eſt talis unio, quod etiam poſſe concedo, non alia eſt, ut jam dixi, baptiſmi quam Euchariſtiæ ratio, cum utrumq; ſit ſacramentum, eademque definitione contineantur. Panis igitur in Euchariſtia cum ſit ſignum corporis Chriſti, ut aqua in baptiſmo ſignum eſt ſanguinis Chriſti, quæ inter aquam & ſanguinem conjunctio eſt, eadem & ejuſdem plane modi datur inter panem, & corpus Chriſti. Hæc unitas eſt relationis quam & ſacramẽtalem liceat dixiſſe, quia com-

petit

petit ſacramentis quatenus ſigna ſunt viſibilia rei divinæ & inviſibilis. Sed quid veteribus illis reſpondebimus qui in hoc ſacramento divinitatem præſentem agnoverunt, ſive divinam ſubſtantiam & eſſentiam? Hi ſunt ſane qui talem admittunt hujus divinæ ſubſtantiæ cum terrena panis conjunctionem, qualis extitit in myſterio incarnationis, inter verbum & carnem. Panis certe in Euchariſtia ſignum eſt corporis Chriſti, ſed mortui & exanguis: calix ſimiliter ſignum eſt ſanguinis, ſed effuſi ex latere Chriſti in cruce, & à corpore ſuo ſeparati. Inter hæc ſignificantia & ſignificata ſane non major & conjunctior poteſt videri unitas quam qualis eſt σχέσεως inter ea quæ ſunt πρός τι. Sed inter divinitatem ſive divinam ſubſtantiam quam & præſentem cum panis ſubſtantia in hoc ſacramento ponunt Patres, & panem, non talis datur unitas, præcipue cum eam comparent cum unitate hypoſtatica Verbi & carnis in myſterio οἰκονομίας. Nam in Euchariſtia panis non eſt ſignum divinitatis ſive divinæ ſubſtantiæ, ſed ſolius veri corporis quod in cruce fractum fuit, nec vinum ſymbolum eſt Divinitatis Chriſti, ſed ſanguinis ejus effuſi & extra corpus exanime poſiti. Qualis igitur conjunctio illa divinitatis in hoc ſacramento vel præſentiæ divinæ cum pane & vino? Non poteſt eſſe ſacramentalis. Nam ea eſt ſignorum ſive ſacramentorum cum rebus ſigni-

ſignificatis, id eſt, cum corpore exanimi & ſanguine extra vaſa ſua ejecti. In his duobus ſymbolis commemoratio à Domino inſtituta eſt corporis & ſanguinis ſui, id eſt, paſſionis & mortis quæ ab omnibus Eccleſiæ ſuæ fidelibus ad conſummationem ſæculorum celebraretur. Si divinam gratiam Patres huic ſolo ſacramento præſentem adjunxiſſent, quam & divinam ſubſtantiam & eſſentiam, & divinitatem nuncuparunt, magis fortaſſe poſſet ambigi quomodo talis divinitas cum ſacramentis viſibilibus conjungeretur, & qua unitate invicem junctæ tenerentur ſpecies viſibiles & terrenæ cũ iſta divina eſſentia. Sed cum lotioni baptiſmatis, & unctioni Chriſmatis, vetuſtiſſimi quique eorum eandem præſentiam Spiritus Sancti attribuant & accommodent, non eſt quærenda ratio, quæ peculiariter doceat modum ejus conjunctionis cum pane & vino in Euchariſtia, cum aqua in baptiſmo, & cum oleo in Chriſmate. Non eſt etiam ulla ratio quæ ſuadeat plus divinitatis & ſpiritalis ſalutariſque gratiæ in Euchariſtia adeſſe aut ineſſe, quam in baptiſmate. Hoc non minus quam illud ſacramentum eſt ac dicitur. Si exigatur in utroque gratia ſpiritalis & ſalutaris, iiſdem nominibus, non ea minus abundat in baptiſmo quam in Euchariſtia. Si teſtimonia Patrum de utroque requirantur, non aliis nominibus, ſed plane iiſdem utrunque ſacramentum indigetant. Nam

ab illa vivifica & ſalutari quæ utriq; ſacramento per virtutem & operationem Spiritus Sancti acceſſit facultate, *Gratiam* utrumque ſacramentum appellant, *vitam*, *ſalutem*, *donum ſpiritale*, *communionem Chriſti*. Spiritum in utroque Sanctum deſcendere, & præſentem ſe ſiſtere ajunt, divinitatem utrique intereſſe, & ſimilia, de quibus jam ſuperius actum eſt. Quinimmo vim illius divinitatis potentiorem, efficaciorem & præſentiorem in Baptiſmo adeſſe licet credere, quia non iteratur, cum quotidie apud ſæculum prius Eccleſiæ communicatio Euchariſtiæ frequentaretur. Quæ ſemel facta putantur ſufficere, majorem videntur impreſſionem in animo facere, & magis penetrare, & vim ſuam diutius conſervare, quam quæ quotidie repetenda ſunt ut proſint. Hoc ipſo hæc dilutiorem virtutem habere judicantur, & minoris efficaciæ nec tam diuturnæ, & citius delendæ. Ideo Baptiſmum Pontificii ex iis ſacramētis eſſe volunt quæ characterem imprimunt non delebilem. Si Euchariſtia corpus Chriſti verum nobis exhibet cum utraque ſua ſubſtantia divina & humana, ſi cum corpore noſtro unum fit, cur eum characterem non imprimit, interius præſertim receptum, & totum ut volunt, in noſtram ſubſtantiam converſum, &, ut barbare loquar, nobis incorporatum? Semel ita ſumpſiſſe abunde ſufficeret ut æternus ab eo character impreſſus maneret. An opus eſt
aliquot

aliquot millia corporũ Chriſti accipere in tota quam longa eſt fidelis vita, ut ad ſalutem ſuam ea illi proficiant, non alìas juvatura ſi pauciora acceperit? Ergo quo quiſque longius produxiſſet vitam, eo etiam certior erat futurus ſalutis ſuæ ex plurium corporum participatione. Longævus aliquis, quotidie communicans, ut olim moris fuit, ad plura millia poterat pervenire. Hæc repetitio ſacramenti toties iterandi vim prodit ejus minus effectivam, quæ non valeat niſi ſubinde renovata. Nonnulli Patrum & præcipue Græcorum crediderunt quaſi ſemen & fomitem immortalitatis in noſtris mortalibus corporibus abſcondi ex vivifica carne Chriſti, quam in ſacramento participamus ad abolendum quidquid in nobis eſt corruptivi. Ad illud ſemen immortalitatis inſerendum corporibus noſtris atque inſinuandum, ſi non ſatis eſt unius corporis Chriſti perceptio, non video quantus numerus ad hoc requiri debeat, ut ſufficere poſſit. Si ſemel tinctus gratiam inde ſalutarem baptiſmi conſequitur, cur non ſemel cibatus corpore vero & vivifico Chriſti ſemelque intus irrigatus potu ejus ſanguinis, non eandem adipiſcitur ſpiritalem virtutem? An ſic major eſt efficacia & vis baptiſmi, minor Euchariſtiæ? Non ſane ita poſſet cenſeri ſi verum corpus Chriſti in hoc ſacramento comederetur, ſi verus ejus ſanguis biberetur. Si cum corpore ejus denique tota di-

vina ejus atque humana eſſentia corpore noſtro reciperetur, & cum eo uniretur eo modo, quo cibus vulgaris convertitur in corpus noſtrum. Ex eo igitur quod renovanda eſt ſæpius ejus participatio clarum eſt non ipſum corpus Chriſti percipi, ſed ſignum ejus tantum ac ſymbolum, quo ſic memoriam mortis & paſſionis Chriſti celebramus. *Quotieſcunque,* inquit Paulus, *manducaveritis panem hunc, & calicem biberitis mortem ejus annuntiabitis donec veniat.* Ergo quo ſæpius eum panem manducaverimus & calicem biberimus, eo nobis etiam frequentior recurret tanti beneficii memoria quod in ejus morte accepimus. Sæpiſſime itaque iteranda ea commemoratio quæ memores nos facit meritorum Chriſti, quibus nos paſſione ſua devinxit. Si peregre profecturus aliquis & amicus nobis, & optime de rebus noſtris meritus, pignus aliquod nobis relinquat, & ſui amoris monumentum, ſæpius illud ſolemus manibus contrectare & oculis uſurpare, ut in memoriam revocemur perſonæ amatæ & de nobis bene meritæ. An aliter debemus his pignoribus, quæ ipſe nobis ſui erga nos ſummi affectus monumenta reliquit Chriſtus, uti, niſi ut quam ſæpiſſime ea frequentemus & recolamus? Hieronymus in Epiſtolam ad Corinthios I. cap. IX. *Etenim paſſurus ultimam nobis commemorationem ſive memoriam dereliquit. Quemadmodum ſi quis peregre proficiſcens aliquod pignus*

pignus ei quem diligit derelinquit, ut quotieſcunque illud viderit poſſit ejus beneficia & amicitiam memorare. Ideo & *Euchariſtia* vocatur hoc ſacramentum quia in eo gratiarũ actio celebratur, ob beneficia à Chriſto accepta cum commemoratione mortis ejus per quam adepti ea ſumus. Auguſtinus in libro de fide ad Petrum Diaconum. *In iſto ſacrificio gratiarum actio atque commemoratio eſt carnis Chriſti quam pro nobis obtulit, & ſanguinis quem pro nobis idem Deus effudit.* Ab ea gratiarum actione auſpicabantur divinum illud officium communionis, ut apud Iuſtinum habetur. Nam in antiquiſſima illa primæ Eccleſiæ Liturgia, qui præſidebat conventui fidelium & communicationẽ adminiſtrabat, accepto pane & vino, laudes Deo Patri canebat per Filium & Spiritum Sanctum, & εὐχαριστίαν, hoc eſt, gratiarum actionem, ὑπὲρ τοῦ κατηξιῶσθαι τούτων παρ' αὐτοῦ ἐπὶ πολὺ ποιεῖται. Qui cum preces peregiſſet & gratiarum actionem, & populus reſpondiſſet, Amen, tum Diaconi, quorum id munus erat, unicuique præſentium panem fractum & calicem dividebant. Hinc Origenes contra Celſum lib. VIII. Euchariſtiam, id eſt, panem Euchariſtiæ, ita dictam notat, quod ſit ſymbolum gratiarũ, quas Deo debemus ob meritum paſſionis ejus, qua redempti ſumus. Ἔστι δὲ καὶ σύμβολον ἡμῖν τῆς πρὸς τὸν θεὸν εὐχαριστίας, ἄρτος εὐχαριστία καλούμενος, *Eſt & nobis ſymbolum gratiarum actionis apud Deum; panis qui nomen habet Euchariſtiæ.*

Hilarius Diaconus ſub nomine Ambroſii in Epiſtolam ad Corinth.1. cap. XI. ad illa verba, Mortem Domini adnuntiantes donec veniat: *Quia enim*, inquit, *morte Domini liberati ſumus, hujus rei memores in edendo & potando carnem & ſanguinem quæ pro nobis oblata ſunt ſignificamus, novum teſtamentum in his conſecuti, quod eſt nova lex quæ obedientem ſibi tradit cœleſtibus regnis.* Heſychius Prebsyter Hieroſolymitanus in Leviticum: *Niſi Chriſtus fuiſſet crucifixus, non potuiſſemus corpus ejus manducare, ſed nunc comedimus ejus corpus quando paſſionis ejus memoriam facimus.* Ergo ſic memoriam paſſionis ejus facimus dum figuram corporis crucifixi & mortui comedimus in pane. Non aliter ſane poteſt apte celebrari niſi per ſymbola quæ corpus mortuum & crucifixum repræſentant, hoc eſt, ipſam paſſionem. Stulte igitur Doctores Pontificii credunt facta conſecratione panis, ſub ſpeciebus panis eſſe verum corpus Chriſti tale quale eſt in ſua naturali conſiſtentia pro tempore, hoc eſt, modo tali quale eſt ad dextram Patris, vivum, immortale, glorioſum, conjunctum Deitati cum omnibus qualitatibus & accidentibus ſibi inhærentibus. Atqui tale corpus paſſionem Chriſti non poteſt videri repreſentare in ſua ſubſtantia exhibitum. Multo minus talis corporis figura quæ nihil minus quam fractum corpus & paſſum in cruce, & ſanguine vacuum ſignificat. *Si autem*, inquiunt,

fuiſſet

fuiſſet facta conſecratio in triduo mortis, fuiſſet tale corpus quale jacuit in ſepulcro, ſcilicet exangue & exanime, ſed conjunctum Deo ſuo modo, & ſanguis ſub ſpeciebus vini. Sed quæro ab illis an potuerit Chriſtus inſtituere hoc ſacramentum in triduo mortis, & quando in ſepulcro jacuit? Mirum vero quin exigant à defunctis, ut teſtamentum faciant poſt mortem ſuam, quia non valet ultima voluntas teſtatoris niſi poſt mortem. Cum pridie quam pateretur Chriſtus, teſtamentum ſuum novæ legis condidit, nonne poſt tempus mortis valitura demum ſanxit quæ in eo inſtituit? Nonne ea ſic ſunt accipienda quaſi de ſe jam mortuo loqueretur, cum quod poſt mortē ſuam fieri vellet ad ejus memoriam inſtaurandam vivus adhuc conſtitueret? Quando panem fractum quem dabat corpus ſuum eſſe dixit, quod pro nobis frangi in cruce habebat, an non corporis ſui jam fracti figuram eſſe illum panem intellexit? Si memoria eſt imago rei geſtæ, certe & illæ res quas inſtituit ad eam memoriam celebrandum, figuræ pariter ſunt, quibus eam fieri ſanxit ſui, id eſt, ſuæ paſſionis, commemorationē, ut panis corporis, ita vinū ſanguinis. Ergo memores illius paſſionis corporis in ea paſſione mortui figuram manducamus, ſanguinis in ea paſſione è corpore effuſi ſimilitudinem bibimus. Plura ejuſdē generis & eodē tendentia reperiuntur apud antiquos Patrum. Cum igitur hoc ſacramentū proprie &

ſpecifice contineat commemorationem paſſionis Chriſti, & gratiarum actionem ob beneficium quo per eam paſſionem à morte ſervati ſumus æterna, debet frequenter recoli,ut toties etiam refricetur memoria tantorum ejus meritorum. Qui ſe memorem & gratum teſtari vult muneris ab altero accepti, ſæpius id prædicat & laudat, & in ore ſemper habet. Cum itaque memoriam inſtauramus mortis Chriſti non ſolum gratias ei agimus debitas ob redemptionem noſtram, ſed etiam fidem in eum teſtamur, & obedientiam novæ legis, ſive teſtamenti ac fœderis quod in ſanguine proprio ſacravit ad nos liberandos. Inde ſalutis noſtræ & vitæ æternæ adeptio, non in manducatione carnis ejus,nam caro nihil proficit,ſed in mortis ejus recordatione, gratiarum actione,& fide in eum,cujus beneficia ſic grate proſequimur & digne ſuſcipimus, & reverenter confitemur. Quæ ſi omnia abſint, nihil niſi panem accipimus, à communi & vulgari non diverſum, nec vinum bibimus niſi commune. Sed urgent plerique Patrum,Chriſti profeſſionem dicētis, *Hoc eſt corpus meum.* Quaſi quo ſenſu ea pronunciavit panem tradens, non oſtenderit,finem ipſum hujus inſtituti declarando his verbis poſt omnia edictis, *Hoc facite in mei commemorationem.* Nihil aliud igitur niſi ſui commemorationem,id eſt,paſſionis ſuæ,celebrandam commendare voluit Chriſtus inſtitutione hujus

ſacra-

ſacramenti, qua corpus ſuum dedit manducandum pane dato, & ſanguinem bibendum calice tradito. Quomodo ergo corpus ſuum tradidit manducandũ? aut quem ad finem? De fine apparet cum dixit, *Hoc facite in mei commemorationem*. Hinc & modus manducationis quem præcepit declaratur, qui nempe conveniret ad eam peragendam & celebrandam commemorationem. Hæc cum imago ſit & ſimilitudo rei præteritæ, corpus ſuum quoque & ſanguinem comedendum & bibendum commendavit ſub imagine & ſimilitudine. Cum ergo panem tradens dixit, *Hoc eſt corpus meum*, nihil aliud intimare voluit, quam, Hæc eſt figura corporis mei. *Hic ſanguis meus*, id eſt, hæc ſimilitudo ſanguinis mei. Nec aliter primi Patres Eccleſiæ Græci Latinique interpretati ſunt, ut in ſuperioribus oſtendimus, & paulo poſt etiam planius explicabimus. Hæc itaque profeſſio Chriſti in pane Euchariſtiæ tradendo qua dixit eſſe corpus ſuum, non majorem vim aut efficaciam aut præſentiam divinitatis attribuit huic ſacramento quam eſt in Baptiſmo, quam eſt in ipſo corde fidelis qui in Chriſtum toto animo & pectore credidit. Auctor librorum de ſacramentis, libro ſexto capite ſecundo docet in omnibus ſacramentis myſterium Trinitatis eſſe connexum. *In omnibus*, inquit, *quæ agimus, ſervatum eſt myſterium Trinitatis. Vbique Pater, Filius, & Spiritus San-*

ctus. Vna operatio, una ſanctificatio, etſi quædam veluti ſpecialia eſſe videantur. Specialia certe quædam ſunt in Euchariſtia, ſed una operatio, una eſt ſanctificatio. Sequitur apud eundem: *Accepiſti ergo Spiritum Sanctum in corde tuo. Accipe aliud, quia quemadmodum Spiritus Sanctus in corde, ita etiam Chriſtus in corde.* Certe Auguſtinus & alii Patrum etiam Baptiſmo communicationem corporis & ſanguinis tribuunt. Vnde & κοινωνία etiam vocatur Cyrillo, ut ipſa Euchariſtia, ſicut in Epiſtola notavimus. Ipſe Auguſtinus Sermone ad infantes, ut notat Beda in prima ad Corinthios x. ſcribit, *Nulli aliquatenus eſſe dubitandum unumquemque fidelium corporis & ſanguinis Dominici tunc eſſe participem, quando in baptiſmate membrum efficitur Chriſti, nec alienari ab illius panis caliciſque conſortio, etiamſi antequam panem illum comedat calicemque bibat; de hoc ſæculo in unitate ſpiritus conſtitutus abſcedat.* Inter ſpecialia Euchariſtiæ quæ Baptiſma non habet, & hoc unum eſt quod corpus Chriſti, in figura panis nobis in ea datur, & calix in figura ſanguinis. Cæterum eadem in utroque operatio Spiritus Sancti, eadem gratia ſpiritalis & ſalutaris, ejuſdem divinitatis præſentia. Poſteriores Patres aliam in utroque ſacramento differentiam præter antiquorum ſententiam ſtatuerunt, & præter ipſius rei veritatem. Cum enim χάριν illam πνευματικὴν tam Euchariſtiæ quam baptiſmo

mo operante inviſibiliter Spiritu Sancto accidere vetuſtiores dixerint, recentiores Baptiſmi propriam eam χάριν fecerunt, Euchariſtiæ θεότητα Chriſti dederunt, id eſt, divinitatem, divinam ſimul humanamque ſubſtantiam alii quales in corpore ejus etiam poſt reſurrectionem fuere diſtinctæ, ſola hypoſtaſi indiſcretæ. Illi ſunt qui negarunt panem eſſe τύπον aut ἀντίτυπον corporis, quod veteres ſemper agnoverunt. Damaſcenus poſtquam de baptiſmo dixit, cum aqua baptiſmi & oleo Chriſmatis conjunctam eſſe gratiam ſpiritalem, συνέζευξε τῷ ἐλαίῳ καὶ ὕδατι τὴν χάριν τοῦ πνεύματος καὶ ἐποίησεν αὐτὸ λουτρὸν ἀναγεννήσεως, de Euchariſtia ſtatim ſubnectit, Οὕτως ἐπειδὴ ἔθος τοῖς ἀνθρώποις ἄρτον ἐσθίειν, ὕδωρ τε καὶ οἶνον πίνειν, συνέζευξεν αὐτοῖς τὴν αὐτοῦ θεότητα καὶ πεποίηκεν αὐτὰ σῶμα καὶ αἷμα αὐτοῦ, *Eundem in modum quia mos eſt hominibus panem comedere, & vinum & aquam bibere, conjunxit his ipſis ſuam divinitatem, & fecit hæc ſuum corpus & ſanguinem.* Hoc ſatis notabile diſcrimen inter Euchariſtiam & baptiſma ponitur quod baptiſmo χάρις adjuncta ſit, Euchariſtiæ θεότης. Sed veteres Patres minime hoc ſpeciale noverunt Euchariſtiæ qui ex æquo χάριν pani myſtico adnectunt, ut θεότητα baptiſmo, ſicut pluribus ſupra demonſtratum eſt. Ephraimius quoque Antiochenus Patriarcha, qui ſæculo ſexto ſcripſit, ea re ſeparat Euchariſtiam à baptiſmo, quod Baptiſmum velit eſſe πνευματικὸν ὅλον, totum ſpiritalem,

non

non itemEuchariſtiam, cum tamen χάριν etiam huic adjunctam velit. Οὕτως, inquit, καὶ τὸ παρὰ τῶν πιστῶν λαμβανόμενον σῶμα Χριστοῦ καὶ τῆς αἰσθητῆς οὐσίας οὐκ ἐξίσταται καὶ τῆς νοητῆς ἀδιαίρετον μένει χάριτος. Καὶ τὸ βάπτισμα δὲ πνευματικὸν ὅλον γινόμενον, καὶ ἓν ὑπάρχον, καὶ τὸ ἴδιον τῆς αἰσθητῆς οὐσίας, τοῦ ὕδατος λέγω, διασώζει καὶ ὃ γέγονεν οὐκ ἀπώλησεν. Cum de Baptiſmate dicat ſpeciatim πνευματικὸν ὅλον γίγνεσθαι, totum ſpiritale eſſe, & de Euchariſtia hoc idem non dixerit, ſine dubio aliquid eſſe in ſacramento Euchariſtiæ intellexit quod eam prohiberet eſſe ὅλην πνευματικήν. Quod illud eſt? Nempe corpus Chriſti, ſive veritas carnis ejus. Cæterum veritas hæc ſpiritalis eſt, non corporalis, ut etiam explicat Auguſtinus apud Gratianum de conſecratione Diſt. II. Canon. XLIII. *Donec ſæculum finiatur, ſurſum eſt Dominus, ſed tamen hic etiam nobiſcum eſt veritas Domini. Corpus enim Domini in quo reſurrexit, uno loco eſſe oportet, veritas autem ejus ubique diffuſa eſt.* In iſtis plane diſtinguit veritatem Domini ab ejus corpore vero. Corpus enim, inquit, uno loco eſt, in cœlo nimirum, & ibi futurum eſt ad finem uſque ſæculi, ut veritas ejus etiam nobiſcum eſt, in corde noſtro. Quid igitur per Veritatem intelligit, Spiritum nempe Chriſti. Hæc veritas etiam ſacramenti dicitur, & virtus, & Gratia. Veritas itaque eſt ſpiritalis, non corporalis, ut virtus eſt ſpiritalis non corporalis, ut gratia ſpiritalis non corporea. Nam vel illud ipſum corpus ſpiritale eſt, ut etiam

antiqui Patres vocarunt, vel corpus divini ſpiritus. Caro illa Chriſti quam manducandam præcepit ſalutis ſuæ cupidis, πνεῦμα eſt ut explicavit. Sanguis ille quem bibendum fidelibus injunxit, etiam ſanguis eſt ſpiritalis, nempe quia ſpiritaliter intelligendus eſt, quia ſpiritaliter bibendus. Ergo nihil niſi ſpiritale in Euchariſtia, intellectus, manducatio, potus. Ipſe panis qui figura eſt Chriſti, πνευματικὸς ἄρτος paſſim à Patribus Græcis appellatur, ut ſupra notavimus, & à Latinis *panis ſpiritalis*. Cur ſpiritalis? Quia rem ſpiritalem ſignificat, ut ex Auguſtino ante docuimus. Ergo cum ſignificet corpus Chriſti, non aliquid tamen corporale denotat, ſed corpus ſpiritale, ſed ſpiritum ipſum Chriſti, non ſubſtantiam corporis ejus & naturam. Mirum porro Ephraimium iſtum velle aliquod eſſe corporale in Euchariſtia præter panis & vini ſpecies, cum ipſam panis ſubſtantiam dicat remanere, & ei inſeparabiliter adnexam χάριν adhærere. Gratia illa utique ſpiritalis eſt, non corporalis. Inde apparet non intellexiſſe eum cum ſubſtantia panis, conjunctam eſſe ſubſtantiam corporis Chriſti, cum duas res in Euchariſtia tantum agnoſcat ex quibus conſtat, ſubſtantiam panis & gratiam divinam ſive ſpiritalem. Quid eſt igitur, cur baptiſmum ὅλον πνευματικὸν eſſe pronuntiarit, quaſi in Euchariſtia quæ non eſſet tota ſpiritalis ut baptiſmus, aliquid eſſet cor-

corporale? Sane vocavit eam σῶμα Χριστοῦ. *Quod à fidelibus*, inquit, *accipitur corpus Chriſti.* Sed illud corpus non eſſe naturale & ſubſtantiale corpus Chriſti ſatis indicat, cum dixit illud non excidere ſenſibili ſubſtantia, & conſervare inſeparabiliter ſibi adjunctam gratiam. Ergo nomine *corporis Chriſti* ſignificavit panem ipſum Euchariſtiæ qui corpus Chriſti appellatur, non quod proprie ſit corpus Chriſti, ut Facundus explicat æqualis Ephraimio, ſed quod contineat myſterium corporis Dominici. Totum hoc igitur ſpiritale eſt myſterium corporis, nec quidquam habet corporale Euchariſtia niſi nomen ipſum corporis. Corpus vocatur Chriſti figurate & improprie, quia myſterium eſt corporis, quia panis in eo ſignum eſt ac figura corporis. Sic omnino intellexit Ephraimius. At in Baptiſmo nihil corporale quia nulla corporis appellatio eſt aut ſignificatio. Aqua ibi tantum appellatur, quæ quidem & ipſa ſubſtantia eſt & corpus, ſed ſpiritaliter intelligitur tantum. Sed nec ſpiritalis gratia quam confert, ullo nomine corporali & ſubſtantiali cenſetur. At in Euchariſtia pro materia panis & vinum ſunt, quæ cum ſint & ipſa ſpiritaliter intelligenda, alterum tamen corpus Chriſti ſignificat in cruce oblatum & mortuum, alterum ſanguinem ejus effuſum. Vnde & *corpus Domini* appellatur ipſe panis, quia ſignum eſt corporis, & vinum *ſanguis.*

Quæ

Quæ appellatio corporalis & ſubſtantialis rei in Baptiſmo non reperitur. Veteres tamen Patres adeo totam eſſe ſpiritalem Euchariſtiam crediderunt, haud minus quam Baptiſmum, ut πνευματικὴν τροφὴν appellarint, & πνευματικὴν τράπεζαν, & πνευματικὴν θυσίαν, ut πνευματικὸν λουτρόν. Stultum eſt igitur vel imaginari Euchariſtiam pro parte eſſe ſpiritalem, pro parte corporalem. Quod autem idem Ephraimius, ut & plures ex antiquis Patribus gratiam illam ſpiritalem ita inſeparabilem velint adhærere pani, ut unum corpus faciat, & exemplum afferre ſoleant myſterii incarnationis in quo caro & ſpiritus unitate ſubſtantiali conjuncta ſunt, non propterea tamen putandum eſt eos talem hypoſtaticam unitatem panis & gratiæ ſpiritalis ſive Spiritus Sancti in Euchariſtia ſomniaſſe. Cum hac opinione panis & divinitatis unum idemque deberet eſſe ſuppoſitum. Quod non poteſt non dicã niſi abſurde, ſed & impie fingi. Non cadit hæc ſententia in eos Patres qui panem figuram corporis eſſe interpretati ſunt, ſicut omnes fere antiquiores, quique panis ſubſtantiam etiam poſt conſecrationem manere ſtatuerunt. Vnde enim figura corporis Chriſti & divinitas ejus in uno ſuppoſito? Ex his axiomatis ſequeretur, ſi quidem vellent cum pane tali divinitatem Chriſti hypoſtaticè uniri, corpus Chriſti in figura panis, & corporis divinitatem καθ' ὑπόστασιν jungi. Hoc modo cer-

te nun-

te nunquam appellaſſent, ἄρτον πνευματικὸν, id eſt, panem, cui unitus eſſet ſpiritus. Quis enim veterum Chriſti corpus cum quo unita erat divinitas, σῶμα πνευματικὸν nuncupavit? Ergo Patres qui ἄρτον πνευματικὸν & οἶνον πνευματικὸν in Euchariſtia appellarunt, non eo ſenſu id intellexerunt quod pani aut vino ſpiritus divinus eſſet unitus unitate ſubſtantiali, ſed *panem ſpiritalem* dixerunt, quia rem ſignificaret ſpiritalem, ut ſupra pluribus jam probatum eſt. Impanatio ſive ἐνάρτωσις quam tribuunt Ruperto, & ex infimo ævo Iohanni Pariſienſi, longe alia eſt. Non enim iſti ſimplicem panem, & qui coporis Chriſti eſſet figura in eodem ſuppoſito eſſe ſtatuerunt cum divinitate Chriſti, ſed corpore mediante Chriſti in quod panem illum converti credebant, duas Chriſti naturas divinam & humanam in illo pane, quaſi corpore eodem ſuppoſito unitam imaginati ſunt. Ad hanc ipſis fanaticam credulitatem præivere veterum Patrum ſcripta, non bene intellecta, & recentiorum de realitate & præſentia corporis Chriſti dogma. Ex his duobus monſtris tertium compoſuerunt, de iſta hypoſtatica unitate panis & divinitatis, quaſi divinitas aſſumpto pane eum faceret corpus Chriſti, non mutata tamen nec deſtructa panis ſubſtantia, ſicut nec humana natura deſtructa fuiſſet in myſterio incarnationis cum à Verbo divino aſſumpta eſt. Inde etiam videtur ea opinio originem cepiſſe

quam

quam apponit Hugo de S. Victore qui in Speculo Eccleſiæ capite VII. ſcribit, *Tria conſiderari in hoc ſacramento. Vnum quod eſt tantum ſacramentum: alterum quod eſt ſacramentum & res ſacramenti, tertium quod eſt res tantum & non ſacramentum*. Per id quod eſt tantum ſacramentum, intelligit viſibilem ſpeciem panis & vini. Dogmatis de impanatione auctores eam corporalem ſubſtantiam panis & vini interpretantur, quæ non mutatur ſed manet. Per ſacramentum & rem ſacramenti ſimul juncta Hugo interpretatur corpus ipſum Chriſti & ſanguinem. Sane ipſi impanatores corpus Chriſti revera eſſe cum pane credunt, & eo mediante dicunt panem & divinitatem Chriſti hypoſtatice uniri. Rei autem nomine quæ non eſt ſacramentum, gratiam & virtutem vult intelligi quæ ibi percipitur, ſcilicet unionis capitis & membrorum. *Et hæc unio*, inquit, *res eſt, non ſacramentum, ſed virtus ſacramenti*. Sic aliud eſſe dicit ſpeciem quæ viſibilis cernitur, aliud veritatem corporis & ſanguinis quæ inviſibiliter creditur, aliud ſpiritalem gratiam quæ cum corpore & ſanguine inviſibiliter & ſpiritaliter percipitur. Hæc ad veterum Patrum ſententiam ſi revocentur, multum ab his mutare & abhorrere videantur. Primum quod ait de viſibili ſpecie panis & vini, verum eſt ab antiquis Patribus eam agnoſci nominatim pro ſubſtantia panis & vini communis ante benedi-

ctionem. Vnde auctor libelli de cœna *ſpeciem* & *ſacramentum* diſtinguit. Vbi *ſpecies* eſt nondum conſecratus panis, *ſacramentum* autem ſpecies jam conſecrata. At ſpeciem illam viſibilem panis & vini pro ipſo ſacramento habet & ſic appellat, Hugo. Nec iſtud etiam male. Nam & ſacramentum viſibile, quod terreſtrem eſſe partem Euchariſtiæ Patres paſſim tradunt, & *cibum viſibilem* appellant, ſpecies etiam viſibilis recte nuncupatur, & *ſacramentum viſibile*. Quod rem vero & ſacramentum, de corpore Chriſti interpretatur, ſi ſic junctim accipiantur, in eo multum diſſidet à veteribus. Illi quidem rem ſacramenti accipiunt de ipſo corpore Chriſti, non tamen vero nec reali, nec ſubſtantiali, ſed ſpiritali. Illud enim corpus ſpiritale Chriſti idem faciunt cum gratia & virtute ſpiritali quæ cum ſacramento & in ſacramento viſibili inviſibiliter & ſpiritaliter percipitur. Nec aliud corpus ſub ſpecie viſibili panis & vini ſumi credunt præter iſtam gratiam & veritatem virtutemque ſpiritalem. Non igitur tria illi conſiderant in hoc ſacramento, ut Hugo, ſed duo tantum, *ſacramentum* nimirum & *virtutem* ſacramenti, ſive *rem* ſacramenti. Tria quidem veniunt ſpectanda ſi ſpeciem communis panis ante benedictionem ſeorſim conſideres, ſed apparet Hugonem non ita velle. Non enim hæc ſpecies per ſe intuenda eſt in hoc ſacramento, cum non ſit ſacramentum. In

ſacra-

ſacramento itaque quatenus eſt ſacramentum duo tantum conſideranda ſunt, ſacramentum viſibile, id eſt, ſpecies panis & vini, & virtus ſacramenti, id eſt, gratia ei adjuncta, quæ eſt virtus & ἐνέργεια corporis Chriſti. Definiri hæc poteſt unio capitis & membrorum. Ita enim panem fractum in Euchariſtia communionem eſſe corporis Chriſti, & calicem communionem ſanguinis ejus Paulus dicit. Panis ille fractus ſacramentum eſt corporis. Communio etiam corporis Chriſti eſt, quia per gratiam & virtutem ſpiritalem communicamus corpori & ſanguini Chriſti, & ejus divinitatis ſic ſimus participes. Auctor libri de cœna: *Sed & nos ipſi corpus ejus effecti ſacramento & re ſacramenti capiti noſtro connectimur & unimur.* Ergo hæc duo tantum veniunt ſpectanda in hoc ſacramento, ſacramentum viſibile, & res ſacramenti inviſibilis. Vtrumque percipiunt qui corpus Chriſti effecti ſunt. Qui non ſunt corpus Chriſti ſacramentum tantum participant, non virtutem ſacramenti. Impanatores tria conſiderant in Euchariſtia, ſubſtantiam panis viſibilem eamque manentem, corpus Chriſti, & divinitatem Chriſti. Divinitatem Chriſti cum pane ſubſtantiali unitate volunt eſſe conjunctam, mediante corpore Chriſti. At illa divinitas, ſive divina ſubſtantia, eadem eſt penes Patres cum ea gratia ſpiritali, quæ & virtus ſacramenti, & res ſacramenti dicitur, quamque adeo corpus

Digitized by Google

Chriſti eſſe interpretatur Auguſtinus, id eſt, ſpiritalem veritatem corporis Chriſti. Nam verum corpus ejus uno in loco eſſe idem ſcribit, ut ſupra docuimus. Sed nec ille Hugo neque impanatores poſſunt effugere, ut ſupra diximus, quin tres ſubſtantiæ una hypoſtaſi contineantur, panis, corpus Chriſti cum divina & humana ſua ſubſtantia. Scholaſtici qui trecentis circiter ab hinc annis ſcripſere, tres opiniones ponunt de Euchariſtia quæ à Tranſſubſtantiatione diverſæ abeant. Prima eſt quam vocant *identificationem ſuppoſitorum*, qua docetur unum idemque eſſe ſuppoſitum panis & Chriſti, quam Ruperto Abbati affingunt. Sed ille non ſimpliciter panem ſimplicem in ſubſtantiæ ſuæ & naturæ proprietate manentem idem vult eſſe ſuppoſitum cum corpore Chriſti, ſed panem quatenus fit corpus Chriſti in Euchariſtia per conſecrationem, divinam ſimul & humanam ejus naturam cum ſubſtantia ipſa panis exhibere. Secundam ponunt quæ nomine impanationis vocatur & quam jam expoſuimus. Eam Iohanni Pariſienſi tribuunt. Sed eadem eſt quam Rupertus ſuam fecit. Non enim ab eo diverſus abit ille Iohannes de Pariſio. Tertia denique eſt quam appellant figuralem & tropicam, quia ſcilicet ſtatuit panem & calicem impropric & figurate corpus & ſanguinem appellari, cum proprie hoc non ſint quod vocantur, ſed ita dicantur quod myſte-

rium

rium corporis & ſanguinis contineant. Hanc Bertramo Presbytero, Iohanni Scoto, VVicleſo, Calvino & aliis Reformationis auctoribus, tam Pontificii quam Lutherani falſo quaſi propriam adjudicant, cum ſit omnium antiquiorum Eccleſiæ Patrum, & quam etiam male & calumnioſe deſcribunt, quaſi ſolam figuram & ſigna nuda agnoſcat. Ea vero Lutheranorum ante Lutherum nuſquam audita aut cognita in Eccleſia fuit, quæ duas ſubſtantias ſuppoſitis ſuis diſtinctas in hoc ſacramento collocat, divinam corporis Chriſti, & humanam panis, hanc ut continentem & includentem, illam ut contentam & incluſam. Quam κατὰ περικλεισμὸν fieri licet dicere, ut olim quidam hæretici naturam divinam ab humana in Chriſto cõtineri & includi dixere. At Tranſſubſtantiatio Pontificiorum ei hæreticorum opinioni ſimilis eſt qui verbum divinum καθ' ἀλλοίωσιν, per converſionem, in Chriſto eſſe affirmabant. Eſt & quæ κατὰ μετακίνησιν, per localẽ mutationem id fieri vult. Nam & hanc admiſerunt in Tranſſubſtantiatione quidam Scholaſtici, cum ubi erat panis ibi eſſe corpus Chriſti affirmarunt, & ſub illis ſpeciebus ſub quibus erat prius panis eſſe modo corpus Chriſti. Quippe cum hac aſſertione locum ſuum mutat ſubſtantia panis, & in eum ſuccedit ſubſtantia corporis. Quæ eſt μετακίνησις. Eam in corpore Chriſti quidã hæretici commenti ſunt. Vbi erat nempe humanitas

in eum locum ſucceſſiſſe divinitatem, aut ubi erat divinitas ſucceſſiſſe humanitatem κατὰ μετακίνησιν. Hæc eſt Franciſcanorũ opinio de ſubſtantiali corporis Chriſti præſentia in ſacramento qua corpus non ad nihilum redigit ſubſtantiam panis, nec ex illa fit, ſed illi ſuccedit. Ex iſtis apparet totidem exortas fuiſſe hæreſes circa præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia quot olim fuere circa Verbi incarnationem in eo myſterio, cum alii κατ' ἀλλοίωσιν eam extitiſſe dicerent, alii κατὰ μετακίνησιν, alii κατὰ περικλεισμόν. Huic poſtremæ par eſt Lutheranorum ſententia. Illis prioribus duabus Pontificiorum duæ diverſæ de Tranſſubſtantiatione opiniones. An igitur ut vera fuit & orthodoxa ſententia eorum qui docuerunt duas naturas Chriſti, humanam & divinam, in ejus incarnatione unitas fuiſſe per modum ὑποστάσεως cum reapſe diſtinctæ forent ſubſtantiis, ita etiam veram eſſe oportet quæ ponit duas ſubſtantias in Euchariſtia, panis terrenam & divinam ſpiritus, una hypoſtaſi conjunctas teneri? Minime gentium. Et qui hanc fuiſſe volunt antiquorum Patrum opinionem tota veri regione aberrant. Quod non verum eſt in myſterio incarnationis, nec verum eſſe poteſt in myſterio Euchariſtiæ. Sed quod in illo verum eſt, non conſequenter & verum eſſe neceſſe in Dominici corporis ſacramento. Vera eſt quidem una hypoſtaſis duarum ſubſtantiarum carnis & ſpiritus in Verbo quod

car-

carnem aſſumpſit, ſed non eſt vera unio hypoſtatica panis & ſpiritus, ſive virtutis ſpiritalis, in Euchariſtia. Quod nulla ratione poteſt verum videri. In ejuſmodi hypoſtatica unitate panis & corporis Chriſti, ſive divinitatis ejus, aut panis debuit aſſumere divinitatem, aut divinitas panem. Vt panis aſſumat divinitatem dici non poteſt. Nam in Verbi incarnatione, non caro Verbum aſſumpſit, ſed Verbum carnem. κατὰ πρόσληψιν, ut Græci dicunt, Verbum caro factum eſt, carne nimirum aſſumpta. At contra Græci Patres in Euchariſtia dicunt panem, hoc eſt, viſibile ſacramentum, aſſumere θείαν χάριτα & πνευματικήν. Atqui ſi hypoſtica inde unitas utriuſque exiſteret, magis conveniebat ut divinitas aſſumeret panem. Quod & ipſum tamen abſurdum & impoſſibile. Sed ſic major ſimilitudo eſſet myſterii incarnationis cum hoc myſterio. In illo quippe, ut dixi, ſicut Verbum divinum aſſumpſit carnem, ita carnem panis refert. Ex parte carnis non venire potuit περιχώρησις & inſinuatio quæ divinitatem pervadens eam complecteretur, ſed divinitas carnem aſſumendo eam ſpiritu ſuo pervaſam ſecum convinxit in hypoſtaſis unitatem. Ita enim Græci ſcribunt, Ἡ δὲ περιχώρησις οὐκ ἐκ τῆς σαρκὸς, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς θεότητος γέγονεν. Ἀμήχανον γὰρ τὴν σάρκα περιχωρῆσαι διὰ τῆς θεότητος, ἀλλ᾽ ἡ θεία φύσις ἅπαξ περιχωρήσασα διὰ τῆς σαρκὸς, ἔδωκε καὶ τῇ σαρκὶ τὴν πρὸς αὐτὴν ἄρρητον περιχώρησιν, ἣν δὴ ἕνωσιν λέγομεν. Cum duæ res dum

commiſcentur invicem, ſeſe mutuo penetrant, & altera in alteram ſe inſinuat, hæc περιχώρησις dicitur. Sic aqua & vinum cum miſcentur, alterum per medium alterius περιχωρεῖ, & ſic tandem confunduntur, ut ex duobus unum fiat. Sed initium περιχωρήσεως fit à ſubtiliori & penetrantiori. Ergo in aquæ & vini mixtione, à vino incipit περιχώρησις. Hæc unitas συγχυτικὴ eſt. In Verbi & carnis conjunctione περιχώρησις à Verbo cœpit. Sed hæc ἕνωσις fuit ἀσύγχυτος. In panis autem & divinitatis conjunctione ὑποστατικῇ ſi illa daretur, ut περιχώρησις à divinitate incipere deberet, ita etiam aſſumeret panem, non panis ipſam. Quod nullo modo cum procedere poſſit, dicendum eſt nullam eſſe hypoſtaticam panis & ſpiritus, ſive ſpiritalis gratiæ, unionem. Quia vero Patres utrumque myſterium invicem comparando videntur hoc innuere, quomodo ſint intelligendi explicare nunc aggrediamur. Fidelis qui per fidem ex ſpiritu regeneratur, in illum ſpiritum quem aſſumit non convertitur, nec in unitatem perſonæ cum eo conjungitur. Hac ſpiritali regeneratione cum nova fiat creatura, non tamen priorem amittit aut mutat ſubſtantiam, nec ita acquirit novam ut hypoſtatice cum ea jungatur, aut ut duæ ſubſtantiæ in eo duobus ſuppoſitis diſtinctæ habeantur. Vt autē regeneratur quis ſpiritu, ita & vivit ſpiritu, id eſt, ſpiritali cibo quem in ſacramento ſumit. Fit per fidem utrum-

utrumque ſimiliter. Sed nec ille ſpiritalis cibus, ſive panis myſticus, quo paſcitur regeneratus, ita adſumit ſpiritum gratiæ, ſive ſpiritalem gratiam, ut vel in eam ſubſtantialiter convertatur, vel ut in hypoſtaticam unitatem cum eo uniatur. Si alterutrum fieret, etiam ex eo ſequeretur parem eſſe admittendam in regenerato, vel ſubſtantiæ converſionem, vel ſubſtantiarum duarum hypoſtaticam unionem. *Fiant corpus Chriſti*, inquit Auguſtinus, *qui volunt vivere de ſpiritu Chriſti. De ſpiritu Chriſti non vivit, niſi corpus Chriſti.* Eodem igitur modo fidelis fit corpus Chriſti per regenerationem, quo panis in Euchariſtia fit ſpiritus Chriſti, vel quod idem eſt, corpus ſpiritale Chriſti. Per fidem utrumque noſtram conſequimur, ut corpus ipſi Chriſti fiamus dum regeneramur, & corpore Chriſti, ſive ſpiritu Chriſti, vivamus dum ſacramentis ejus participamus. Auguſtinus apud Gratianum lib. de conſecratione Diſt. II. capite XXXVI. *Quia paſſus eſt Dominus pro nobis, commendavit nobis in iſto ſacramento corpus & ſanguinem ſuum, quod etiam fecit & nos ipſos. Nam & nos ipſius corpus facti ſumus, & per miſericordiam ejus quod accipimus nos ſumimus.* Ita ergo ſimus corpus Chriſti, ut panis fit idem corpus. Ita duplex eſt homo qui comedit, externus & & internus: duplex manducatio qua comeditur, externa, & interna: duplex etiam cibus qui comeditur, externus & internus. Externus ci-

bus, id eſt, panis, ab externo homine, externa manducatione comeditur: internus ab interno interna manducatione participatur. Hujus autem cibi quo ſpiritaliter ſimul & corporaliter nutrimur, ut duplex eſt ſubſtantia, ita etiam duplex manducatio, altera externa, altera interna. Externa manducatione terreſtrem ejus materiam accipimus, id eſt, viſibile ſacramentum: interna rem ſive virtutem ſacramenti, hoc eſt, ſpiritum illum quo ſolos vivere eos dicit Auguſtinus qui fiunt corpus Chriſti, id eſt, qui regenerantur. Externa manducatio oris eſt, interna cordis. In eodem homine, prout eſt externus ſimul & internus, vel tantum externus, duæ aliquãdo manducationes ſimul locũ habent, interdũ una ſola. Regeneratus externa & interna utitur, quia internus eſt & externus: infidelis ſolam externã uſurpat. Ergo ſeparabilis eſt gratia ſpiritalis & inviſibilis à ſacramẽto viſibili, cum iſtud ſæpe accipiatur ab eo qui alterius non ſit particeps. Quando itaq; ſpiritum alius participat cum ſacramento, alius ſolum ſacramentum ſine ſpiritu, non poſſe videntur hæc duo ſimul hærere in una hypoſtaſi. Cum igitur Patres hæc conjuncta eſſe aſſerunt, & ſacramentum à ſua virtute minime ſejungi dicunt, non intelligunt eum ſpiritum, ſive ſpiritalem gratiam pani ipſi inſeparabiliter adhærere, ſed in ipſo corde ipſius accipientis eam unitatem effici per fidem, quam qui non præſtat, is non com-

municat

municat corpori, ſed ſacramentum, hoc eſt, nudum ſignum accipit, non virtutem ſacramenti. Signum, non rem ſigni percipit. Iam ſupra oſtendimus ex Hilario non ſolum ex profeſſione Chriſti, ſed etiam ex fide noſtra panem Euchariſtiæ vere eſſe carnem Chriſti. Fides quæ credit profeſſioni ejus, in corde id perficit accipientis, quod ore Chriſtus profeſſus eſt. Fruſtra hoc ille dixiſſet, niſi qui id crederent ipſe effeciſſet. Fidem dando ſumenti panẽ, corpus etiam quod ſe dare in pane dixit, ut accipiat, efficit. Quam os diſſitum eſt à corde, tam gratia illa divina quam pani adjunctam eſſe perhibent Patres, à ſacramento diſtat, niſi quis ad manducationem internam cor æque paratum præbeat, ut os ad externam patulum. Cum igitur ſalutaris illa gratia, quæ ſacramento viſibili inviſibiliter connectitur operatione ſecreta Spiritus Sancti, pertineat ad internam manducationem quæ in corde fit, interna autem illa manducatio fidei tribuatur accipienti, non poſſunt Patres aliter accipi quam quomodo diximus, cum eam χάριν docent adjunctam eſſe & inhærere ſacramento viſibili, id eſt, pani & vino. Nam ſi ipſi pani ita adhæreret, ut ab eo non poſſet divelli, ab omnibus qui panem ſumerent, etiam deberet percipi. Atqui ſoli fideles eam & ſanctificati percipiunt. Ergo in corde ſolo accipientium ſpiritaliter peragitur ea unitas Spiritus & ſacramenti, quemadmodum & ſpiritaliter

taliter cum ipſo Chriſto conjungimur, & per fidem eum in nobis manentem habemus, & nos in illo manemus. Si pani ipſi non adhæret inſeparabiliter, ſed per fidem noſtris cordibus adfigitur, dum ſpiritaliter cibum ſpiritalem manducamus, nec per conſecrationem eum ſiſti in pane credendũ præſentem & cœlo devocari, ut includatur ſpeciebus externis panis & vini, haud ſane magis quam eadem gratia, vel idem ſpiritus gratiæ, infunditur aquæ baptiſmi, ab ea percipienda etiam qui fidem non habeat. Fidei enim effectus eſt, ut fides donum Dei, qua gratiam illam conſequimur tam in baptiſmo quam in Euchariſtia. Nec huic aſſertioni contrarium eſt quod Patres dicunt ad invocationem Spiritus Sancti eam deſcendere, & panem vinumque ſanctificare, aut ad verbum Chriſti quando ſuper ſpecies viſibiles pronuntiatur. Præclare dixit Auguſtinus, *id facere Verbum quod creditur, non quod dicitur.* Invocatio illa Dei & benedictio non illigat Spiritum pani nec includit, ſed panem ſanctificat ut poſſit ab eo qui fidem habet & mundus eſt digne & cum efficacia, non ſolum ſacramentaliter, ſed etiam ſpiritaliter, participari. Conſecratio enim nullam pani & vino mutationem inducit niſi ut ex his fiat per eam ſacramentum, fides deinde ſacramentum digne accipientis facit ut ſpiritaliter illud percipiat, id eſt, ut ſpiritali ejus virtuti communicet, & ſpiritus Dei particeps

ceps exiſtat. Nec huic veritati obſtat quod Patres ſæpe δύναμιν ἄρτου appellant, ut Epiphanius, & δύναμιν ἐν ἄρτῳ. Non enim intelligunt eam eſſe panis virtutem, aut pani ineſſe, ſed quia cum pane ſimul accipitur ab eo qui digne eam accipit. Ea igitur commixtio Spiritus & panis, Spiritus & vini, quam Patres in his ſacramentis fieri dicunt, non in ipſo pane fit neque in ipſo calice, ſed in corde ſumentis per fidem. Clemens Alexandrinus Pædagogo II. capite II. Ἡ δὲ ἀμφοῖν αὖθις κρᾶσις ποτοῦ τε καὶ λόγου εὐχαριστία κέκληται, χάρις ἐπαινουμένη καὶ καλή, ἧς οἱ κατὰ πίστιν μεταλαμβάνοντες ἁγιάζονται καὶ σῶμα καὶ ψυχήν. *Amborum autem contemperatio, potus ſcilicet & Verbi, dicitur Euchariſtia, quæ laudabilis eſt gratia & pulchra, cujus qui per fidem ſunt participes, ſanctificantur & corpore & anima.* Idem eodem loco duplicem eſſe ſanguinem Chriſti notat, carnalem & ſpiritalem, τὸ σαρκικὸν, καὶ τὸ πνευματικόν. Carnalem eum vocat quo ex corpore Chriſti effuſo in cruce redempti ſumus, τὸ μὲν ἐστὶ σαρκικὸν ᾧ τῆς φθορᾶς λελυτρώμεθα. At ſpiritalis eſt quo ungimur in baptiſmo & quem bibimus in Euchariſtia. Τὸ δὲ πνευματικὸν, τοῦτ᾽ ἐστὶν ᾧ κεχρίσμεθα, καὶ τοῦτ᾽ ἐστὶ πιεῖν τὸ αἷμα, τοῦ Ἰησοῦ τῆς κυριακῆς μεταλαβεῖν ἀφθαρσίας. Sanguis ille ſpiritalis in ſacramento calicis bibitur, & in ſacramento baptiſmi eo ungimur. In his autem ſacramentis à Patribus conſiderantur omnes fideles tanquam officii ſui memores, & cum debita fide ac reverentia

rentia ad id participandum accedentes. In iis qui ſic accedunt ad illud accipiendum, quiq; ſic ut oportet accipiunt, ſacramentum viſibile non caret ſua gratia inviſibili, nec panis abſque ſua virtute ſpiritali manducatur. Non ſolum autem δύναμις τοῦ ἄρτου dicitur, ſed etiam δύναμις τοῦ σώματος. Ita & *ſacramentum panis* appellatur, & *ſacramentum corporis*, quia hæc invicem nomina permutantur, ſignificantis rei & ſignificatæ. Sic *virtus ſacramenti* Latinis nuncupatur quod idem eſt ac *virtus panis*, & *virtus corporis*. Græci etiam ἐνέργειαν τοῦ σώματος vocant iſtam gratiam ſacramenti, & virtutem, ut & δύναμιν. Et melius quam Latini qui *ſpiritum* ipſum & *divinitatem*, vel *divinam ſubſtantiam*, & *eſſentiam* vocitarunt. Non ipſam enim divinitatem percipit fidelis cum ſacramento, aut divinam eſſentiam, aut θείαν οὐσίαν vel θεότητα, ſed virtutem & efficaciam ipſam carnis & ſanguinis Chriſti. Theophylactus qui veteres Græciæ Patres ſequitur & deſcribit, XIV. in Marcum: Τὸ μὲν εἶδος ἄρτου καὶ οἴνου φυλάττει, εἰς δύναμιν δὲ σαρκὸς καὶ αἵματος μεταστοιχειοῖ. Clementi Alexandrino vel Theodoto, ut ſupra notavimus, πνευματικὴ δύναμις appellatur. In cujus verbis animadvertendum eſt duplici ſenſu δύναμιν accipi, pro ipſa divinitate vel ſpiritu Dei, & pro virtute vel gratia ſpiritali quæ per eum perficitur. Sic enim ſcribit tam de oleo Chriſmatis quam de pane Euchariſtiæ: Καὶ ὁ ἄρτος καὶ τὸ ἔλαιον ἁγιάζεται

ἁγιάζεται τῇ δυνάμει τοῦ ὀνόματος, οὐ τὰ αὐτὰ ὄντα κατὰ τὸ φαινόμενον οἷα ἐλήφθη, ἀλλὰ δυνάμει εἰς δύναμιν πνευματικὴν μεταβέβληται. Immo τρισήμως hujus vocis δύναμις in tam paucis verbis ſignificationem variavit. Primo dicit panem in Euchariſtia & oleum in Chriſmate, δυνάμει, hoc eſt, potentia nominis Dei quod invocatur ſanctificari. Hic eſt ἁγιασμὸς quo de pane & oleo communi fit ſacramentum Chriſmatis & Euchariſtiæ. Poſtea addit, *non eadem qualia accepta ſunt in ſpeciem manere, ſed per Spiritum Sanctum mutari in virtutem ſpiritalem.* Hæc intelligenda ſunt de ipſa efficacia & operatione ſacramenti interna, qua per Spiritum Sanctum id quod erat ſacramentum panis, mutatur in ſpiritalem virtutem, id eſt, accipit gratiam ſpiritalem, quam per ſanctificationem, ſive conſecrationem, non acceperat. Hæc eſt χάρις quam Theodoretus dicit adjungi ſolitam naturæ panis. Hæc eſt etiam virtus ſacramenti & res ſacramenti, quæ ſic vocatur Auguſtino, quam ſoli fideles & ſanctificati participant, cum reliqui qui tales non ſunt, ſolius ſacramenti ſive panis communicationē habeant. Cum dicit igitur Clemēs δυνάμει eas ſpecies viſibiles mutari in δύναμιν πνευματικὴν, non poteſt utroq; loco vox δύναμις idem ſignificare. Non enim eadem virtus mutat panem in ſemetipſam. Sed δύναμις primo loco abſolute Spiritum Sanctum, vel Chriſti divinitatem denotat, qua perficiente panis accipit virtutem illam ſpiritalem

talem, id eſt, gratiam, qua corporis ipſius Chriſti & ſanguinis efficacia nobis adplicatur perceptione ſacramentorum ejus quibus talem virtutem indit per Spiritus ſui Sancti inviſibilem & internam operationem. Cum Patres Latini in Græcorum Patrum ſcriptis, vocem δύναμιν ſæpius legerent, dum hic ſacramentorum ἐνέργειαν explicant, diverſa notione poſitam ab his non diſtinxerunt, ubi nempe debet accipi pro Spiritu Sancto, aut ubi pro ejus virtute & gratia quæ ſacramentis viſibilibus per fidem digne ea participantium adjungitur. Sic δύναμιν in pane pro ipſo Spiritu Sancto, & pro divinitate Chriſti & divina ſubſtantia acceperunt, cum ſolam ſacramenti virtutem à Sancto Spiritu manantem ſignificet. Non igitur præſens eſt divinitas Chriſti & Spiritus ipſe Sanctus in ipſo pane & in ipſa aqua, nec in ipſo corde digne accipientis, ſed ſpiritalis virtus & gratia. *Spiritus gratiæ* appellatur Spiritus Sanctus, πνεῦμα τῆς χάριτος, ſed & πνεῦμα τῆς ἁγιωσύνης, Spiritus Sanctitatis, quia ſcilicet gratiam dat & ſanctificat. At ſanctitas non eadem eſt cum Spiritu Sancto, cum ſit effector ſanctitatis: nec gratia eadem eſt cum ipſo cum ſit dator gratiæ. Ea gratia & ſanctificatio donum eſt & effectus Spiritus Sancti, quam impartiri ſolet à ſe ſanctificatis & mundis factis. Non igitur ea eſt in pane ſacrato ac benedicto ſive ſacramento, ſed in ipſo accipiente, qua per fidem

dem eam cum pane ipſo accipit, cum ſolum panem impius & infidelis accipiat. Cæterum cum verum ſit quod loquuntur paſſim Patres veteres ab ipſo Chriſto edocti, Chriſtum in nobis habitare, & nos in illo manere, qui per gratiam illum in nobis manentem habemus, & per fidẽ quam nobis donavit in ipſo manemus, non etiã improbandæ videntur eæ loquutiones quibus Spiritum ipſum Sanctum, ipſum Chriſtum, ipſam divinitatem intereſſe, & præſentem adeſſe ſacramentis plerique Patres dixerunt. Quippe cum divinitas ejus omnia repleat & ubiq; præſens ſit, in medio noſtrum verſetur, in conventibus noſtris adſit, omnia noſtra dirigat, omnia etiam contineat & conſervet virtute ſua. Sed ſpeciatim in ſacramentis ſe exhibet per eam gratiam & virtutem ſpiritus ſui, quam confert dignis eorum participatione, & mundis corde. Ea δύναμις σώματος ejus proprie vocatur, & ἐνέργεια σώματος in ſacramentis corporis ejus & ſanguinis. Δύναμις etiam πνεύματος & πνευματικὴ appellatur, quia efficacia eſt ac virtus ſpiritalis ejus corporis, ut ſupra docuimus. Non igitur ipſa divinitas adnectitur pani per benedictionem, nec Spiritus Sanctus invocatus deſcendit in ipſum panem, eique alligatur, ut videntur ſignificare quidam Patrum, ſed qui fidem habet, qui digne ſacramenta ſuſcipit, gratiam quoque ex profeſſione Chriſti promiſſam talibus, & taliter ad ſacramenta ejus acce-

dentibus, una conſequuntur. Panem eſſe corpus ſuum, profeſſus eſt cum eum daret. Hæc eſt virtus ſacramenti, hæc res ſacramenti quam vocant Patres, hæc denique corporis virtus, hæc ἐνέργεια corporis, hæc ſpiritalis gratia, quæ non inhæret pani, ſed quæ cum pane pariter accipitur ab iis quos ad hoc idoneos & dignos ipſe Chriſtus reddere dignatus eſt. Qui ſunt quos Apoſtolus ait edere & bibere indigne corpus & ſanguinem Chriſti? Illi nempe qui carnaliter intelligunt manducantque & bibunt carnaliter, non ſpiritaliter, ut dixit Auguſtinus in Iohannem. Sed cur alium interpretem quærimus quam Paulum ipſum? Illi ſunt qui μὴ διακρίνουσι τὸ σῶμα τοῦ κυρίου, qui panem quo caro ejus figuratur non diſcernunt à vulgari & communi pane. Qui cum ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti accipiunt, credunt ſe pane ordinario & quotidiano veſci. Hi ſane non aliter nec aliud accipiunt quam quod ſe credunt accipere. Et quia fidem non habent in Chriſtum pro ſe mortuum, cujus paſſio in illo pane & in illo vino celebratur à fidelibus, cum gratiarum actione & commemoratione Chriſti, merito paſſionis ejus non poſſunt nec debent frui, cujus memoriam non digne recolunt. Cum autem in ea paſſione ſalus noſtra & redemptio poſita ſit, quicumque non eam credit, nec ejus meritum ei poteſt imputari & adplicari. Non autem eam credere ſe ſatis teſtatur qui commemora-

morationem ejus negligit, qui ſuſque deque habet communicare aut non communicare ſacramentis quibus commemoratur & celebratur. Qui ſic communicat, non diſcernit ſacrum cibum quo anima paſcitur, à vulgari quo corpus ſuſtentatur. Ita ſumere panem & vinum quæ in ſacra cœna exhibentur, judicium ſuum eſt edere & bibere, ut ait Apoſtolus, id eſt, comdemnationem ſuam. Si is qui digne edit & bibit ſervatur quia fidem habet in eum qui ſervare poteſt, & qui per fidem ſervat peccatorem, certe ille qui pro pane communi accipit quod eſt corpus Chriſti, & fidem non habet qua paſſioni Chriſti quæ nos redemit communicet, eo ipſo damnatur quia non ſervatur. Privatio lucis eſt cæcitas, privatio ſalutis eſt damnatio. Salutem ſuam edit & bibit qui cum fide edit & bibit corpus & ſanguinem Chriſti, quorum merito ſalvus fit. Damnationem ſuam contra edit & bibit, qui nihil amplius quam panem communem & vinum commune ſe ſumere arbitratur. Hæc enim ſalvandi poteſtatem non habent. Sed habet fides ejus qui in Chriſtum credit & illum pro nobis mortuum eſſe, quique paſſioni ejus communicat per ſymbola panis & vini ſanctificati, quibus eam commemorandam & celebrandam ipſe inſtituit. Eam gratiam & ſalutem cum panis ipſe non donet ſed vivifica vis corporis Chriſti, ne illa quidem pani adfixa eſt quantumlibet conſecrato, ſed

ab ejus Spiritu venit, qui fidem quaſi inſtrumẽtum ad eam adprehendendam in ipſo pane, & cum ipſo pane nobis dedit. Fidei igitur illa res eſt, non panis; fides autem ipſa donum Spiritus Sancti. Gentiles hanc vim ſuis conſecrationibus attribuebant, ut rebus per eas ita conſecratis divinitatem crederentur infundere, & ita adfigere, ut deinceps in illis ipſis rebus inhæreret, & ſemper præſens adeſſet. Sic ſimulacra Deorum dedicari & conſecrari apud eos ſolita. Per certa conſecrationis verba Deum accipere ſimulacrum illud cenſebatur è cœlo deſcendentem, & lapidi, vel æri, vel ligno ſic ſe implicantem, ut jam illic habitare numen ejus & ab eo nuſquam recedere putaretur. Ideo & adorabatur tanquam præſens Deus ſimulacrum Dei ita conſecratum, & colebatur thure, cereis, victimis:

Cum faber incertus ſcamnum faceretne Priapum,
Maluit eſſe Deum. ———

Non omnia autem ſimulacra Deorum pro Diis habebantur veris & præſentibus, ſed ea ſola quæ ad hoc conſecrationem accepiſſent, ut Dei eſſent, quia conſecratio Deum ſimulacro alligare cœlo evocatum exiſtimabatur. Idcirco & unicuique Deorum ſimulacra ex ea materia faciebant quam ipſe Deus amare credebatur, ut tanto magis in ſimulacrum ex materia ſibi placita fabricatum deſcendere & illabi cuperet. Nec ſolum obſervabant ut ex ea conveniente

veniente & congrua materia Deo ſimulacrum poneretur, ſed etiam ut ea forma fieret quæ illi Deo competeret cui dicabatur ſimulacrum. Præterea ſiderum poſitionem ad ea conſtituenda etiam ſervabant. Nam ut ſcribit Hephæſtion Thebæus, θειωδέστεραι καὶ ἐμψυχοπεποιημέναι αἱ δυνάμεις αὐτῶν οὕτω τελεσθέντων, ἐκ τῆς κοσμικῆς κινήσεως ἀποτελοῦνται. *Divinitatis pleniores magiſque animatæ virtutes ſimulacrorum ſic confectorum evadunt ex cœli motionibus.* Dixerat paulo ante, ἐν δὲ τοῖς ναοῖς καθιδρυτέον τὰ ἀγάλματα σκευασθέντα ἐν προσφόρῳ εἴδει τε καὶ ὕλῃ καθὼς οἱ σοφοὶ Αἰγύπτιοι, καὶ οἱ λοιποὶ ἀρχαῖοι παραδεδώκασι, πλείους πληθυούσης ἐπὶ φάσεως. *In templis vero conſecranda ſimulacra Deorum, in conveniente ſpecie & materia fabricata, ſicut ſapientes Aegyptii & alii antiqui tradiderunt, luna plena facie reſplendente.* Vides δύναμιν ab eo vocari divinitatem in ſimulacro Dei latentem; quæ per conſecrationis vim ibi præſens ſiſti cœlo delapſa putabatur. Sed & *conſecrare* idem eſt Latinis ſcriptoribus quod Deum facere, ut de illis qui in numerum Deorum referebantur, quæ eſt Græcorum ἀποθέωσις. Spartianus in Adriano de Antinoo delicio ejus à Græcis in Deos relato. *Et Græci quidem volente Adriano eum conſecraverunt.* In Epiſtola Antonini apud Vulcatium Gallicanum in Avidii Caſſii vita: *Hæc Cæſarem Deum fecit, hæc Auguſtum conſecravit.* Id eſt, Deum fecit. Nam idem dixit duobus loquendi modis. Ita ergo &

 ſimu-

Digitized by Google

ſimulacra conſecrari dicebantur, cum Deus cui dedicabantur, in ea certis carminibus eliciebatur, ut divinitate ſua illa repleret, & in ſimulacro Deus ipſe præſens haberi & coli videretur. Conſecratio etiam certa ad variarum rerum, animalium, & Deorum ſtatuas & effigies ritu magico defigendas adhibebatur, ut δύναμιν haberent adverſus hoſtes quoſcumque, bella, peſtem, belluas, & alia mala & incommoda quæ rebus ejuſmodi & ſtatuis ſic conſecratis averruncari putabantur. Τελέσματα Græci vocant, Arabes voce inde ducta, طلسمات. Imagines nẽpe vel ſtatuas vel annulos ad ſiderũ poſitionem facta, cum quibuſdam carminibus per quæ vim ἀλεξίκακον ſibi infuſam accipiebant. Ἀποτελέσματα etiam vocata, quia ex opere operato, ut loquuntur Scholaſtici vim & ἐνέργειαν ſuam haurire credebantur. Ἀποτέλεσμα quippe opus operatum. Ipſa hæc ἀποτελέσματα vocabantur etiam *conſecrationes*. Vt apud Lampridium in Heliogabalo: *Quum Mariomannis bellum inferre vellet dictum eſt à quibuſdam per Chaldæos & Magos Antoninum Marcum id egiſſe ut Mariomanni populo Romano ſemper devoti eſſent, idque factis carminibus & conſecratione. Quum quæreret quæ illa eſſent, vel ubi eſſet, ſuppreſſum eſt. Conſtabat enim illum ob hoc conſecrationem quærere ut eam diſſiparet.* Ita Palladium volunt fuiſſe hoc genere conſecratum. Memnonis ſtatuam, comam, Niſi, & alia de quibus plura reperies obſer-

vata

vata ad Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores. Eas conſecrationes magicas, τελετὰς, ipſa opera ſic conſecrata τελέσματα vocarunt, homines qui ea facerent τελεστὰς & τελεστικὰς & μυστικούς. Ipſa vox *conſecrationis* non aliter invenitur uſurpata apud Latinos auctores niſi hoc ſenſu, etiam apud primæ Eccleſiæ Patres cum idolorum gentilium ἀποθέωσιν taxant, & conſecratione de ſimulacris Deos fieri arguunt. Tertullianus lib. 1. adverſus Marcionem: *Hæc erit novitas quæ etiam Ethnicis Deos peperit novo ſemper ac novo titulo conſecrationis cujuſque*. Idem de corona militis: *Mortuorum eſt ita coronari, vel quoniam & ipſi idola ſtatim fiunt, & habitu & cultu conſecrationis, quæ apud nos ſecunda idololatria eſt*. Nam in libro de idololatria, de gentium diis: *Eorum imagines idola, imaginum conſecratio idololatria.* Alibi paſſim apud eum ſic hæc vox accipitur. Minutius Felix: *Nondum Deus ſaxum eſt, lignum vel argentum. Ecce ornatur, conſecratur, oratur, tunc poſtremo Deus eſt, cum homo illi voluit & dedicavit.* Ante conſecrationem lignea vel ſaxea, vel argentea ſtatua Deus non erat, poſt conſecrationem erat, & tum orabatur, & adorabatur. Quid aliud hodie facit aut credit gens Pontificia de pane Euchariſtiæ? Ante conſecrationem panis eſt, poſt conſecrationem Deus, totus & verus Chriſtus, cum omni ſuæ divinitatis atque humanitatis cenſu ac paratura. Vocem etiam *conſecrationis* ideo quaſi pro-

 priam

priam huic magicæ operationi ſumpſerunt, *benedictionis* aut *ſanctificationis* qua priores uſi ſunt Patres, repudiata. Ea Græcorum *εὐλογία* eſt vel *εὐχαριστία*. Vnde & ipſi ſacramento nomen. Hæc gratiarum actio eſt, illa benedictio. Quam longe remota notione à conſecrationis ſenſu, ut veteribus accepta eſt? Chriſtus non conſecravit panem quem dedit Diſcipulis neque calicem, hoc ritu, neque eo fini, ut quaſi carmine ſollemni ac ſacro panis ſubſtantiam converteret in corpus ſuum, aut calicis vinum in ſanguinem ſuum. Vſus eſt ea benedictione & gratiarum actione in frangendo pane quæ Iudæis fuit tum tralatitia in omni cibo & potu accipiendo, priuſquam illum deguſtarent, hunc libarent. Ritus ille benedictionis & gratiarum actionis ante omnem cibum & potum ſuper ipſam ſpeciem quam erant ſumpturi, non fuit magicus nec conſecratorius, ſed ordinarius ut ſe gratos & memores beneficiorum Dei teſtarentur à quo ipſis omnia quæ ad vitam ſuſtentandam neceſſaria forent, tam benigne & liberaliter ſuppeditarentur. Eum morem etiam ſervavit in ultima cœna ſua Dominus. Benedixit pani & vino quæ ipſe ſumpturus erat, & traditurus Diſcipulis, & gratias Deo Patri ſuper ea egit. An hæc conſecratio eſt? Nihil minus, ſi vim verbi attendamus. At *conſecrationem* vocarunt Pontificii, poſtquam eandem illi vim atque virtutem attribuerunt quam ſuis

con-

conſecrationibus aſſignabant gẽtiles. Quis Latinorum & primorum Patrum conſecrationem pro benedictione dixit, vel gratiarum actione, vel ſanctificatione? Num Tertullianus, aut Cyprianus, aut Minutius, aliique intra duo aut tria priora ſæcula? Hæc res quarti ſæculi. Inde incepit non ſolum *conſecratio* Eccleſiarum dici, ſed etiam panis, non tamen eo ſenſu, quo nunc Pontificii eam ſolent uſurpare. Conſecrationem dixerunt qua panis ſacrabatur, ac pro vulgari & communi fiebat myſticus, id eſt, ſacramentalis. Nihil enim mutare in pane conſecrato tum exiſtimabatur niſi quod eum faceret ſacramentum corporis, viſibilem utiq; rem, corruptibilem & conſumptibilem. Sic vocat Auguſtinus contra Fauſtum lib. xx. *Noſter autem panis & calix non quilibet, quaſi propter Chriſtum in ſpicis & in ſarmentis ligatum ſicut illi deſipiunt, ſed certa conſecratione myſticus fit nobis, non naſcitur. Proinde quod non ita fit, quamvis ſit panis & calix, alimentum eſt refectionis, non ſacramentum religionis.* Conſecratione panem fieri myſticum dixit, non naſci, id eſt, ſacramentalem, non corpus Chriſti verum. Manichæi vitibus & ſegetibus alligari Chriſtum dicebant, & omnibus rebus ac frugibus præſentem ineſſe. Illi proinde non mirum eſſe docebant ſi Chriſtus eſſet in pane & in vino, cum ſit in plantis ex quibus fit panis & vinum, in ſegetibus & viticulis. Non naſci talem panem

ait Auguſtinus, ſed cer■ conſecratione fieri. Qualem? Panem myſticum, id eſt, qui ſacramentum eſt corporis Chriſti. Idem apud eundem Gratianum Canon. XLIIII. Diſt. II. de conſecratione, non corpus ſuum Chriſtum manducandum carnaliter, aut carnaliter intelligendum ait præcepiſſe, ſed ſacramentum aliquod commendaſſe. *Diſcedentibus illis inſtruxit illos qui remanſerunt, Spiritus eſt, inquit, qui viviſicat, caro nihil prodeſt, verba quæ loquutus ſum ad vos, ſpiritus & vita ſunt. Intellexiſtis ſpiritaliter? ſpiritus & vita ſunt. Intellexiſtis carnaliter? Etiam ſic illa ſpiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt ſpiritus & vita, qui ſpiritaliter non intelligis. Spiritaliter intelligite quæ loquutus ſum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, & bibituri illius ſanguinem quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi. Spiritaliter intellectum viviſicabit vos.* Conſecratio tunc in Eccleſia nihil efficere amplius in pane & vino benedicto cenſebatur, niſi ut pro potu & eſu vulgari ſacramentum inde exiſteret aliquod, ut myſticus panis fieret & vinum myſticum, id eſt, continentia myſterium corporis & ſanguinis Chriſti. Hodie benedictio panis in Euchariſtiæ ſacramento ad inſtar operari creditur magicarum & gentilium conſecrationum. De pane Deum facit, & pro ſacramento divinitatem ipſam & humanitatem Chriſti præſentem in pane ſiſtit. Vtinam Patres antiqui

antiqui abſtinuiſſent ejuſmodi vocibus & loquutionibus, è gentium ritibus ac cæremoniis ſuperſtitionibuſque petitis. Vtinam temperaſſent in re ſanctiſſima, ſed & ſimpliciſſima, nominare *conſecrationes*, τελετὰς, ἱερουργίας, *ſacrificia*, δυνάμεις, *virtutes ſacramenti*. Etſi enim non ea, ut ſonabant in gentium ſacris, intellexerunt, fraudi tamen fuerunt poſteris, qui cum nomina audirent & legerent prioribus uſitata, rem ipſam ſignificari iis crediderunt, de qua illi nunquam cogitarunt. Conſecratio apud gentiles δύναμιν infundit ſimulachro & virtutem divinam. An talem δύναμιν conſecratio pani Euchariſtiæ immittit? Hæc vocabula Patres uſurparunt, non tamen eadem mente. Non enim δύναμιν aut virtutem divinam ex verbis conſecrationis inditam eſſe pani crediderunt, quamvis & Spiritum invocatum de cœlo deſcēdere dixerint, & adeſſe, & præſentia ſua vegetare & implere ſpecies elementorum in menſa Dominica poſitas. Hoc tamen errorem peperit, & ſenſim ventum eſt per gradus ab illis initiis ad extremam ſuperſtitionis tegulam, & profanationis idololatricæ ſummam. Primi & ſecundi ſeculi auctores, non virtutem ſacramenti dixerunt, non δύναμιν corporis Chriſti, non παρουσίαν πνεύματος ἁγίου. Nihil eorum ſimile protulerunt. Sed prorſum intra ſimplicitatem Euangelicam, & Apoſtolicam traditionem ſe tenuerunt. Quid dixit Apoſtolus? *Quotieſcunque*

cunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Id eſt, commemorabitis. Quinquies ibi nominavit panem & poculum. Non virtutem ullam ſacramenti, non δύναμιν, non ἐνέργειαν σώματος, non ζωοποιὸν χάριν nominavit. Quid dixit aut fecit ipſe Chriſtus cum hoc ſacramentum inſtituit? panem accepit, benedixit, fregit, tradidit diſcipulis, & præcepit illis, ut hoc facerent in ſui commemorationem. Calicem ſimiliter cum cœnaſſet accepit, benedixit, tradidit, & in eo ſe novum teſtamentum in ſanguine ſuo ſancire profeſſus eſt, & juſſit in poſterum ut hoc facerent, in ſuam commemorationem. Non hic *facere* ſacrificare eſt aut conſecrare, ut belli & acuti Doctores hariolantur, ſed id quod vulgariter ſignificat. Hoc etiam ſenſu Cyprianus accepit in Epiſtola ad Cæcilium: *Quotieſcunque, ergo*, inquit, *calicem in commemorationem Domini offerimus, id quod conſtat Dominum feciſſe faciamus. Sed vide, frater Chriſtiane, ſi quis de anteceſſoribus noſtris vel ignoranter vel ſimpliciter non hoc ſervavit & tenuit quod nos Dominus facere & exemplo & magiſterio ſuo docuit.* Non tamen abeſſe gratiam huic ſacramento, quod eſt totum commemorativum paſſionis Chriſti, putandum eſt. Sed ea gratia non eſt pani nec ſacramento per virtutem conſecrationis affixa. Nec enim extra uſum & ſumptionem ſacramenti datur, nec omni ſumenti

datur

datur, ſed fidem duntaxat habenti. Non cum pane eſt, quia cum fide eſt panem accipientis. Nec enim conſumitur morſibus, ut ait Auguſtinus, cujus hæc verba ſunt: *Sciens autem Ieſus, ait, hoc vos ſcandalizat quia dixi, do vobis carnem meam manducare, & ſanguinem bibere. Si ergo videritis Filium hominis adſcendentem ubi prius erat. Quid eſt hoc? Hinc ſolvit quod illos moverat. Hinc aperit unde fuerant ſcandalizati, hinc plane, ſi intelligerent. Illi enim putabant ſe erogaturum corpus ſuum, ille autem dixit ſe aſcenſurum in cœlum, utique integrum. Cum videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat prius, certe vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis erogat corpus ſuum, vel ſicut intelligitis, quia gratia ejus non conſumitur morſibus.* Non corpus Chriſti verum in pane vel ſine pane ſumitur, ſed gratia tantum ejus ſpiritalis quæ non conſumitur morſibus. Spiritu itaque & fide ſumitur. Corpus in cœlo eſt tanquam in loco quo continetur, veritas nihilominus adeſt ſacramento per gratiam ſpiritalem. Hæc longe abeunt ab ea opinione quæ ſancit Chriſti verum corpus eſſentialiter tranſſubſtantiatum ex pane, ſub pane & cum pane, uno & indiviſo actu, manducari, in ventrem ire, & tamdiu durare quandiu ſpecies illæ maneant, quocunq; tandem eæ corrumpantur aut diſſolvantur modo. Idem Auguſtinus in Iohannem XVI. qui nihil minus quam præſentiam corporis credidit in ſacramento

to eſſe, quod in cœlo eſſe dicit & ſemper fuiſſe ex quo reſurrexit & aſſumptum eſt. *Donec ſæculum finiatur ſurſum eſt Dominus, ſed tamen hic etiam nobiſcum eſt Veritas Domini. Corpus enim Domini in quo reſurrexit uno loco eſſe oportet, Veritas autem ejus ubique diffuſa eſt.* Enimvero, ut ſupra oſtenſum eſt, panis in Euchariſtia non ſignum eſt corporis quod reſurrexit, ſed quod in cruce fractum eſt & mortuum. Calix non ſignum eſt ſanguinis quod in venis illius corporis fuit quale vivum extitit, aut quale reſurrexit, ſed ſanguinis extra corpus effuſi. Facundus etiam Epiſcopus Hermianenſis *conſecratum* panem & vinum dixit, ſed non aliter intellexit quam ſacrum vel ſacramentum utrumque factum. Nam corpus & ſanguinem dici ait panem & vinum ſic conſecratum, non proprie, ſed quod myſterium contineant corporis & ſanguinis. Ita reliqui Patrum antiquiores accipiendi, ſi qui ea voce uſi ſunt. At nunc ſic uſurpatur ut à gentilibus ſolebat, de conſecratione magico ritu facta ad δύναμιν divinam conciliandam ita conſecratis, aut divinitatem etiam illis infundendam. Quomodocumque ſane loquuti ſint veteres Patres de hoc ſacramento, & quicquid de eo ſcripſerint, certum eſt nullam pani divinitatem aut divinam gratiam inſeparabiliter infuſam & infixam exiſtimaſſe, quamvis eorum verba eo trahi videantur poſſe ab iis qui mentem eorum parum aſſequuti ſunt. Multo minus de corpore ipſo

re ipſo vero Chriſti crediderunt ejus ſubſtantiam cum panis ſubſtantia, vel in uno ſuppoſito conjunctam, vel duobus ſuppoſitis diſtinctam, vel ſolam per ſe ſubſiſtentem ſub accidentibus ſolis panis, deſtructa & abolita panis ſubſtantia. Si aliquo uno ex his modis vel divinitatem Chriſti ſolam pani adhærere putaſſent, vel corpus ipſum præſens in pane ſeu cum pane vel ſub ſpecie externa panis eſſe, nunquam ei denegaſſent ſummum illud genus adorationis quam λατρείας nomine dixere. An putamus veteres minus reverentes, minus religioſos, minus pios circa Chriſti cultum fuiſſe quam nunc ſunt homines qui terrę munere veſcuntur? Terra malos homines nunc educat atque contemptores Dei. Non ergo probabile eſt in tanta Priſcorum θεοσεβείᾳ minorem honorem Chriſto tunc eos habituros fuiſſe in Euchariſtia, quem ibi præſentem cum ſua ſibi divinitate & humanitate perſuaſum habuiſſent, quam hodie fit à præſentiæ ejus opinione imbutis. Cur ſimulacra Deorum ſuorum Gentes colebant, cum eadem abominarentur Chriſtiani? Contraria horum & illorum perſuaſio hoc fecit. Illi Deos eſſe veros, & in ſimulacro tales habitare opinabantur, hi nihil minus. Aut igitur hodierni Pontificii idololatræ ſunt quia panem adorant, aut impii fuere primi Chriſtiani qui eum non adorabant. Vnde hæc horum & illorum diverſitas? Ex diverſis nempe perſuaſionibus.

Digitized by Google

ſionibus. Non eſſe panem, ſed Chriſti ipſius verum credunt iſti corpus id quod datur in Euchariſtia. Ergo & adorant. Illi in contraria credulitate fuerunt, ideo nec adorarunt. Cur nulla vetuſta concilia adorandam Euchariſtiam cultu latriæ ſanxerunt, ut fecit Tridentinum? Cur nulli veterum canones conſtituerunt, ut quoties ſacramentum in altari elevatum monſtratur, aut per compita circumgeſtatur, unuſquiſque capite detecto ingeniculetur, haud ſecus ac ſi Chriſtus ſe præſentem viſendum præberet, aut ſella vel lectica aperta portaretur? Cur nullus ex Patribus cultum λατρείας id eſt, adorationem quæ ſoli Deo debetur, ſacramentis exhibendam eſſe ſcripſit? Cur *venerationem* nominant cum qua ſunt accipienda, non cultum, neç λάτρειαν? Quid eſt veneratio? Ea eſt quam Græci appellant προσκύνησιν, quæ templis, vaſis ſacris, & aliis rebus, uſui divino dicatis, defertur. Hinc προσκυνητοὶ ναοὶ Græcis dicuntur, & βωμοὶ, & alia ejuſmodi. At hæc προσκύνησις, ſive veneratio, plurimum diſtat ab ea adoratione quam Deus ipſe, & Chriſtus ſibi vindicant, quam λατρείαν proprie appellarunt. Anaſtaſius Antiochenus in Epiſtola ad Scholaſticos quoſdam, ita utrumque diſtinxit, λατρείαν & προσκύνησιν. Καὶ μηδεὶς, inquit, προσκοπτέτω τῇ τῆς προσκυνήσεως σημασίᾳ. προσκυνοῦμεν γὰρ καὶ ἀνθρώπους καὶ ἀγγέλους, καὶ ἁγίους οὐ μὴν λατρεύομεν αὐτοῖς. Κυρίως γὰρ φησὶ Μωυσῆς, προσκυνήσεις τὸν Θεόν σου καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις· ὅρα πῶς ἐπὶ τοῦ δευτέρου λατρεύσεις

ὡς προσέθηκεν τὸ μόνον, ἐπὶ δὲ τοῦ προσκυνήσεις οὐδαμῶς ὥστε προσκυνεῖν μὲν ἔξεστι, τιμῆς γὰρ ἔμφασίς ἐστιν ἡ προσκύνησις, λατρεύειν δὲ οὐδαμῶς, οὐκοῦν οὐδὲ προσεύξασθαι. *Et nemo offendatur ſignificatione nominis* προσκυνήσεως, *id eſt, veneratione. Nam & homines veneramur, & angelos, & ſanctos, non etiam eos adoramus, vel eis cultum latriæ deferimus. Proprie enim dixit Moſes, Veneraberis Deum tuum, & ei ſoli ſervies. Vide quomodo ad verbum ſervies adjecit, ei ſoli, non item ad verbum veneraberis. Venerari igitur licet. Quippe veneratio honoris habet ſignificationem, ſed neutiquam* λατρεύειν *oportet. Et proinde nec invocare.* Hieronymus in Epiſtola ad Theophilum Alexandrinum eadem veneratione ait proſequenda vaſa ſacra quæ altaris miniſterio ſerviunt, atque ipſum ſanguinem myſticum, qui calice continetur, & myſticum corpus quod in patenis reponitur. *Mirati ſumus*, inquit, *in opere tuo utilitatem Eccleſiarum ut diſcant qui ignorant eruditi teſtimonia ſcripturarum qua debeant veneratione ſancta ſuſcipere, & altaris Chriſti miniſterio deſervire, ſacroſque calices & ſancta velamina & cætera quæ ad cultum pertinent Dominicæ paſſionis, non quaſi inanima, & ſenſu carentia ſanctimoniam non habeant, ſed ex conſortio corporis & ſanguinis Domini eadem qua corpus ejus & ſanguis majeſtate veneranda.* Notandum corpus & ſanguinem hic ab eo vocari eo ſenſu quo Ephraimium ſupra docuimus σῶμα Χριστοῦ appellare, quod ſua ſubſtantia ſen-

ſibili non excidere dixit, nec ab intelligibili ſeparari gratia. Nempe panis eſt ſanctificatus qui propriam ſubſtantiam non amiſit, & ſanctitatem acquiſivit, τὸ ἁγιασμὸν, ut loquutus eſt Clemens. Hinc & *ſanctum* abſolute vocabatur, ut ſupra docuimus. Sed & ipſa vaſa miniſterii ſacri ſic etiam vocabantur, ut in verbis Hieronymi ſupra citatis apparet, *qua veneratione debeant ſancta ſuſcipere*. Vaſa Euchariſtiæ ſervientia ſic appellat, quæ & ſanctimoniam habere ait, & propterea eadem veneratione tractanda eſſe quo ipſam Euchariſtiam ſanguinis & corporis quæ in his ponitur & exhibetur. Ea Latinorum *veneratio*, Græcorum eſt προσκύνησις. Optimæ Gloſſæ Philoxeni. *Venerari*, προσκυνεῖν. *Veneratio*, τιμὴ, σέβασμα. *Veneratur* προσκυνεῖ, σεμνύνεται. *Venerabilis*, προσκυνητέος, σεμνός. Hinc & *homines venerandi* Latinis, & *venerabiles*, id eſt, σεμνοὶ, qui non utique ſunt adorandi, nec invocandi, nec colendi cultu Deo ſoli debito. *Sancti* etiam appellabantur, homines viventes, à morum ſanctitate qui venerandi quoq; ob eam ſuntvitæ ſanctimoniam. Προσκυνεῖν igitur, ſic & ſimpliciter poſitum nihil aliud ſignificat quam venerari & honorem exhibere qui debitus eſt rebus & perſonis ſanctis. At λατρεύοντα προσκυνεῖν, cultu latriæ eſt adorare qui Deo ſoli competit. Iovius Monachus: Δηλονότι καὶ ἡ ἄλλη τῶν ἀσωμάτων διακόσμησις νόων τῷ μετὰ σαρκὸς παραγεγονότι λατρεύουσι προσκυνῇ. *Manifeſtum quod & ſpiritum*
incor-

incorporeorum ordo cum carne venientem venerabunda adorabat. At nunc panem & vinum Pontificii quaſi corpus & ſanguinem Chriſti verum, & tranſſubſtantiatum non ſimpliciter προσκυνοῦσιν, ut veteres fecerunt, ſed λατρεύοντες προσκυνοῦσι. Conſtat quidem ex iis, quæ ſupra demonſtrata ſunt, primam & priſcam Eccleſiam uſque ad octavum ſæculum delapſam nihil de Tranſſubſtantiatione corporis audiviſſe nec crediſſe, nec proinde adorandam cultu latriæ Euchariſtiam cenſuiſſe. Quod tamen etiam debuiſſe videntur facere, ſi vel ſolam divinam ſubſtantiam vel eſſentiam, vel Spiritum Sanctum in ipſo pane præſentem ineſſe exiſtimaſſent. Cum vero plurimi Patrum in ea fuiſſe ſententia videantur ob expreſſiones quibus uſi ſunt cum exceſſu aliquo ſermonis editas, non vere eos ita ſenſiſſe rebus ipſis & apertis pignoribus oſtendemus. Conſiderarunt, ut dixi, omnes communicantes fideles, tanquam rite & cum fide ac devotione debita accedentes ad hæc ſacramenta participanda. In ipſa participatione communicatur rite & reverenter accipientibus gratia illa ſpiritalis & virtus ſalutaris quam Patres pani per fidem ſumentium, ex S. Sancti operatione inviſibili & ſecreta, & in corda tantum agente, adjici dixere, non extra uſum in ipſo pane inhæret adfixa ex opere operato conſecrationis. Inde eſt quod non reſpicienda eſſe τὰ προκείμενα & τὰ ὁρώμενα dicunt, id

 eſt,

eſt, ad panem & vinum conſecratum, quæ ſunt terrenæ & viſibiles ſpecies, ſed animum eſſe attollendum, & oculos mentis levandos ad inviſibilium & ſupernaturalium contemplationem, & ad pulcritudinem eorum ineffabilem recurrendum. Hæc eſt res ſacramenti, id eſt, quam ſacramentum ſignificat, non in ipſo pane niſi figuraliter reperiunda, ſed in cælo corporaliter quærenda, in corde ſpiritaliter recondenda. Corpore Dominico in mēſa ſacra poſito utrimque aſtabant miniſtri cum flabellis ex alis ad inſtar Seraphinorum factis, quæ ſuper ſacramenta motitabant, ὡς ἂν μὴ ἐῶσιν, inquiunt Patres, τοὺς τελουμένους τοῖς ὁρωμένοις ἐναπομένειν, ἀλλὰ παντὸς προσύλου ὑπερβαίνειν γινομένους νοεροῖς ὀφθαλμοῖς διὰ τῶν ὁρωμένων ἐπὶ τὴν ἀοράτων θέαν καὶ τὸ ἀμήχανον ἐκεῖνο κάλλος παρασκευάζωσιν ἀναδραμεῖν. Argumento hæc ſunt non eos crediſſe in ipſis ſacramentis viſibilibus ineſſe divinitatem corporis Chriſti, quam in ſupernis eſſe inveſtigandam admonent, & ſolis mentis oculis contemplandam, nec in terrenis morandum, ubi fruſtra requireretur. Addunt continuo, καὶ γὰρ τῷ σωματικῶς τοῦ δεσπότῃ παρόντι φόβῳ καὶ τρόμῳ τὰ Σεραφὶμ ὑπηρετεῖ. *Nam & Domino corporaliter præſenti, & in cælis agenti, Seraphini cum tremore & metu inſerviunt.* Peſſime legerunt, & expoſuerunt; *Nam tum etiam cum corporaliter Dominus præſens eſſet cum timore & tremore Seraphini ei inſerviebant.* Vtroque tamen ſenſu declaratur. Dominum non jam corporaliter adeſſe in ſacramento

mento, quia cum in terris ageret corpore tum præſens erat, & nunc in cœlo corporali præſentia moratur, non vero in pane myſtico. Vt legi tamen debet ac verti, planius, & expreſſius ſignificat corpus Chriſti in cœlo nunc eſſe corporaliter tantum, ubi & ei Seraphini cum tremore ac timore miniſtrant. Quem tremorem figurant flabella ex alis facta & ſuper ſacramentum agitata, quando & ipſius corporis quod in cœlo eſt figuram panis & vinum hîc repræſentant. Ad illud igitur exemplar quod Seraphini, id eſt, ἑξαπτέρυγα, in cœlo nunc corporaliter Chriſto conſiſtenti inſerviunt, ita cũ flabellis alarum ad ipſum corpus myſticum ventilandum miniſtri adſtabant in Eccleſia medii ævi, οὗτινος φόβου καὶ τρόμου αἴνιγμα εἶναι καὶ τὴν γινομένην διὰ τῶν πτερῶν κίνησιν, ἣν τὸ ὑπηρετούμενον ἐνεργεῖ. *Cujus timoris & tremoris figuram eſſe motitationem quæ fit per alas à ſubdiaconis utrimque adſtantibus.* In cœlo igitur Chriſtus eſt corporaliter, in pane Euchariſtiæ ſacramentaliter, in corde communicantium ſpiritaliter. Inde omnes Patres, ut dixi, docent non eſſe attendendum τοῖς προκειμένοις & ὁρωμένοις quæ terrena ſunt, pani nempe & vino, ſed altius mentem attollendo credere ipſum Agnum qui pro nobis immolatus eſt in menſa Domini jacere, ut eſt apud Gelaſium Cyzicenum. Similia habent alii. Quibus ſignificant, tametſi illa terrena ſymbola corporis & ſanguinis Domini appellatione impertiantur, in

cœlo tamen corporaliter eſſe tantum, & mentem eo uſque evehendam, ut ibi quæratur in veritate Agnus qui in menſa per figuram tantum jacet. Non opus eſt ὑψώσαι τὴν διάνοιαν, ſurſum corda attollere & cogitationes, ut Agnum in menſa poſitum intueamur. Hoc ergo vult oculis mentis in cœlo eſſe contemplandum corpus cujus figuram in menſa poſitam cernimus. Auguſtinus Tractatu in Iohannem CVI. ad illa verba, Nunc autem ad te venio: *Vnde manifeſtum eſt eum de corporali ſua dixiſſe præſentia. Cum eſſem cum eis ego ſervabam eos, veluti jam cum eis ea præſentia non eſſet. Eo modo enim ſignificare voluit aſcenſionem ſuam mox futuram, de qua dixit, Nunc autem ad te venio, iturus utique ad dextram Patris, unde venturus eſt ad vivos & mortuos judicandos præſentia itidem corporali ſecundum fidei regulam ſanamque doctrinam. Nam præſentia ſpiritali cum eis erat utique futurus poſt aſcenſionem ſuam, & cum tota Eccleſia uſque in conſummationem ſæculi.* Ante aſcenſionem ſuam cum in corpore adhuc eſſet Chriſtus, præſentia corporali fuit cum ſuis, poſt aſcenſionem in cœlo eſſe cœpit eadem præſentia corporali, & exinde ſpiritali tantum præſentia futurus cum fidelibus uſque ad conſummationem ſæculi. Tunc præſentia iterum corporali venturus eſt judicare vivos & mortuos. Hæc vel claritate ſua ſolem provocant. Spiritu ubique ſuo Chriſtus eſt, corpore tantum in cœlo. Ita & in corde

fidelium

fidelium ſpiritaliter habitat, ut in ſacramento eſt figurative. Hieronymus in Pſalmum XLI. *Siquidem Pagani Deos ſuos digito oſtendunt & ob hoc ingerunt mihi improperia. Vnde ſciant quia ego mente Deum meum reconditum teneo, & per interiorem hominem cum ipſo habito.* Si tunc in Eccleſia valuiſſet ea opinio quæ nunc valet in Romana, paganis illis ſuis potuiſſet dicere Hieronymus, immo & debuiſſet, ite, venite mecum ad Miſſam noſtram dum celebratur, & ego ibi vobis oſtendam Deum meum. Sane oſtendiſſet illis elevatum inter manus ſacerdotis in cruſtulo iconico conſecrato ita viſendum, ut Deus paganorum tunc in aliqua conſecrata icuncula ab illis monſtrabatur. Sed in corde & in mente tum reconditum duntaxat Deum ſuum habuere Chriſtiani, non in pane ſacramenti abſconditum. Secundum eam Hieronymi ſententiam & Ambroſius loco jam ſupra citato, vel quiſquis eſt auctor librorum de Sacramentis: *Accipe & aliud quia quemadmodum Spiritus Sanctus in corde, ita etiam Chriſtus manet.* Igitur ne in ſacramento quidem ſpiritalis eſt præſentia Chriſti, ſed in corde eorum qui digne & cum fide ſacramenta percipiunt. Si vixiſſet Averroës intra octo priora ſæcula Eccleſiæ nunquam dixiſſet ſe nullam vidiſſe aut noviſſe religionem abſurdiorem Chriſtiana quæ Deum ſuum comedit. Vſque ad octavum quippe ſæculum neque corpus Chriſti, neque divi-

nitatem ejus in pane ſacramenti, quaſi infuſam, ſubſtantialiter ineſſe Eccleſia credidit Chriſtiana. Quod ex iis quæ circa hujus ſacramenti confeƈtionem, adminiſtrationem, diſtributionem, ſumptionem & venerationem, certo certius licet deprehendere. Ne quidem ex his quæ obſervata ſunt à priſca Eccleſia in uſu & ritu omni Euchariſtiæ celebrandæ id poteſt intelligi quod ex ſcriptis Patrum quidam arguunt colligi poſſe in eo ſacramento unionem eſſe hypoſtaticam divinitatis Chriſti & ſubſtantiæ panis & vini. Talis quippe unio hypoſtatica ſubſtantiæ divinæ, & ſubſtantiæ panis non minus requireret cultum λατρείας à communicantibus & fidelibus quam præſentia realis & corporalis per Tranſſubſtantiationem, ut eam adſtruunt Pontificii. Præſens ſane divinitas in pane non minore nec diſſimili adoratione proſequenda eſſet ac corpus ipſum præſens. Nam humanitatem Chriſti propter conjunƈtam cum eo divinitatem adoramus. Hæc cum objeciſſem olim Epiſcopo Aurelianenſi tanquam validi teli inſtar contra doƈtrinam Romanam de ſubſtantia panis abolita, vim ſentire viſus eſt hujus argumenti, ſed ut eam eluderet tum minatus eſt ſe oſtenſurum eſſe libris de hoc editis, diminutam hodie potius eſſe venerationem cultus quem exhibebant huic ſacramento priſci, quam auƈtam. Atque id etiam plane aggreſſus eſt probare, duobus

libris

libris jam publicatis quem ſequuturus erat tertius, niſi morte præventus fuiſſet. Sed nunquam id quod voluit, præſtare potuiſſet. Quid enim apertius quam nihil tale veteres de ejus myſterii adoratione Latrica ſanxiſſe aut obſervaſſe quale nunc ſervatur, & quod de eo adorando ſancitum eſt poſt hæreſin Tranſſubſtantiationariorum introductam? Per gradus & numeros quis neſcit rem iſtam proceſſiſſe, ac prout opinio hominum adjecit ſubinde aliquid novæ majeſtatis aut miraculi huic myſterio, ita & creviſſe iiſdem paſſibus ejuſdem veneratione͂, quæ poſtremo ſic adaucta ſit, ut in idololatriam abſolutam degeneraverit. Primo non dubitabatur hunc panem myſticum æque in ſeceſſum per excrementa abjici, ut alium panem vulgarem. Qua de re locus eſt Origenis inſignis. Poſtea circa ſæculum quartum perſuaſio invaluit, nihil ex iſto pane quod excrementis ſecerneretur exiſtere, ſed totum quantu͂ ſumeretur in corporis σύςασιν converti. Hoc Cyrillus & Chryſoſtomus diſerte tradunt qui tamen ſubſtantiam panis & vini nihiloſecus credunt remanere. Corruptibilem eſſe panis illius ſubſtantiam non antea ambigebatur, poſtremo negatum eſt ullo modo corrumpi, ab illis etiam qui non recipiebant ſubſtantiæ tranſmutationem. Apud antiquiores quilibet de menſa ſacra partem ſuam ſumebat. Cum enim poſt unius panis benedictionem confrin-

 gcretur

geretur in particulas & buccellas, de his in patina poſitis omnes communicaturi, ſuam quiſque μερίδα, accipiebant. Inſtitutum deinde, ut teſtatur Tertullianus, ut de præſidentium manibus ſinguli eas acciperent. Poſtea etiam alia novatio facta eſt. Epiſcopi eas dabant Presbyteris, Presbyteri Diaconis, Diaconi Laicis. Clementis etiam ætate in Alexandrina Eccleſia non eas dabant ſacerdotes, ſive præſidentes, Laicis, ſed è patina vel diſco omnes ſumebant, ut ex his ejus verbis liquet Stromateo I. Ἤ καὶ τὴν εὐχαριστίαν τινὲς διανείμαντες, ὡς ἔθος, αὐτὴν δὴ ἕκαστον τοῦ λαοῦ λαβεῖν τὴν μοῖραν ἐπιτρέπουσι. *Quemadmodum & Euchariſtiam quidam, ut mos eſt, ubi diviſerunt, permittunt unicuique ex populo ſuam partem ſumere.* Prioribus aliquot ſæculis Eccleſiæ panis in menſa poſitus benedicebatur, confringebatur in partes, diſtribuebatur, non in altum tollebatur, non monſtrabatur communicaturis fidelibus. Poſtea receptū eſt, ut priuſquā confringeretur panis, elevatis manibus quaſi benedicendus Deo offerretur. Hujus elevationis mentio eſt in vita Euurtii Aurelianenſis Epiſcopi à Lucifero Subdiacono ſcripta, qui Euurtius vixit Conſtantini magni temporibus & Sylveſtris Papæ: *Et ecce in hora confractionis panis cæleſtis cum de more ſacerdotali hoſtiam elevatis manibus tertio Deo benedicendam offerret præfatus antiſtes, apparuit velut nix ſplendida ſuper caput ejus manus porrectis digitis oblatum benedicens.* Ecce

Ecce elevari ter ſolita hoſtia priuſquam in partes confringeretur, & hoc fine elevata, ut quaſi Deo protenderetur benedicenda. Cum enim eo tempore myſtica prece adventus Spiritus Sancti invocaretur ad benedicendum panem, quaſi venienti Spiritui occurſura ut ab eo benedictionem acciperet, in altum tollebatur. Elevationis hujus meminit & Amalarius Fortunatus lib. III. cap. XXIV. de Eccleſiaſticis officiis: *Quod actitatur à ſacerdote quando ſuſcipit oblatam in ſecreto miſſæ, aut quando hic eam elevat.* In Liturgiis Græcis Baſilii & Chryſoſtomi mentio etiam occurrit hujus elevationis, quæ quamvis nomine ementito eorum auctorum legantur, veteres tamen eſſe conſtat. Sed non ea parte qua vulgo putant ea elevatio memoratur in Liturgia Baſilii in his verbis orationis myſticæ ad invocandum Deum factæ, ut mittere dignaretur Spiritum Sanctum ad benedicenda & ſanctificanda dona propoſita & ea efficienda corpus & ſanguinem Chriſti: Σου δεόμεθα, καί σε παρακαλοῦμεν, ἐλθεῖν τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον ἐφ᾽ ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα καὶ εὐλογῆσαι αὐτά, καὶ ἁγιάσαι, καὶ ἀναδεῖξαι. Hæc ἀνάδειξις nihil omnino pertinet ad eam elevationem de qua diximus, ſed id ſignificat quod diximus. Deſunt tamen verba ad loci ſententiam integrandam neceſſaria, καὶ ἀναδεῖξαι τὸν μὲν ἄρτον αὐτὸ τὸ τίμιον σῶμα, τὸ δὲ ποτήριον αὐτὸ τὸ τίμιον αἷμα. Ita enim legitur apud Marcum Epheſi-

mum,

mum, & verbum ἀναδεῖξαι per ſe ſolum poſitum non poteſt id ſignificare. De oſtenſione porro per elevationem in eadem Liturgia Baſilii paulo poſt legitur, in hæc verba, εἶτα τὴν κεφαλὴν ὑποκλίνας ὁ διάκονος δείκνυσι σὺν τῷ ὠραρίῳ τὸ ἅγιον ἄρτον καὶ λέγει μυστικῶς, εὐλόγησον τὸν ἅγιον ἄρτον, Oſtendebat nimirum Diaconus panem *ejum elevando cũ orario & dicebat ſecreto, Benedic Domine, hunc panem.* Eadem faciebat & dicebat in elevando & monſtrando calice, εὐλόγησον δέσποτα τὸ ἅγιον ποτήριον, *Benedic Domine hunc ſacrum calicem.* Quæ conveniunt cum more Latinorum modo & fine, quo elevabatur hoſtia & offerebatur Deo benedicenda. Sed hæc elevatio fiebat in Græcia per Diaconum poſtquam precem myſticam peregiſſet Presbyter vel Epiſcopus, qua conſecratio fieri cenſebatur. Eutychius apud Nicætam ἀνάδειξιν eam appellat quia protenderetur Deo panis & calix, ut ea benediceret. In Liturgia quæ falſo præfert nomen Chryſoſtomi iiſdem verbis hæc oſtenſio legitur expreſſa, ut apud Baſilium. Non tamen hæc elevandæ & monſtrandæ hoſtiæ fortaſſean tam vetus fuit in Eccleſia Græca conſuetudo, ut eorum ætate uſurpari ſolita putari debeat. Cyrillus non ejus meminit, nec alius quiſpiam illius ævi Patrum Græcorum. Alio fine recentiores eam elevationem fieri docent quam veteres. Nam ea ſignificari elevationem

nem Chriſti in cruce iſti dicunt, de qua nihil traditum antiquis. Vt ut ſit cum elevaretur olim nemo ſe inclinabat fidelium qui videbat, nemini adorabatur. Honorius demum tertius in elevatione hoſtiæ ut populus inclinaretur conſtituit, initio ſæculi XIII. Notandum quod in Eccleſia Græca Diaconi erat officium eum elevare, non Presbyteri, ad quem proprie ſpectabat eam conſecrare. Iidem Diaconi populo panem & calicem dividebant. In quibuſbuſdam Eccleſiis Epiſcopi panem populo dabant, Diaconi calicem, ut videre eſt in conſtitutionibus Apoſtolicis, lib. VIII. cap. XIII. Καὶ ὁ μὲν ἐπίσκοπος διδότω τὴν προσφορὰν, ὁ δὲ διάκονος καταθέτω τὸ ποτήριον, καὶ ἐπιδοὺς λεγέτω αἷμα Χριστοῦ· *Diaconus deponat, hoc eſt, ponat in manus communicantium, calicem; & in tradendo dicat, ſanguis Chriſti.* Apud Cyprianum de lapſis, Diaconi dant calicem & in Ordine Romano. Alio loco idem Pſeudoclemens cap. XXVIII. Diaconos nec poſſe benedicere panem dicit, neque benedictionem dare, id eſt, εὐλογίαν, quæ Euchariſtia eſt panis, διάκονος οὐκ εὐλογεῖ, οὐ δίδωσιν εὐλογίαν. An hæc Euchariſtia eſt? Paulo poſt tamen ait ab Epiſcopo aut Presbytero factam oblationem, tradere populo, non tanquam ſacerdotem, ſed tanquam miniſtrantem ſacerdotibus. Vix video ſane quomodo aliter exponi queant illa, διάκονος οὐκ εὐλογεῖ, οὐδὲ εὐλογίαν δίδωσι, quam de benedictione panis & cali-

cis & de Euchariſtiæ traditione quam aliis locis etiam vocat εὐλογίαν. At paulo poſt ſequitur Diacono non licere προσφέρειν neque βαπτίζειν. Vbi προσφέρειν, eſt offerre ſacrificium corporis & ſanguinis. Nam qui offerebat is etiam benedicere dicebatur panem & calicem, id eſt, conſecrabat. Quod eſt εὐλογεῖν. Hæc tam varia oſtendunt diverſis temporibus, & à diverſis alio atque alio modo interpolatum fuiſſe hunc auctorem. Sed & εὐλογία eo loco quem ſupra ex eo citavimus, fortaſſean accipi debet de benedictione qua ordinabantur Presbyteri & Epiſcopi, ut etiam ſæpe accipitur, & εὐλογίαν διδόναι pro benedictionem dare, ut dabatur Pœnitentibus & Catechumenis. Ita intelligi debere ſuadet omnino locus ejuſdem ſubdititii Clementis eodem libro I. capite XXVIII. Vbi dicit Epiſcopos, εὐλογεῖν οὐκ εὐλογεῖσθαι, & εὐλογίαν παρὰ ἐπισκόπων λαμβάνειν, παρὰ δὲ πρεσβυτέρων ὁμοίως. Item cap. XLVI. Diacono non licere ait, προσφέρειν θυσίαν, ἢ βαπτίζειν, ἢ εὐλογίαν μικρὰν ἢ μεγάλην ποιεῖσθαι. De quibus nos plura alias in Tractatu de ordine Eccleſiaſtico. Aliquando tamen dedere Diaconi Euchariſtiam ipſis Presbyteris. Quod ne fiat in poſterum vetitum legitur canone XVIII. Nicæno. Quin & ſacram oblatam aliquando ante Epiſcopum ipſum attingebant, idque interdicitur illis eodem canone. Κακεῖνο δὲ ἐγνωρίσθη ὅτι ἤδη τινὲς τῶν διακόνων καὶ πρὸ τῶν ἐπισκόπων τῆς εὐχαριστίας ἅπτονται. Dionyſius Exiguus vertit,

vertit, *Sacram oblatam contingant*. Sic enim apud eum legendum. *Oblata* eſt oblatio, ut *miſſa* miſſio. Non ſolum Diaconis interdum licuit ſed etiam ſubdiaconis, calicem benedicere, quem & dabant. Immo etiam ſubdiaconis aliquando id conceſſum. Quod eos facere prohibuit, cum antea nimirum id facerent licito, Canon Laodicenus, ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας ἄρτον διδόναι, οὐδὲ ποτήριον εὐλογεῖν. *Quod non oporteat ſubdiaconos panem dare, vel calicem benedicere.* Diaconis igitur utrumque facere hoc canone licuit, & panem dare, & calicem benedicere. Recipiebant autem Laici è manu Diaconi panem & calicem in manum ſine adoratione, ſed cum veneratione duntaxat. Προσκυνήσιν & σέβασμα vocat Cyrillus, quæ longe diſtant à cultu Latrico. Μετὰ τὸ, inquit, κοινωνῆσαι τοῦ σώματος, Χριστοῦ προσέρχου καὶ τῷ ποτηρίῳ τοῦ αἵματος, vel ut eſt in veteri quodam libro, τῷ τιμίῳ καὶ ἁγίῳ αἵματι, κύπτων, μὴ ἀνατείνων τὰς χεῖρας, ἀλλὰ καὶ τρόπῳ προσκυνήσεως, καὶ σεβάσματος, λέγων τὸ ἀμήν. *Poſt communicationem corporis Chriſti accede, & ad calicem ſanguinis non protendens manus, ſed inclinatus in modum venerationis ac reverentiæ.* Diximus ſupra quid eſſet προσκύνησις, nempe idem quod *veneratio* Latinis. Σέβασμα idem ſignificat, & ἐπεξηγηματικῶς hoc poſuit Cyrillus. Theocritus: σέβου μ', Ἑλένης φυτὸν εἰμί. *Venerare me, ſum Helenæ arbor.* Res ſanctas & auguſtas, id eſt, augurio ſacratas, σεβαστὰς Græci appellant. Vnde & σεβάσμιος, vir reverendus

ac

ac venerandus, qui & σεμνὸς ab eodem origine. Paulus non damnat eos, nec reos facit ſanguinis & corporis Chriſti, qui panem & vinum Euchariſtiæ non adoraverint cultu latriæ, ſed qui ἀναξίως, indigne, panem illum ederint, & calicem biberint. Illud ἀναξίως non ita interpretantur veteres Patres quaſi debeat adorari Euchariſtia ut digne ſuſcipiatur, ſed cum veneratione, reverentia, devotione, & humilitate ſuſcipi ajunt debere, ut digne accipiatur. *Adorationis* verbo aliquando uſi ſunt Patres Latini, ſed eo ſenſu quo προσκυνῶσιν Græci uſurparunt. Auguſtinus in Pſalmum XCVIII. *Ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit. Nemo autem carnem illam manducat niſi prius adoravit, & non ſolum non peccamus adorando, ſed peccamus non adorando.* Hoc eſt, quod dixit Cyrillus loco paulo ante citato, τρόπῳ προσκυνήσεως καὶ σεβάσματος. Alibi *honorandi* vocabulo uſus eſt idem Auguſtinus in ſententiis Proſperi: *Non autem in ſpecie panis & vini quam vidimus, rem inviſibilem, id eſt, carnem & ſanguinem honoramus.* Subjicit Cyrillus poſt verba ſuperius adducta, epoto calice ſi quid in barbis hæſerit ex vini liquore, id manibus eſſe abſtergendũ, & frontem oculoſque & aures eo humore fricandos & ſanctificandos. An ſi putaſſent ipſiſſimum eſſe ſanguinem Chriſti hærentibus ex eo in barba guttulis, frontem & oculos aliaſque vultus partes de terſiſſent? Hodie cavent Sacerdotes quibus

bus ſolis licet eſſe tam beatis, ut de calice ſancto bibant, ne quid in myſtacibus reſideat ex vino ſacrato, piaculare eſſet ſi vel minimæ guttulæ punctum in barbam caderet. Ideo nec barbas habent nunc ſacerdotes qui olim bene longas gerere debebant, utpote quas vetitum eſſet radere. Nunc vero radere jubentur, præcipue in labro ſuperiore, ne madidentur immerſæ in calicem liquore ſanguineo? Sic & panem priuſquam in os mitterent qui in manum acceperant de manu Diaconi fideles, oculis admovebant, & os eo tangebant in ſanctificationem. Idem Cyrillus, μετ' ἀσφαλείας ἐν ἁγιάσης τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐπαφῇ τοῦ σώματος μεταλάμβανε, *Poſtquam oculos ſanctificaveris tactu Sancti corporis, in os ſume & manduca.* Melioribus & prioribus ſæculis hæc non fiebant, ut ex Iuſtino & aliis conſtat. Hoc tempore non fit, ſed alia ratione, quia ſcilicet corpus ipſum Chriſti putatur eſſe, & ipſe ſanguis ejus. Idcirco ſolis ſacerdotibus qui fecerunt & creaverunt hoc corpus & hunc ſanguinem, licet tangere & tractare quod condiderunt. Ea gratia & in os indunt communicantium, non in manus dant, ut ipſe Chriſtus tradidit Diſcipulis ſuis. At credibile eſt ita ipſum Dominũ hoc inſtituiſſe ſacramentum, quomodo & in poſterum ab Eccleſia ſua voluit celebrari. Hodie ne fidelibus quidem ex plebe licet tangere & contrectare vaſa Euchariſtiæ dicata quæ conſecrata ſint.

Nam & omnia conſecrant ut etiam fecere gentiles, loca, utenſilia, ædes, aras, ipſos etiam homines. Ita ſacrata vaſa nefas ab aliis attrectari niſi ab hominibus ſacratis. Atqui ſancta illa vaſa non ſunt niſi ex conſortio & contactu rerum ſanctarum quibus continendis deſtinata ſunt, pani & vino myſtico. Cæterum fideles laici etiam corpus Domini, etiam calicem in manum accipiebant, reſervabant, domum portabant, ſudariis involvebant, in arcis condebant, inde ad uſum quoties ſumere vellent depromebant. Hæc omnia ſatis teſtata ſunt & omnibus jam nota, ut non opus ſit teſtimonium ſcriptis Patrum denuntiare, quibus id probetur. Miſſitabatur per parochias Euchariſtia olim eodem prorſum modo quo poſtea inſtitutum miſſiculari Eulogias ſic proprie dictas, quæ *panis benedicti* nomine nunc appellantur. Euſebius libro quinto Hiſtoriarum Eccleſiaſticarum capite vigeſimo ſexto Ἀλλ' αὐτοὶ μὴ τηροῦντες οἱ πρεσβύτεροι τοῖς ἀπὸ τῶν παροικιῶν τηροῦσιν ἔπεμπον εὐχαριστίαν. Hæc Irenæus ad Victorem Eccleſiæ Romanæ Epiſcopum de differentia Paſchæ celebrandæ, quibus ſignificat anteceſſores Victoris in ſignum & teſſeram communicationis miſiſſe etiam illis Euchariſtiam qui ab ipſo diſſentirent. Hic mos obtinuit in Græcia uſque ad concilium Laodicenum, id eſt, annum Chriſti trecenteſimum ſexageſimum quartum, quo

quo demum vetitum ne nomine Eulogiarum mitteretur Euchariſtia: Περὶ τοῦ μὴ τὰ ἅγια εἰς λόγον εὐλογιῶν κατὰ τὴν ἑορτὴν τοῦ πάσχα εἰς ἑτέρας παροικίας διαπέμπεσθαι. Ergo ante illius Synodi tempora mos fuit mitti τὰ ἅγια, pro Eulogiis. Non majorem itaque tunc honorem & reverentiam ipſi Euchariſtiæ exhibebant, quam ei pani cui nomen poſtea *Eulogia* fuit. Certe & εὐλογίαν olim pro ipſa Euchariſtia dixerunt, ut notatum viris doctis. Ad ægrotos portabatur Euchariſtia primo per Acoluthos, poſtea per Diaconos. De Acoluthis teſtatur vita Stephani Martyris ac Pontificis, temporibus Valeriani & Gallieni, *Alia enim die invenerunt milites paganorum Acoluthum nomine Tarſicum, Chriſti corporis ſacramenta portantem, quem tenentes pagani atque diſcutientes quid gereret, ut indicaret.* Hiſtoria quæ apud Euſebium legitur de Serapionis famulo, cui dedit Presbyter deferendam ad dominum Euchariſtiam jam moribundum, hujus rei abunde fidem facit. Hodie quid fit, aut quomodo portatur ad infirmos? Sacerdos ipſe ferre debet capite detecto. Qui eum comitantur ex domeſticis aut vicinis ægroti cui defertur, ſimiliter capite nudato incedunt. Sub οὐρανίσκῳ fertur ſerico, verſicolore, cereis hinc inde accenſis. Præcedit acoluthus cum campanula qua ſonat aſſidue, ut obvios admoneat quid ſui ſit officii facere. Qui occurrunt per quos dimotos ſibi viam

facit, in genua procumbunt & adorant. Etiam qui vicinas plateæ domos inhabitant, audito ſono campanulæ, quod non vident adorant. Sciunt enim quid feratur. Si quis ſit in platea per quam incedit qui ſciens aut imprudens non ingeniculetur, male multatur à præſentibus. Eat nunc & dicat Epiſcopus Aurelianenſis diminutam hoc tempore potius quam auctam venerationem quæ ſacramento debetur. Simplex illa veneratio antiquorum quæ Euchariſtiæ habebatur, verſa eſt in ſupremam idololatriam. Quis hoc poſſit negare? Non ergo eandem ſuper Euchariſtia habuerunt opinionem antiqui quam habent hodierni. Si habuiſſent utique & pari cultu eam proſequuti eſſent. Per gradus & numeros ad ſumma ventum eſt, non ſtatim ab imo ad cacumen adſcenſus factus. Rhemenſe cōcilium vetat ne deinceps laico vel fœminæ ſacrum corpus tradatur deferendum infirmis. Apud Gratianum de conſecratione Diſtinct. II. canon. XXIX. *Pervenit ad noſtram notitiam quod quidam Presbyteri in tantum parvipendant divina myſteria ut laico vel fœminæ ſacrum corpus Domini tradant deferendum infirmis & quibus prohibetur ne ſacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis ſancta ſanctorum committantur.* Hoc *horribile* vocant & *deteſtabile.* Nec mirum ſæculo tam infimo & antiquorum morum neſcienti. Atqui olim in promiſcuo id uſu fuit, cum & acoluthis & famulis infirmo-

infirmorum committeretur ad ipſos deferendum. Cum ipſi laici & fœminæ in Eccleſia acceptum reſervarent, domi privatim quandocunque vellent, ſumendum. Qui ſibi portat & ſemetipſum per ſe communicat, nonne ad alios poterat deferre? Si famulus ipſus ægroti, ſi acoluthus deferebat, cur non laico cuilibet idem licuiſſet? In ipſo neceſſitatis caſu cum nullus in propinquo Presbyter eſſet, aut Epiſcopus, ut ſæpe contingebat perſequutionis tempore, tralaticium fuit ætate Tertulliani, ut ipſi laici panem benedicerent & calicem, ac ſacramenta ſibi adminiſtrarent. De quo inſignis eſt locus ejuſdem Tertulliani in libro exhortationis ad caſtitatem, ſicut recte emendatus eſt ex vetuſtiſſimo exemplari: *Ideo ubi Eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, & offers & tingis, & ſacerdos es tibi ſolus.* Καὶ προσφέρεις, καὶ βαπτίζεις, id eſt, panem benedicis & per te communicas Euchariſtiæ, & baptiſmum das. Nugabatur enim Epiſcopus Aurelianenſis qui illud *offerre* aliter intelligi voluit, cum paſſim ſic poni ſoleat abſolute apud Græcos Patres pro θυσίαν προσφέρειν. Auctor Apoſtolicarum conſtitutionum, lib. VIII. cap. XXVIII. de Diacono, οὐ βαπτίζει, οὐ προσφέρει, *Non tingit, nec offert.* Eadem ſententia omnino videtur fuiſſe Patrum concilii ſexti in Trullo, canon. LVIII. quo non obſcure ſignificatur licuiſſe tum laicis ſi non adeſſet Epiſcopus vel Presbyter vel Dia-

Diaconus divina myſteria ſibi ipſi adminiſtrare & dare. Sic enim ſancit: Μηδεὶς τῶν ἐν λαϊκοῖς τεταγμένων ἑαυτῷ τῶν θείων μυστηρίων μεταδιδότω, παρόντος ἢ πρεσβυτέρου, ἢ διακόνου. *Nemini liceat eorum qui in ordine ſunt laicorum ſibi ipſi divina impertire myſteria, ſi præſens ſit Epiſcopus vel Presbyter vel diaconus.* Ergo ſi nullus ex iis adſit, licet. Per μεταδιδόσιν autem quod ultimum eſt in actione totam actionem comprehendit, ipſamque adeo conſecrationem. Si de ſola quippe traditione in manus placeat intelligi, id non cohærebit. Nulla enim ſynaxis unquam celebrata eſt cui non intereſſet vel Epiſcopus, vel Preſbyter qui Eccleſiam teneret, & cui miniſtraret aliquis Diaconorum. Cum ex ante conſecratis communio fiebat, hoc eſt, ut loquebantur tunc Græci, ἐκ τῶν προηγιασμένων, etiam tum adeſſe debuit Epiſcopus vel Presbyter, vel Diaconus aliquis. Non extat quippe exemplum factæ in templo myſteriorum celebrationis & communionis cui nemo ex ordine Eccleſiaſtico & ſacerdotali præeſſet aut intereſſet. Intellexere igitur Patres illi citra neceſſitatis caſum nulli laicorum licere offerre, & ſemetipſum communicare. Olim quidem, ut paulo ante notavimus, de patina vel diſco partem ſuam ſumebant communicantes, etiam præſente Presbytero vel Epiſcopo, ſed permittente ut acciperent, ἐπιτρέποντος, ut ait Clemens Alexandrinus. Sed de eo ritu non videntur Trullenſes

lenſes Patres accipiendi, cum dicant, παρόντος ἐπισκόπου ἢ πρεσβυτέρων. Non enim dari poteſt caſus quando præſentes non fuerint, niſi in peregrinatione aliqua inter barbaros & infideles, ut ſæpe negotiorum cauſa homines tunc temporis peregre ibant. Vbicunque igitur copia eſſe poterit Epiſcopi aut Preſbyteri, vel etiam Diaconi, nolunt laicos ſacramenta ſibi adminiſtrare, ſecus ſi nulli adſint nec haberi poſſint. Anachoretæ, Baſilio teſte, qui hac in re eo tempore non differebant à laicis quia ſacerdotes non erant, aſportabant panem ſacratum in Eremum, & ibi privatim per ſe & à ſe communicabant corpori & ſanguini, ut eſt in Epiſtola ejus ad Cæſarium Patricium. Πάντες, inquit, οἱ κατὰ τὰς ἐρήμους μονάζοντες ἀφ' ἑαυτῶν μεταλαμβάνουσι. Si laicis, immo etiam & fœminis, permiſſum eſt neceſſitate exigente baptiſmum conferre; quæ ratio poteſt vetare ne idem laici in Euchariſtia uſurpent? De baptiſmo eadem omnia Patres dixerunt ut de Euchariſtia, nec plus ei venerationis tribuerunt aut ſanctitatis quam baptiſmo, nec minorem ejus ſumendi neceſſitatem omni fideli incumbere crediderunt, quinimmo & aliquanto majorem. Vel hoc unum certe quod citra neceſſitatem laici acceptam in Eccleſia Euchariſtiam reſervabant, domum ferebant, & ibi privatim cum liberet ſibimetipſis à ſe communionem darent, ſatis oſtendit non idem

eos ſenſiſſe de præſentia reali & corporali Chriſti in hoc ſacramento, ut hodie dogma eſt. Alio etiam argumento non minus invincibili & confectario id demonſtrabimus ex reliquiis quæ ſupererant poſt communionem omnibus fidelibus datam. Illæ reliquiæ non minorem merebantur venerationem quam id ipſum de quo data fuerat communio. Eadem quippe benedictione vel conſecratione erant ſanctificatæ. Nunc ſi ex eo quod circa illas obſervabatur, & quomodo eas conſumi moris eſſet, aut quibus abſumendæ dari ſolerent, oſtendimus luce clarius patere; nullam putaſſe veteres in pane de quo omnes participabant, factam ſubſtantiæ cõverſionem, numquid amplius requiretur? Iam hoc apertis pignoribus monſtrabimus. Variavit quidem hæc res pro temporibus, atque aliter aliterque de his ſtatuerunt diverſæ Eccleſiæ ætates, quia non idem ſemper viſum eſt omnibus Doctoribus & Canoniſtis, id eſt, iis, qui Canonicas Epiſtolas ſuper variis ad conſcientiam pertinentibus quæſtionibus conſulta reſcribebant. Perinde enim ut ſuperſtitio creſcebat circa hoc ſacramentum, ita opiniones etiam hominum Eccleſiaſticorum ad majorem ſubinde inclinabant iſtis myſteriis tribuendam majeſtatem ac divinitatem. Sed tamen ex pluribus modis qui obſervati ſunt in his reliquiis utendis aut abutendis, nullus eſt qui adſtruat quicquam

illos

illos de Tranſſubſtantiatis elementorum ſpeciebus cogitaſſe, donec tandem eo perventum eſt, ut provideretur, ne ullæ fierent amplius reliquiæ. Quocunque enim modo eas conſervaſſent, aut abſumpſiſſent, non poterant efficere, ut ratio ipſis conſtaret fanaticæ ſuæ opinionis & monſtrifici dogmatis. Primo & altero ſæculo ſub Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus non aliter communicationem corporis & ſanguinis Chriſti frequentabant quam in Agapis, conviviis ita dictis, ad quæ omnes fideles conveniebant ut una cibum ſumerent tam profanum quam ſacrum. Eas epulas qui ditiores erant copiis ſuis inſtruebant, pane & vino & reliquis cibis, & ſic pauperes fratres qui nihil à ſe poterant afferre & conferre, paſcebant. In his conviviis eodem pane & eodem vino quo communis cœna fuerat apparata, ſacram etiam, id eſt, Euchariſticam, conficiebant. Vna eademq; quippe benedictione panem eum qui eſui communi paratus erat quique ſancto uſui deſtinatus, ſanctificabant. Atque id plane more Iudaico & Apoſtolico, quem & Dominus in ſua Cœna Paſchali inſtituerat, ut nihil quicquam guſtarent eſui & potui, niſi prius benedictione & gratiarum actione ſanctificatum. Iuſtini ſæculo non aliter panem & vinum ſibi oblatum ad communionem faciendam benedicebat is qui præſidebat conventui, & actionem adminiſtrabat, quam εὐχαριστία, id eſt, gratia-

rum actione. Atque inde nomen huic ſacramento. Chriſtus poſt reſurrectionem ut probaret diſcipulis ſe non eſſe Phantaſma, ſed corpus verum habere, ſicut ante habuerat, una cum ipſis in diverſorio panem fregit & comedit, de more prius benedictum, *Accepit panem ac benedixit, & porrigebat illis.* In iſtis igitur Agapis nihil reliquiarum fiebat de quibus dubitari poſſet quid illis eſſet faciendum. Vnus idemque panis eodem modo benedictus utrique epulo ſerviebat, ſacro & profano. In illlis porro Agapis primitivæ Eccleſiæ frequentatis aut à communione Dominici corporis inchoabant convivium, aut in eam deſinebant. Certum eſt utrumq; modum, ſed diverſis temporibus, fuiſſe uſitatum. Primis & Apoſtolicis ex Chriſti inſtituto inter ipſam cœnam communio fiebat, & ex pane communi. Poſt Apoſtolos, ut videtur à communione incipiebant, & tum demum poſt eam peractam in eadem menſa, & ex eodem pane epulum profanum inſtaurabant. Notat Hieronymus in 1. ad Corinthios c. XI. ex primitivæ Eccleſiæ conſuetudine poſt communionem, quæ de ſacramentis ſuperfuerant in cœna communi ab epulantibus una conſumpta fuiſſe: *Cœna autem ideo dicitur quia Dominus in Cœna tradidit ſacramenta. Item hoc ideo dicit quia in Eccleſia convenientes oblationes ſuas ſeparatim offerebant, & poſt communionem quæcunque eis ſacrificiis ſuperfuiſſent, illa in Eccefia*

communem

nem cœnam comedentes pariter conſumebant. Ex quibus etiam verbis hoc liquet, omnes oblationes eadem benedictione fuiſſe ſanctificatas, & præter id quod inſumptum fuerat in communionem, reliquos omnes panes & reliquum vinum in Cœna communi à convivantibus fuiſſe conſumptum. Certe nec in Cœna ultima ſua Chriſtus alio pane uſus fuerat ad cibum utrumque. Poſt epulum commune, ſicut à Chriſto fuerat inſtitutum, Cœnam ſacram de eodem pane quem uſurpaverant cœnantes, celebrabant, vel ſi à communione eam auſpicati eſſent, ut poſtea factum, ex reliquiis communionis, id eſt, pane & vino quæ ſuperfuerant, cœnam communem inſtruebant. Priorem morem diu retinuere aliquæ Eccleſiæ, ſaltem certis diebus anni aut ſeptimanæ, quo veſtigia inſtitutionis primæ ſic conſervarent. In Ægypto, ut auctor eſt Sozomenus, pleriſque urbibus & vicis, diebus omnibus Sabbathi pranſi ſolebant convenire ad Synaxin ſub veſperam, & ſacræ cœnæ communicare. In Africanis Eccleſiis ſemel in anno id factitabant, Dominicæ nempe cœnæ die, ut cibo ſumpto Euchariſtiam ſumerent, ad cuſtodiendam inſtitutionis primæ memoriam. An ſi credidiſſent corpus & ſanguinem Domini ſe edere & bibere, ex pane & vino, ſubſtantiæ mutatione, converſum ſaturi utrumque accepiſſent? Neutiquam. Sed & ubi placuit à jejunis ſumi debere, eo ipſo teſtati ſunt ſe pa-

ſe panem quidem ſanctiorem quam eſt communis, ſumere, ſed non ipſam carnem Chriſti comedere. Nam Euchariſtiæ ſumptione jejunium ſolvi perſuaſum habuere. Quod nunc nulla perſuaſione ita eſſe animum inducere poſſent Pontificii. Sic mutata res mutata opinione. Deſito more Agaparum, quando viſum eſt Eccleſiæ hunc honorem haberi debere Dominici corporis & ſanguinis communicationi, ut ſeorſim à communi cibo ac potu perciperetur, ad eam cœnam ſacram ditiores quoque panem & vinum afferebant, de quibus communio in omnes divideretur eo prorſum modo quo antea ad Agapas omnia quæ erant neceſſaria utrique manducationi & potui qui per facultates id poterant, largiter conferebant. Turpe tunc habitum eſt ſi quis idoneus & aſſiduus nihil offerret ad menſam illam ſpiritalem, quo præparari & inſtrui poſſet. Pane & vino tantum opus erat. Indignum itaque cum videretur & inhoneſtum ſi dives de pauperis pane & vino participaret, cum nihil ipſe attuliſſet, ideo certatim locupletes, & præcipue matronæ, largas oblationes quotidie faciebant. De quo jam ſatis in Epiſtola dictum eſt. Illæ oblationes, præcipue quæ pane & vino conſtabant, nam & aliorum generum plurimæ à variis offerebantur, una eademque benedictione in altari poſitæ ſacrabantur. Inde ſumebatur, ex omni nimirum copia ſic benedictorum panum,

num, quantum ſufficere videbatur ad omnes communicantes fideles impertiendos. Quodcunq; ergo reſiduum erat tam ex pane quam ex vino, poſt communionem impletam, cedebat uſui clericorum, & περισσευμάτων nomine vocabatur. Id nos docet Pſeudoclemens vetuſtiſſimus ſane auctor, ſed mire & miſere multis locis incruſtatus & interpolatus. Is lib. VIII. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. XXX. tractat de decimis & primitiis, ut offerri debeant primitiæ Epiſcopo & Presbyteris Diaconiſque ad eos alendos, decimæ autem cedere debeant in alimentum cæterorum clericorum & viduarum, & virginum pauperum. Sequenti capite agit περὶ περισσευμάτων, id eſt, de reliquiis oblationum panis & vini. Quo nomine, ut dixi, intellexit, quicquid ſuperfuerat de pane & vino oblatis, ubi ſumptum fuiſſet inde id quod in communionem erogaretur. Vocat etiam περισσευούσας εὐλογίας, *benedictiores ſuperabundantes*. Nempe quia εὐλογίαι etiam tunc dicebantur buccellæ quæ unicuique fidelium pro communione dabantur. Ergo reliquiæ & id omne quod ſuperfuerat εὐλογίαι erant περισσεύουσαι. Illæ vero εὐλογίαι quas communicantes accipiebant, vocabantur μυστικαί. Cyrillus in Epiſtola ad Neſtorium: προσίεμεν δὲ οὕτω ταῖς μυστικαῖς εὐλογίαις, καὶ ἁγιαζόμεθα, *Ita accedimus ad myſteria eulogias, & ita ſanctificamur.* Ergo ſuperfluæ illæ eulogiæ & reſtantes poſt

communi-

communionem quamvis eadem benedictione ſacratæ forent cum myſticis quarum erant reliquiæ, non tamen pro myſticis habebantur, neque vice ſacramenti accipiebantur ab illis qui eas comedebant. Tradit eo capite ſubdititicius Clemens, ex ſententia Epiſcopi & preſbyterorum clero toti eſſe dividendas illas περισσευούσας εὐλογίας, ita ut partes inde ferat quattuor Epiſcopus, tres Preſbyter, duas Diaconus, reliqui de Clero, ut ſubdiaconi, lectores, Pſaltæ, & Diaconiſſæ, partem unam. Sic in decem partes ſcindebantur, quarum quaternæ Epiſcopo cedebant, ternæ Presbyteris, binæ Diaconis, una reliquis omnibus clericis. Hæ reliquiæ non ab his conſumebantur tanquam myſticæ eulogiæ, nec loco ſacramenti eas ſumebant. Sed domi eis veſcebantur, ut pane communi. Sic enim neceſſario intelligendum, nec aliter omnino poteſt. Vna porro eademque benedictione panem & vinum omnium fidelium qui obtulerant, ſolere primis temporibus conſecrari evincit Hilarius Diaconus in Epiſtolam ad Corinthios 1. capite XI. his verbis: *Hos notat qui ſic in Eccleſiam conveniebant, ut munera ſua offerentes advenientibus Preſbyteris, quia adhuc rectores Eccleſiis non omnibus locis fuerant conſtituti, totum ſibi qui obtulerant vindicabant ſchiſmatis cauſa. Diſſenſionem enim inter eos Pſeudo-apoſtoli ſeminaverant, ita ut oblationes ſuas zelarentur, cum una eademque benedictione*

omnium

omnium oblationes benedicerentur, ut ii, qui, ut aſſolet fieri, non obtulerant aut unde offerrent non habebant, pudore correpti confunderentur, non ſumentes partem, & tam cito illud agebant, ut ſupervenientes non invenirent quod ederent. Reprehendit conſuetudinem Apoſtolus, quæ tum apud Corinthios invaluerat, ut convenientes in Eccleſiam unuſquiſque ſuum ſumeret quod obtulerat, tam ad cœnam communem cum fratribus participandam, quam ad ſacram. Et loquitur quidem ibi Hilarius de temporibus Apoſtolicis, cum dicit una eademque benedictione omnium oblationes fuiſſe benedictas. Sed & ipſe Pſeudo-clemens de more etiam Apoſtolico ea tradit qui videtur duraſſe uſque ad ea tempora quibus ſcripſit. De oblationibus autem quibus communio peragebatur eundem Hilarium intellexiſſe, quæ ſequuntur apud eundem, fidem faciunt. *Munus enim*, inquit, *oblatum totius populi ſit, quia in uno pane omnes ſignificantur: per id enim quod unum ſumus, de uno pane omnes ſumere oportet.* Merito igitur placuit illo tempore cum tantum fieret reliquiarum ſive περισσευμάτων, ut quantumcunque oblatum eſſet panis & vini, id eo nomine intelligeretur, excepta ea parte de qua communio erat facta, ut in clericorum commoda & annonas eæ oblationum reliquiæ converterentur. Poſtea viſum eſt conſultius ut ex omnibus oblationibus privatorum oculo arbitrante æſtimaret Epi-

ſcopus

ſcopus, vel ſi quis Presbyterorum ſynaxin teneret, vel archidiaconus, quantum ſufficere poſſet ad dandam præſentibus communionem. Eam partem ſepoſitam & ſelectam in altari poſitam benedicebant, benedictam comminuebant in partes ſive buccellas ſingulis viritim dividendas. Non ita autem juſte quantum ſufficeret arbitrari unquam potuerunt, quin aliquantum ſupereſſet. Hoc enim potius curabant ut redundaret aliquid, quam ut minus eſſet. Hunc morem tangit auctor Ordinis Romani ſane antiquus & qui ante ſæculum octavum ſcripſit, utpote cujus meminerit aliquot locis Amalarius Fortunatus: *Tunc accipiens archidiaconus per ſubdiaconum oblatas hinc inde porrigentes eas, ponit tantas ſuper altare, quantæ poſſint populo ſufficere.* Solæ igitur ſuper altare ponebantur conſecrandæ, de quibus erat explicanda communio. Reliquæ non item, ut paulo poſt clarius exponam. De illis igitur oblationibus quæ deſtinatæ erant communioni, quæ conſecratæ & in partes cōfractæ, ſi quid reliquiarum manſiſſet quæ non multæ erant, quæque in buccellis minutis conſiſtebant, quid de his eſſet faciendum, non una ſemper neque ubique fuit ſententia. Vt Catechumenis abſumendæ darentur alicubi video probatum. Hoc tamen improbat Theophilus Alexandrinus canone VII. qui vult à clericis eas conſumi, & à fidelibus laicis. Τὰ προσφερόμενα, inquit, εἰς λόγον θυσίας,

θυσίας, μετὰ τὰ ἀναλισκόμενα εἰς τὴν τῶν μυστηρίων χρείαν οἱ κληρικοὶ διανεμέσθωσαν, καὶ μήτε κατηχούμενος ἐκ τούτων ἐσθιέτω ἢ πινέτω, ἀλλὰ μᾶλλον οἱ κληρικοὶ καὶ οἱ σὺν αὐτοῖς πιστοὶ ἀδελφῶν. *Quæ offeruntur ratione ſacrificii poſt quam illa impenſa fuerint in uſum myſteriorum, clerici ea inter ſe dividant, nec quiſquam Catechumenus ex illis comedat aut bibat, ſed potius clerici & cum iis fideles fratrum.* Quocunq; igitur modo eas tum conſumerent reliquias clerici, & fideles laici, non tanquam ſacramenta ſumpſiſſe, ediſſe & bibiſſe certum eſt, ſed vice panis communis & vini, ac tametſi ſanctiores haberentur, non ſic tamen ut ſacramentorum locum & ordinem haberent. In Africana Eccleſia Catechumenis videntur ad comedendum & bibendum fuiſſe conceſſæ. Et de his puto intellexiſſe Auguſtinum, cum ſcripſit libro II. de peccatorum meritis, de Catechumenis loquens, *Et quod accipiunt quamvis non ſit corpus Chriſti, ſanctum tamen eſt, & ſanctius quam cibi quibus alimur.* Quæ verba Auguſtini utrum ad panem vinumque quibus confecta jam erat Euchariſtia referri debeant, cogitandum amplius eximius Grotii Petavius ait. Ego vero nec ambigendum puto, quin eo referri debeant. Nam ex Theophilo liquet quem ſupra produximus, in quibuſdam Eccleſiis Catechumenis reliquias ex confecta Euchariſtia; & peracta communione reſtantes dari ſolitas. Præterea panem & vinum eſſe quod daretur Catechumenis,

 ſatis

ſatis declarat Auguſtinus cum dicit, id quod accipiunt quamvis non ſit corpus Chriſti, ſanctum tamen eſſe & ſanctius quam cibi quibus alimur. Si panis & vinum fuit quod dabatur Catechumenis, nihil veriſimilius eſt quam eum panem & illud vinum fuiſſe quod ſupererat ex communicatione Euchariſtiæ omnibus fidelibus diſtributæ. Cum hoc igitur eſſet quaſi ſacramentum Catechumenorum quod ſuperfuiſſet reliquum ex Euchariſtia celebrata, jam hinc conſtat ex uno pane eadem benedictione conſecrato, partem in verum ſacramentum corporis & ſanguinis Dominici ceſſiſſe, quod dabatur nimirum fidelibus, partem vero nec pro ſacramento habitam quæ Catechumenis conſumenda dabatur, quibus nondum communicare corpori & ſanguini Chriſti licuit. Non igitur tunc credidere Patres, ex opere operato, virtute conſecrationis panem fieri corpus Chriſti, & vinum ſanguinem, cum panis & vinum eodem modo conſecratum, ſi Catechumeni ſumerent, corpus eſſe Chriſti non exiſtimarent. Aliquando pueris impuberibus dandas eas eſſe reliquias decreverunt. Et ſic mos obtinuit in Eccleſia Conſtantinopolitana imperante Iuſtiniano, ut docet Euagrius libro quarto, capite xxxv. qui & morem hunc antiquitus receptum in ea Eccleſia fuiſſe tradit. Ἔθος βύλεται παλαιὸν, ἀνὰ τὴν βασιλεύουσαν ὅτε πολύ τι χρῆμα τῶν ἁγίων μερίδων τοῦ ἀχράντου σώματος τοῦ Θεοῦ ἡμῶν

ἐνα-

ἐναπομείνοι, παῖδας ἀφθόρους μεταπέμπεσθαι γίγνεσθαι ἀεὶ τῶν εἰς γραμματοδιδασκάλους φοιτώντων καὶ ταῦτα κατεσθίειν, *Vetus conſuetudo in urbe Regia vult, ut ſi quando multa exiſtant partes ſanctæ puri & inviolati corporis Chriſti Dei noſtri, ſuperfuerint, pueri impuberes qui ludimagiſtrorum ſcholas frequentant, inde arceſſantur, quibus dentur comedendæ.* Pueri iſti qui per ætatem communicandi jus non habebant corpori Chriſti, eas buccellas ex Euchariſtia remanentes, haud plane aliter quam panem communem manducabant. Certe non tanquam ſacramentum corporis ejus accipiebant & comedebant. Interdum & pauperibus legere memini datas. Fuere etiam qui comburendas cenſerent. Atque hunc morem fuiſſe Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Preſbyter Hieroſolymitanus indicat commentarii in Leviticum libro 11. ubi narrat quomodo lex Moſis carnem & panem qui ſuperfuiſſent nec comeſtæ fuiſſent à ſacerdotibus, præceperit igni tradendas & conſumendas. *Quod etiam*, inquit, *nunc videmus in Eccleſia fieri, ignique tradi quæcumque remanere contigerit inconſumpta.* Non mirum ſi ea Eccleſia cui Iudæi rectores præfuerunt uſque ad Hadriani tempora, hunc morem conſumendarum igne reliquiarum ex ſancta Euchariſtia remanentium habuit, quem ad exemplum Iudaicæ legis & cæremoniæ videtur inſtituiſſe ac ſervaſſe. Sed cum has reliquias panis in corpus Chriſti ſanctificati combure-

 bure-

Digitized by Google

burerent, an ipſum corpus Chriſti ſe comburere tum crediderunt? Nihil minus. Atqui credere debuerunt ſi panem in corpus Chriſti tranſſubſtantiatum eſſe credulitas ſtultis tunc perſuaſiſſet. Nam quis hodie ſic credentium ſuſtineret comburere hoſtiam, aut combuſtam videre aut pati? Piaculum eſſet ſanguine litandum auctoris, ſi quis hoc tempore tale nefas perpetraret. Non igitur eadem tunc opinio fuit ut nunc eſt, ubi tam diverſa inſtituta valuerunt. Væ illi Reformato qui tale quid auſus eſſet! Vidi ſuper rota cruciabiliter confractis cruribus & brachiis necatos, qui hoſtias conſecratas per templum ſparſiſſe accuſati eſſent, quamvis falſo. Prætereuntē quando ad infirmos cum pompa fertur, qui non adoraret capite detecto & genibus in luto fixis, pugnis & fuſtibus egregie depexus & male mulcatus abiret. Olim ſine noxa & piaculo, ex more comburebatur. Recte tamen Doctores hodierni, & ſecundum ea quæ docent, *hoſtias conſecratas, quamvis mucidas, comburere immane eſſe ſacrilegium* pronuntiant. Antiqui ne mucidæ fierent, eas igne concremandas curabant, aut catechumenis comedendas tradebant, aut pueris impuberibus, aut clericis, aut aliis fidelibus, ſed non ſacramenti vice futuras. Tantum abeſt ut extra uſum & ſumptionem qua tanquam myſterium corporis percipiebantur, quidquam iis ineſſe divini exiſtimarent.

rent. Multo minus in ſubſtantiam corporis converti virtute conſecrationis, aut verborum Chriſti profeſſione putabant. Cum eo pane & vino myſtico, dum in altari conſecrabatur, alia etiam munera oblata eadem benedictione ſanctificari olim ſolita ſi doceamus, an non rem factam habebimus quam volumus? Quis enim quid contra reſpondeat? Aut enim illa quæ parem percipiebant benedictionem æque in corpus Chriſti convertebantur ut ea nunc putantur converti, aut non tunc pro converſis habebantur cum alia tali benedictione minime converterentur. Concilium in Trullo canon. XXVIII. notat hunc fuiſſe plurimarum eo tempore Eccleſiarum morem, ut uvæ offerrentur ſimul cum vino & pane ſacramenti, & uvæ illæ cum corpore & calice fidelibus per miniſtros altaris traderentur. Ἐν διαφόροις ἐκκλησίαις μεμαθήκαμεν σταφυλῆς ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ προσφερομένης κατά τι κρατῆσαν ἔθος τοὺς λειτουργοὺς ταύτην τῇ ἀναιμάκτῳ τῆς προσφορᾶς θυσίᾳ, οὕτως ἅμα τῷ λαῷ διανέμειν ἀμφότερα. Vbi Latinus interpres Pontificius, προσφερομένην ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ σταφυλὴν, maligne & inſcite vertit, *uvam ad altare allatam*, cū debuerit reddi, *uvam in altari oblatam, ex quadam quæ obtinuit conſuetudine incruentæ oblationis ſacrificio conjungentes, utraque ſimul populo dividere miniſtros altaris.* Scilicet diſſimulare conati ſunt eandem in illis Eccleſiis fuiſſe oblationem in altari, & conſe-

 cratio-

crationem, & in populum pro ſacramento diſtributionem uvæ, panis & vini. Atqui ita eſt. Nam uva ſimul cum pane & vino offerebatur in altari, conſecrabatur, & fidelibus diſtribuebatur per miniſtros altaris, quos λειτουργοὺς appellat, id eſt, per ſacerdotes. Damnant quidem & merito hanc pravam conſuetudinem, ſive, ut loqui nunc amant, abuſum, Patres illius concilii, ſed non ob eam rationem quod panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti converterentur ſubſtantialiter, uva autem non poſſet hanc converſionem ſuſcipere quamvis pari conſecratione ſanctificata. Statuunt enim ad vivificationem & peccatorum remiſſionem panem & vinum oblata ad altare & ſanctificata populo debere impertiri, uvæ autem oblationem loco primitiarum eſſe habendam & ſeorſim à ſacerdotibus benedicendam ſpeciali cum gratiarum actione, ad eum qui largitor eſt talium donorum & fructuum quibus corpora noſtra augentur & aluntur, & ſic eam petentibus impertire. Idem interpres σταφυλῆς προσένεξιν in verbis canonis Græcis quæ eſt *uvæ oblatio*, inepte & male *uvæ allationem* reddit. Eadem ratione moti Patres Africani canone XXXVII. ſanxerunt, *Vt in ſacramentis corporis & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis & vinum aqua mixtum, primitias vero, ſeu mel & lac, quamvis in altari offerantur,*

ferantur, ſuam tamen habeant propriam benedictionem, ut à ſacramento Dominico corporis & ſanguinis diſtinguantur, nec amplius in primitiis offeratur quam de uvis & frumentis. Apparet ex hac prohibitione morem etiam in Africa tunc invaluiſſe, ut in ſacramentis corporis & ſanguinis cum pane & vino, etiam lac & mel offerretur, item uvæ & frumenta, eandemque benedictionem hæc omnia ſimul acciperent, & cum ſacramentis corporis & ſanguinis darentur. Idem concilium ſextum in Trullo canone XXXVII. vetat etiam *in altari mel & lac offerri.* ὅτι οὐ χρὴ ἐν τοῖς θυσιαστηρίοις μέλι καὶ γάλα προσφέρεσθαι. Et ſane omnia quæ in altari offerebantur eandem cum pane & vino divinorum myſteriorum, benedictionem percipiebant. Nec vetat quod Patres Africani dicunt, lac & mel quamvis in altari offerantur, propriam tamen debere habere benedictionem ut à ſacramentis corporis & ſanguinis Dominici diſtinguerentur. Cujus rei rationem paulo poſt reddam. Sed & canones nomine potius quam veritate Apoſtolici, antiqui tamen, Epiſcopos & Presbyteros offerentes præter Domini inſtitutionem ad ſacrificium in altari alia quæpiam, ſeu mel aut lac, aut pro vino ſiceram, aut alia vina facticia, aut gallinas, aliaque animalia, deponendos ſtatuunt. In verbis Græcis perperam Pontificii editores hæc corruperunt, Εἴτις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος παρὰ τὴν τοῦ κυρίου διάταξιν τὴν

Digitized by Google

τὴν ἐπὶ τῇ θυσίᾳ, προσφέρει ἕτερα τινὰ ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον. Quæ & ſic Latine reddiderunt, *Si quis Epiſcopus aut Presbyter præter Domini conſtitutionem de ſacrificio, ad altare offerat alia quæpiam*. Volunt nimirum nos intelligere conſtitutionem Domini de ſacrificio fuiſſe, τὴν τοῦ Κυρίου διάταξιν τὴν ἐπὶ τῇ θυσίᾳ. Cum nihil minus Dominus inſtituere cogitarit quam ſacrificium corporis ſui & ſanguinis, quando inſtituit ſacramenta ejuſdem corporis & ſanguinis ſui. Sed Græca in authenticis aliter habent, hoc nempe modo, εἴτις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος παρὰ τὴν τοῦ Κυρίου διάταξιν, ἐπὶ τῇ θυσίᾳ προσφέρει ἕτερα τινὰ ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον. Senſus eſt, *Si quis Epiſcopus aut Presbyter præter Domini conſtitutionem, ad ſacrificium ſuper altare obtulerit alia quæpiam*. Hoc eſt quod dixerunt Africani, cum idem conſtituerent, *Vt in ſacramentis corporis & ſanguinis, nihil amplius offeratur, quam quod ipſe Dominus tradidit*. Hæc eſt Domini διάταξις & traditio, qui in ſacramentis corporis & ſanguinis ſui inſtituendis, nihil dedit niſi vinum & panem. Dionyſius Exiguus, Græca optime expreſſit in verſione ſua ad hunc modum: *Si quis Epiſcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini, alia quædam in ſacrificio offerat ſuper altare, id eſt, aut mel aut lac, aut pro vino ſiceram & confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra conſtitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.*

Ex

Ex quibus liquido patet tunc tēporis illa ſuper altari in ſacrificium poni ſolita cum ſacramētis panis & vini, & eandem omnino benedictionem ſive cōſecrationem recipere. Non igitur ea ætate qua iſta fiebant, perſuaſio tenuit hominū mentes illa quæ ſic offerebantur in altari & conſecrabantur in ſacrificio cum pane & vino, converti in corpus & ſanguinem Chriſti. Ex eodem canone conſtat Apoſtolico tertio, qui divulſus eſt à priore apud Dionyſium Exiguum, & quartus ordine ponitur, non offerri aliud licere ſancitum ad altare præter novas ſpicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama, id eſt, incenſum, tempore quo ſancta celebratur oblatio. Sic recte reddidit Dionyſius Exiguus. In Græcis eſt, Μὴ ἐξὸν δὲ ἔσω προσάγεσθαι ἕτερον πρὸς τὸ θυσιαστήριον. Vbi interpres Pontificius vertit, *Licitum autem non eſto admovere aliud ad altare quam oleum.* Cur noluit προσάγεσθαι eſſe *offerri?* Atqui hoc ipſum ſignificat, idemq; eſt quod προσφέρεσθαι, quod etiam προσκομίζεσθαι dicitur, ut & προσκομιδὴ eſt oblatio. Eadem notione & προσαγωγὴ reperitur poſita apud Eulogium Archiepiſcopum Alexandrinum contra Novatianos, his verbis ut in Photio leguntur, Καὶ γὰρ ἡ παρ' ἡμῶν ἐπιτελουμένη τοῦ σώματος τοῦ Κυρίου τελετὴ οὐ θυσιῶν ἐστὶ διαφόρων προσαγωγὴ ἀλλὰ τῆς ἅπαξ προσενηνεγμένης θυσίας ἀνάμνησις. Quæ ſic reddita Latine oportuit: *Etenim tremendum quod à nobis celebratur Dominici corporis ſacramentum, non eſt*

plurium ſacrificiorum oblatio, ſed oblati ſemel ſacrificii commemoratio. Ieſuitæ, qui vim videbat horum verborum, quo eam enervaret atque eliderct ſic diſſimulato eorum ſenſu, vertere placuit: *Etenim tremendum corporis Dominici ſacrificium quod à nobis perficitur, non varia ſacrificia producit, ſed commemoratio eſt hoſtia ſemel oblata.* Προσαγωγὴ non eſt productio, ſed προαγωγή. At προσαγωγὴ eſt oblatio, ut προσάγειν offerre in canone Apoſtolico, ex quo diſcimus eos à quibus ille canon conditus eſt, licitum velle in altari offerri ſpicas & uvas & oleum ad luminaria & incenſum, quo tempore oblatio fiebat, καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς. Id eſt, cum panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti benedicebantur, & ſanctificabantur. In altari igitur hæc poſita, cum pane & vino eandem benedictionem accipiebant. χίδρα in Græcis dicuntur. Sunt novæ fruges vel frumenta in ſpicis. Hic mos primitiarum offerendarum ad altare & in altari benedicendarum totus à Iudaico ritu. Vnde in Levitico II. ἐὰν δὲ προσφέρῃς τὴν θυσίαν τῶν πρωτογεννημάτων τῷ κυρίῳ, νέα πεφρυγμένα χίδρα ἐρικτὰ τῷ κυρίῳ. Cum uvis ſimul offerri ſolebant. Frumentum & uvæ junguntur in Canone Africano: *Nec amplius in primitiis offeratur quam de uvis & frumentis.* Quia ſe frumentum Chriſtus dixerat & vitem haud ſecus quam panem, & panem corpus ſuum appellaverat, ideo & frumentum & uvas una cum pane & vino

ca-

eadem benedictione ſacrabant. Hinc Arnobius in Pſalmos: *Accepimus frumentum in corpore, vinum in ſanguine.* Auguſtinus quoque frumentum corporis Chriſti ſignum eſſe ait de Civitate Dei lib. XVI. capite XXXVII. *Ejus eſt benedictio de rore cæli, hoc eſt, de verborum pluvia divinorum. Et de ubertate terræ, hoc eſt, de congregatione populorum. Ejus eſt & multitudo frumenti & vini, hoc eſt, multitudo quam colligit frumentum & vinum in ſacramento corporis & ſanguinis ejus.* Panis ex frumento, ut vinum ex vite. Chriſtus ſe frumentum appellavit, ſe vitem, panem dixit eſſe ſuum corpus. Quas appellationes, ut figuratæ ſunt, & per ſimilitudinem quandam expreſſæ, ita ſuas habere rationes & explicationes antiqui Patres docent. Vt panis ex multis granis, ita corpus Chriſti ex multis membris, id eſt, Eccleſia ipſius. Cyprianus in Epiſtola ad Magnum: *Nam quando Dominus corpus ſuum panem vocat de multorum granorum adunatione congeſtum, populum noſtrum quem portabat indicat adunatum.* Ita multa grana ſunt in pane, ut in frumento, ſed in hoc integra, in illo comminuta in farinam. Vt panis autem ex farina & aqua conſtat, una compage ſolidatus, ita & populum fidelium adunatum ſignificat teſte eodem Cypriano in Epiſtola ad Cæcilium: *Quomodo nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola, niſi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius*

compage

compage ſolidatum. Quo & ipſo ſacramento populus noſter oſtenditur adunatus, ut quemadmodum grana multa in unum collecta, in unum commolita & commixta panem unum faciunt, ſic in Chriſto qui eſt panis cœleſtis unum ſciamus eſſe corpus cui conjunctus ſit noſter numerus & adunatus. In pane igitur myſtico Euchariſtiæ & grana multa intelliguntur, quamvis in farinam commolita, & farina intelligitur cũ aqua conſperſa & conflata, quamvis cocta. Quæ nulla ſunt vel exiſtunt in pane Pontificiorum quia panis non eſt, quia ſubſtantia & forma ejus in præexiſtentem materiam reſolutæ cenſentur, id eſt, in elementa. Nec farinam igitur habet cum aqua commixtam nec grana multa in unum collecta & commolita, quia hæc in aërem & aquam vel terram abiere, vel etiam εἰς ἀνυπαρξίαν conceſſere. Significatio igitur etiam inde abeſt populi fidelium adunati, quia res quibus ea adunatio collectio & congregatio figuratur juxta veterum ſententiam, ſecundum horum opinionem nullæ ſunt amplius. Hæc ergo ratio eſt cur & frumentum vetus Eccleſia cum pane benedictione eadem ſanctificaverit in altari, quia & frumentum in pane cenſetur, & in eodem pane corpus Chriſti, & corpus Chriſti etiam Eccleſia eſt, quæ denotatur granis multis in unum panem collectis, commolitis & commixtis. Sic & uvas & botros ſimiliter in altari cum vino pari ſanctificatione conſecravit, quia vinum

num de botris expreſſum plurimis, qui etiam figurant populum Chriſti adunatum, id eſt, Eccleſiam. Idem Cyprianus ad Magnum; *Et quando ſanguinem ſuum vinum appellat de botris atque acinis plurimis expreſſum atque in unum coactum, gregem item noſtrum ſignificat commixtione adunatæ multitudinis copulatum.* Vbi hodie apud Pontificios hæc ſignificatio in vino ſanguinis Chriſti appellatione donato, ex plurimis botris & acinis expreſſo ad ſignificandam multitudinem fidelium in unam Eccleſiam collectorum? Vinum apud illos nuſquam eſt, ſed ſolus ſanguis Chriſti. Cum careant itaque ſigno, carent etiam illi re ſignificata quam vino tanquam ſymbolo ſanguinis adſcribunt veteres, id eſt, vera Eccleſia. De lacte & melle cur ſuper altare aliquando parem cum pane & calice benedictionem acceperint apud priſcam Eccleſiam, jam dicendum eſt. Item cur ſacramentum infantium hæc duo appellentur in canone Africanæ Eccleſiæ, & quæ cauſa fecerit ut tunc propriam & ſuam habuerint benedictionem. Sic enim ibi ſcribitur canone XXXVII. *Primitiæ vero, ceu lac & mel, quod uno die ſolemniſſimo in infantum myſterio ſolet offerri, quamvis in altari offerantur, ſuam tamen habeant propriam benedictionem, ut à ſacramento Dominici corporis & ſanguinis diſtinguantur.* Myſterium infantium an appellat hic baptiſmum quia eo tempore baptizatis infantibus, & egreſſis è lavacro mellis

&

Digitized by Google

& lactis concordia prægustanda dabatur teste Hieronymo, in Dialogo adverſus Luciferianos, his verbis? *Nam & multa alia quæ per traditionem in Eccleſiis obſervantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare, deinde egreſſos lactis & mellis concordiam prægustare, ad infantiæ ſignificationem.* Cur dicit ad infantiæ ſignificationem hunc morem lactis & mellis dandi infantibus inſtitutum ſacro lavacro tinctis? Quia cibus infantium ſtatim ut nati eſſent apud veteres mel & lac fuit, ut paulo poſt dicam. Sed non ea de cauſa hic ritus inſtitutus eſt. Tunc peculiari benedictione lac illud & mel quod infantibus à baptiſmo dabatur, conſecrari ſolebat in altari, ſed olim ſimul conſecrabatur, & eadem etiam benedictione cum pane & vino, nec diſtinguebatur à ſacramento corporis & ſanguinis, niſi ratione eorum qui acciperent. Adulti in pane & vino ſacramentum corporis & ſanguinis accipiebant, infantes in lacte & melle. Primis duobus ſæculis nemo baptiſmum accipiebat niſi qui in fide inſtructus & doctrina Chriſti imbutus teſtari poſſet ſe credere, propter illa verba, *Qui crediderit & baptizatus fuerit.* Ergo prius erat credere. Inde ordo Catechumenorum in Eccleſia. Mos etiam tum perpetuus conſtanter tenuit, ut ſecundum baptiſmum Catechumenis illis ſtatim daretur Euchariſtia. Poſtea opinio invaluit neminem ſalvari poſſe niſi qui baptizatus

ptizatus

ptizatus fuiſſet. Ideo & conſuetudo nata infantibus baptiſmum conferendi. Quia autem Catechumenis adultis olim ſimul ac loti fuiſſent ſacro baptiſmate, dabatur Euchariſtia, nullo interjecto temporis ſpatio, hoc etiam & in infantibus, ut fieret inſtitutum poſt Pædo-baptiſmum introductum. Sed infantes tenelli & recens nati cum in vino & pane communionem non poſſent accipere, ut in iis quæ ſumere poſſent acciperent, receptum eſt, id eſt, in cibo & potu infantium proprio. Apud antiquos pro cibo & ante omnem cibum infanti, ut natus erat, mel dabatur, deinde lac. Aëtius libro quarto, capite quarto de infantium alimento, δοτέον δὲ αὐτῷ πρὸ πάσης τροφῆς μέλι κάλλιστον ἀπηφρισμένον ἐκλείχειν. Dandum puero recens nato, τῷ βρέφει, *ante omne alimentum, mel optimum, deſpumatum lingendum.* Quarto demum die à nativitate lac illi è mamma nutricis ſugendum dabatur. Paulus Ægineta libro primo, capite quinto de infantis alimento & curatione, Πρώτην τροφὴν εἰσφέρειν δεῖ τῷ νεογενεῖ παιδίῳ τὸ μέλι, μετὰ δὲ τὸ γάλακτος διδόναι δὶς τῆς ἡμέρας, ἢ τρὶς τὸ πλεῖστον, *Primus cibus pueris recens natis dandus eſt mel, deinde lac bis in die ad ſummum ter.* Barnabas in Epiſtola, de regione mel & lac fluente: Τί οὖν τὸ γάλα καὶ μέλι; ὅτι πρῶτον τὸ παιδίον μέλιτι, εἶτα γάλακτι ζωοποιεῖται, *Cur lac & mel? quia infans melle primum, deinde & lacte ſuſtentatur ad vitam.* Oribaſius quoque in Synopſi lib. v. cap. IV. de educatione pueruli: *Puer nuper in lucem editus, melle prius nutriatur, deinde lacte.* Ex illa igitur

cre-

credulitate veterum quod recens in lucem editis pueris dandus eſſet neceſſario baptiſmus; & in continenti Euchariſtia, hic etiam mos ortus eſt ut in melle & lacte eam acciperent; quia non alium cibum nec alium potum ſumere poterant. Nec obſtat quod apud Cyprianum legitur in libro de Lapſis, de parvula ſub nutricis alimento puella parentum Chriſtianorum, cui panis mero mixtus apud Idolum datus eſt; eademque poſt in Eccleſia vinum in ordine ſuo accepit pro ſacramento calicis. Nam parvulam illam paulo grandiorem tum fuiſſe apparet, ut quæ poſſet vino panem mixtum accipere. Idque ſatis oſtendit narratio Cypriani. At Euchariſtia quæ dabatur recens editis, id eſt, νεογνέσι παιδίοις, in melle & lacte dari ſolebat, qui cibus erat & potus infantium nuper natorum. Vbi opinio abſceſſit de neceſſitate utriuſque ſacramenti conferendi recens natis infantibus, retenta nihilominus diu conſuetudo, ut baptizatis infantulis & è lavacro egreſſis lac cũ melle daretur, ſed non tanquam ſacramentum Euchariſtiæ, ſicut prius ſolitum. Ab eo tempore vicem cæremoniæ indifferentis id obtinere cœpit. Ideo & ſpeciali conſecratione tunc ut benediceretur inſtitutum, quamvis in altari, nec eadẽ qua panis & vinum ſacramentale. Sic alia etiam huic cæremoniæ addita ſignificatio, quaſi mos eſſet lac & mel baptizatis infantulis dari, ad infantiam ſignificandam quia tali potu & cibo paſcitur.

citur. Non defuere tamen ex veteribus canonum interpretibus qui canonem illum Africanum quo *myſterium infantium* appellatur de ipſo Euchariſtiæ ſacramento expoſuerint, ſicut ad eum locum notavit Zonaras his verbis: *Τόδε εἰς τὸ τῶν νηπίων μυστήριον τινὲς φασὶν εἶναι τὸ μεταδιδόναι ταῦτα τοῖς νηπίοις ἀντὶ τῶν μυστηρίων.* Certe etiam tū eo ipſo tempore dabatur infantibus mellis & lactis concordia quo antiquitus dari ſolebat, cum vice Euchariſtiæ & communionis impertiebatur, nempe egreſſis è lavacro. Quicquid ſane olim in altari offerebatur eandem benedictionem accipiebat cum pane & vino ſacramentali. Ideo & canone XXXVII. concilii in Trullo vetatur in altaribus mel & lac offerri. At olim hoc factum, cum ſacramentum Euchariſtiæ recens natis in his duabus ſpeciebus adminiſtraretur. Eo tempore ut mel & lac non converti cenſebantur in corpus & ſanguinem Chriſti, ita nec panis nec vinum. Quod autem dicitur in canone Africano propriam mel & lac & ſuam habuiſſe benedictionem quamvis in altari ſanctificarentur, id factum poſtquam deſiit ſacramentum infantium in illis duabus ſpeciebus celebrari, & poſtquam ſpecialis benedictio per precem myſticam ad conſecrandum panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti introducta eſt. Antea ut erat benedictio generalis qua res omnes in altari poſitæ, ſive quæ tanquam primitiæ offerrentur, ſive

quæ tanquam ſacramenta, una ſanctificatio quaſi conſecratio generalibus verbis concepta omnibus ſacrandis quæ ad altare offerri ſolebant, ſufficere videbatur. Certe omnium oblationes, præcipue panis & vini ad communionem, item primitiæ uvarum, ſpicarum, oleum & alia ejuſmodi, ſola gratiarum actione & benedictione ſanctificabantur. Nam, ut dixi, quicquid frugum ſuper altare offerretur, eadem gratiarum actione benedicebatur qua Deo pro muneribus & beneficiis quibus afficeret genus humanum gratiæ agebantur, ritu à Iudæis petito, qui nunquam edebant quicquam aut bibebant niſi benedictione & gratiarum ad Deum actione ſuper illis ſpeciebus facta quas ſumerent. Quem morem & ſervavit ipſe Chriſtus in pane & vino benedicendo cum ea tradidit diſcipulis, non ut ſacramenta ſic faceret corporis & ſanguinis ſui; ſed tralaticio more Iudæorum ad omnem cibum & omnem potum uſurpato. Profeſſione autem ſua & declaratione ſacramenta corporis ſui confecit, cum dixit ea tradens, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, ut pluribus adſtruam in libro de ſacrificio Miſſæ. VValafridus Strabo de rebus Eccleſ. cap. xx. Apoſtolos dicit & eorum proximos totam eam myſteriorum corporis & ſanguinis celebrationem *egiſſe ſimpliciter, orationibus, & commemoratione paſſionis Dominicæ, ſicut ipſe præcepit.* Et paulo poſt ait, *Primis temporibus Miſſas fieri ſolitas ſicut tunc*

tunc fiebant in paraſceve Paſcha, quo die apud Romanos miſſa non aguntur, communicatio fieri ſolebat, id eſt, præmiſſa oratione, & ſicut ipſe Dominus præcepit, commemoratione paßionis ejus adhibita, eos communicaſſe corpori Dominico & ſanguini. Berno Augienſis Abbas cap. 1. quo docet qualiter priſcis Apoſtolorum temporibus Miſſarum celebritas ageretur. *Orationem Dominicam idcirco mox poſt precem dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit ut ad ipſam ſolummodo orationem oblationis hoſtiam conſecrarent.* Per *precem* intelligit orationem myſticam qua conſecratio tum fiebat in Græcia & in multis Occidentalibus Eccleſiis. Ea prece invocabatur Spiritus Sanctus ut deſcenderet in dona in menſa Dominica propoſita, eaque commutaret in corpus & ſanguinem Chriſti. Quæ ſpecialis fuit & propria conſecratio ſive benedictio ſpecierum quarum uſus fuit ad communionem faciendam. Qua benedictione non amplius ſanctificabantur mel & lac poſtquam ſacramenti vice infantibus recens genitis dari deſierunt. At antea eodem prorſum modo ſolebant conſecrari. Precis illius myſticæ, qua precabantur Sancti Spiritus adventum ad ſanctificandum panem & vinum, nova introductio fuit tertio ſæculo invecta, & primis duobus ſæculis ignorata, ac petita ex more gentilium. Poſtquam enim increbuit nomen *ſacrificii* in Euchariſtiæ celebratione, & hoc ipſum à gentibus & Iudæis mu-

tuatum, etiam receptum ſimul eſt, ut invocaretur Domini vel Spiritus Sancti adventus & præſentia, quomodo gentiles in ſuis ſacrificiis Deum illum invocabant cui ſpeciale ſacrum fiebat. Antea ignota prorſus fuit illa ratio precandi Domini adventum aut Spiritum Sanctum invocandi ut deſcendere vellet & illabi panis & vini ſpeciebus. Sola commemoratione Dominicæ paſſionis, & gratiarum actione ad Deum, & Dominicæ orationis recitatione, hujus ſacramenti celebratio fiebat. Si vi ac virtute ejuſmodi precis præſens ſiſti in pane & vino credebatur Spiritus Sanctus, & per eum divina Chriſti eſſentia, mirum cur non eodem cultu latriæ adoraverint ut nunc fit, poſtquam ea perſuaſio mentes hominum occupavit de vino & pane in ſanguinem & corpus per Tranſſubſtantiationem mutatis. Certe ex illis ipſis obſervationibus quas ſupra notavimus circa ſacramenta, dum agerentur, uſurpari ſolitis, melius & certius liquet, qualis fuerit univerſæ Eccleſiæ ſententia per priora octo ſæcula ſuper Euchariſtiæ cenſu quam ex ſcriptis Doctorum qui toto illo tempore claruerunt. Diutius quippe durant mores & ritus ſemel recepti, in negotio præcipue religionis, quam hominibus placitæ opiniones. Zelus pleroſque tranſverſos rapit, iſque ſcientia minus inſtructus. Sancti etiam Patres multa dicebant in alloquutionibus ſuis ad populum bono propoſito

poſito, & incendendis ad devotionem animis, & exaggerandæ dignitati tanti myſterii. Quæ calore & zelo provecti in Eccleſia peroraverant, eadem poſtea legenda populis edebant. His priorum exaggerationibus & ſermonum exceſſui ſequentes etiam aliquid addebant, eodem ſcilicet pietatis ſtudio & zeli fervore adducti. Manſit tamen diu inter iſta incorrupta Eccleſiæ doctrina & diſciplina circa praxin ipſam & uſum ritumque celebrandi hujus ſacramenti. Eo enim tempore quo docebant in Eccleſia, & ſcribebant publice, ſubſtantiam & eſſentiam divinam ſimul cum pane eſſe, & præſentem Chriſtum adeſſe in ſacramento per virtutem Spiritus Sancti, cujus gratia inſeparabilis & indiviſa adhæreret ſpeciebus. viſibilibus ipſa inviſibilis, haud aliter tamen ipſa adminiſtratio procedebat quam ſi verus panis & verum vinum pro ſymbolis corporis & ſanguinis Dominici communicantibus fidelibus porrigerentur. Non adorabant eum panem quem ſumebant cultu Deo ipſi debito, non in os accipiebant ſed in manus, non oſtendebatur adorandus, non circumgeſtabatur in pompa cum occurrentium & circumfundentium ſe ingeniculationibus, non de eo adorando ſanctiones ullæ factæ ſunt. Sed nec defuere Patrum plerique intra modum de his ſapere edocti, & ſaniore doctrina populum inſtruentes, qui dixerint ſcripſerintq; variis

temporibus ſpiritalem manducationem non ore fieri ſed corde, non in pane Chriſtum eſſe præſentem ſed in pectore accipientis, non verba conſecrantis gratiam illam ſpiritalem ſpeciebus addere viſibilibus, ſed fidem ipſam accipientis. Si qui docuerunt σωματικῶς ſimul & πνευματικῶς hoc ſacramentum percipi, reſpexerunt ad eam unitatem χύσεως, qua panis quæ res eſt corporalis, unum eſt cum corpore Chriſti, cujus communicatione non ſolum animæ noſtræ paſcuntur, ſed etiam corpora ex divinitatis ejus conſortio ad immortalitatem & æternæ vitæ fruitionem incorruptibilia redduntur. Enimvero ſi omnia quæ Patres ſcripſere Græci Latinique intra octo priora ſæcula, ne inferius deſcendere neceſſe habeam, revocentur ad ipſum uſum & praxin conſuetudinemque Eccleſiarum in hoc ſacramento conficiendo & adminiſtrando uſurpatam, tum qui ex his durius loquuti videbuntur, facilem interpretationem recipient, præſertim ſi & conferantur cum aliis qui eodem tempore ſanius & moderatius eadem pertractarunt. Quodcunque ſit, nullum in quoquam reperiemus Tranſſubſtantiationis veſtigium neque notam, nullam præſentiæ realis vel leviſſimam impreſſam ſuſpicionem, immo omnia contra eam diſerte facientia. Si qui ex his eſſentiam ſive ſubſtantiam divinam pani eſſe adjunctam dixere, & quaſi impreſſam adhære-

re

re ex vi verborum conſecrationis, etiam pro antidoto addiderunt, eam virtutem divinam quæ adnexa ſit ſacramento malos & infideles minime percipere, ſed ſolas viſibiles ſpecies. Vt omnia tamen paulatim in pejus ruunt, ſenſimque retro feruntur ſublapſa, amplificatione primo nimia exaggerantium hoc myſterium,& ſequētibus ſubinde exceſſum priorum ſuperare contendentibus,deinde increſcente ſuperſtitione populorū malo familiari,miraculis quoq; ad ejus confirmationem confictis plurimis, monachis etiam ſubinde ſtultam credulitatem plebis in ea re foventibus,clericorum poſtremo ambitione per hæc ipſa ſupra laicorum ordinem ſeſe extollentium, quaſi poteſtatē haberent creandi ſui creatoris & ejus in remiſſionem delictorum dandi miſeris peccatoribus, ſic tandem effectum eſt ut in contrariam concederetur omnis antiquæ Eccleſiæ ſenſui & Patrum ſententiæ opinionem,atque immanis inde Eccleſiam invaderet hæreſis. Cum enim veteres & orthodoxi Patres crediderint paſſimque tradiderint, panem eſſe vere & vinum & proprie ſic dici in Euchariſtia,corpus autem & ſanguinem appellari non quod proprie eſſet corpus aut ſanguis ſed quod myſterium corporis & ſanguinis contineret, vices verſæ ſunt & in oppoſita ſic itum eſt, ut diceretur,corpus & ſanguinem Dominicum in prorpria ſubſtantia & eſſentia hoc ſacramentum habere, panem & vinum figurate

& improprie in eo dici quia ſubſtantia & natura ſua exciderint. Quid magis contrarium ?. Panis eſt his in figura & ſola ſpecie tenus, Patribus fuit in ſubſtantia & natura propria. Corpus illis erat in ſigno & figura, iſtis habetur verum & eſſentiale cum ſanguine ſuo & cæteris humoribus ſubſtantialibus, & anima ſua. In novo fœdere dicunt alia ſacramenta non habere veritatem & præſentiam carnis & ſanguinis Chriſti in propria eſſentia, ſed in virtute tantum, non in ſubſtantia ſed in efficacia, in ſacramento autē Euchariſtiæ aliter ſe rem habere. Quod & ipſum pugnat cum veterum Patrum ſententia, qui non aliam definitionem vocis *ſacramenti* attulerunt pro Euchariſtia, & aliam pro Baptiſmate. Paria quippe omnia de baptiſmo & de Euchariſtia ſcripſere. Ridiculum eſt etiam quod nuper ſcripſere novitii Pontificiæ ſuperſtitionis proſelyti, ſi panis & vinum in ſacramento propriam ſubſtantiam & naturam retinerēt, ſicut nos Reformati credimus, omnem panem piſtorum & omne vinum cauponum, ſacramentum fore corporis & ſanguinis Chriſti. Eodem modo poſſent dicere & omnem aquam Sequanæ & Ligeris, & omnium fontium, eſſe ſacramentum fidei, & baptiſmum. Sed æque falſo nobis attribuunt quod effectum hujus ſacramenti quo Chriſto unimur, & participes reddimur divinæ ejus naturæ, ab ipſo pane & vino quatenus panis eſt & vinum nos expetere

& ſperare exprobrant. Eadem veritate poſſunt nobis objicere quod ſi qua in aqua Baptiſmi gratia eſt, ut eſſe non dubium eſt, ex natura & proprietate aquæ eam expectemus. Ex fide noſtra & Spiritus Sancti operatione fructus ejus ſalutaris, & vivificus effectus petendus eſt. Nam, ut ait Hieronymus, in Dialogo adverſus Luciferianos de Baptiſmo, *Aqua non lavat animam, ſed prius ipſa lavatur à Spiritu, ut alios lavare ſpiritaliter poßit.* Ita panis & vinum Euchariſtiæ non paſcunt animam, ſed ipſa prius paſcuntur à Spiritu, ut nos nutrire ſpiritaliter poſſint, & cum Chriſto conjungere. Corpus igitur Chriſti per Spiritum ejus Sanctum in nobis habitantis prius effici debemus, ut corpus ejus digne ſuſcipiamus in ſacramento. Quod niſi fiat, panem tantum accipiemus & vinum. Hinc in prece myſtica qua Ægyptii antiqui conſecrationem faciebant, ſic ad verbum habetur: *Tu mitte ſuper nos gratiam Spiritus tui Sancti, ut mundi ſiamus, & commutemus hæc dona propoſita in corpus & ſanguinem Salvatoris noſtri.* Figura itaque ſimul eſt in hoc ſacramento & veritas. Figura in pane, non quod figura tantum & ſpecie tenus ſit panis, ſed quia figura eſt corporis Chriſti in propria tamen manens natura & ſubſtantia. Veritas eſt non ſubſtantialis corporis Chriſti, ſed ſpiritalis, id eſt, virtute Spiritus facti. Auguſtinus apud Gratianum de conſecratione Diſtinct. II. canon. LXXII.

Corpus Chriſti & veritas eſt & figura. Quomodo corpus eſt figura? Veritas eſt tantum, cum ſit res ipſa. Vir doctus putavit intelligendum eſſe ex ſuperioribus per repetitionem ſubaudi-tis, *Hoc myſterium*, ut de myſterio dixerit, eſſe ſimul veritatem & figuram. Sed nihil ſubintelligi poſſe ex antedictis palam eſt, cum dicat plane, *corpus Chriſti* eſſe veritatem & figuram. Per *corpus Chriſti* more loquendi Patribus Græcis & Latinis pariter tunc vulgato intelligit panem Euchariſtiæ qui à fidelibus accipitur, & quod *corpus Chriſti* tunc paſſim vocabatur, quia figura corporis eſſet. Sic Ephraimius Antiochenus Patriarcha loco in ſuperioribus citato, σῶμα χριστοῦ ſcripſit ſubſtantiam propriam & ſenſibilem non amittere, & à gratia intelligibili non disjungi, cum de pane Euchariſtiæ loqueretur. Ergo tale corpus Chriſti, hoc eſt, panis myſticus corporis nomine appellatus, veritas eſt & figura. Iſtud ipſe nobis explicet Auguſtinus: *Corpus Chriſti*, inquit, *& veritas & figura eſt. Veritas dum corpus Chriſti & ſanguis virtute Spiritus Sancti in verbo ipſius ex panis & vini ſubſtantia efficitur.* Ex ſubſtantia nimirum propria permanente, in verbo Chriſti & virtute Spiritus Sancti panis fit corpus, & vinum ſanguis. Non enim aliter & figura eſſe poſſet corporis niſi per ſubſtantiam corporalem. Subjicit quippe, *Figura vero eſt quod exterius ſumitur.* At panis eſt & vinum id quod

quod exterius ſumitur in propria & corporali ſubſtantia, nempe id quod externa manducatione conteritur dentibus in ore, & inde in ſtomachum demittitur. Veritas autem interius ſumitur, id eſt, interna manducatione, quæ corde peragitur, ut idem Auguſtinus alibi pluribus locis dixit. Subſtantiam panis non mutari cum ex ea efficitur corpus Chriſti virtute Spiritus Sancti, clare etiam ibidem teſtatur cum ait, *voluiſſe Dominum panem & vinum in myſterio vere carnem ſuum & ſanguinem ſuum conſecratione Spiritus Sancti potentialiter creari, quia ſcilicet Chriſtum dentibus vorari fas non eſt.* Atqui hodierna doctrina de Tranſſubſtantiatione Chriſtum ore vorari, dentibus teri vult cum ipſa panis ſpecie, nec ſolum ab homine fideli ſed etiam ab infideli, à cane, à mure, à porco, in cœno jacere, in ſtercus ejici, & tamdiu durare ſub ſpeciebus, quamdiu ſpecies manent incorruptæ. Præterea in *myſterio* & *potentialiter* dicit Auguſtinus conſecratione Spiritus Sancti panem vere corpus fieri & vinum ſanguinem. Non ergo actu fit ſed potentia, non reipſa ſed virtute, non ὐσίᾳ ſed δυνάμει, ut Græci antiquiores Patres omnes loquuti ſunt. In myſterio denique dixit idem corpus fieri ex pane, id eſt, μυστικῶς & συμβολικῶς, non realiter nec corporaliter. Poſtremo ea Veritas quam ſcribit Auguſtinus in corpore Chriſti eſſe quod à fidelibus accipitur, mere ſpiritalis eſt.

Hæc

Hæc Veritas Domini eſt, non Domini corpus. Hoc in cœlo uno loco eſſe oportere ex quo reſurrexit, alibi ſcripſit, & ibi futurum donec ſæculum finiatur, Veritatem autem nobiſcum hic eſſe, quia ubique diffuſa ſit. Hæc Veritas Spiritus ejus eſt ac divinitatis, quæ & in ſacramento adeſt, & à digne illud ſumentibus percipitur. Idem Auguſtinus enarratione in Pſalmum XXX. *Non enim quaſi corporalibus locis Deus ad nos inclinat aurem ſuam, aut membris iſtis corporeis determinatis finitus eſt. Omnino nihil horum cogitent humana phantaſmata. Veritas eſt Deus. Veritas nec quadra eſt nec rotunda, nec longa. Vbique præſens eſt, ſi cordis oculis ad eam pateat.* Non eſt igitur corpus hæc veritas, uno loco incluſum, ſed Spiritus divinus, ſive divinitas quæ omnia pervagatur, & ubique adeſt. Sic panis ille quem ſumimus veritas eſt & figura, veritas quantum ad rem ipſam & virtutem ſacramenti, figura quantum ad panis ipſius ſubſtantiam, qui figura eſt corporis Chriſti, & τύπος, & εἰκὼν, & ἀντίτυπον, & σύμβολον, ut veteres paſſim loquuntur. Non ergo figura dicitur panis, quia figuram tantum habet panis, ut impii & imperiti hariolantur Pontificii, ſed σχετικῶς & relative, quia figura ſit corporis, id eſt, myſterium & ſacramentum. Nam ut dixit Tertullianus contra Marcionem, *Vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poteſt.* Ergo nec figura eſt niſi corporis alicujus ſolidi

&

& eſſentialis. Non itaque figuræ nomine in ſacramento panis appellatur quod nihil reliqui habeat præter figuram & ſpeciem coloremque panis, ſed relative quod figura ſit corporis Chriſti. Vinum quoque ſic figura eſt, nempe ſanguinis Chriſti. Aqua pariter quæ apud veterem Eccleſiam vino miſcebatur, figura erat aquæ quæ ex latere Chriſti tranſverberato fluxerat. An iſta aqua figuram tantum aquæ habebat & exteriorem ſpeciem, non ipſam ſubſtantiam & naturam? Ex duabus opinionibus erroneis & falſis ſuper natura hujus ſacramenti quæ nunc vigent, neutra figuram eam habet quam cum veritate eſſe in hoc myſterio junctam Auguſtinus & alii veterũ agnoverunt. Neutra ergo earum veræ & orthodoxæ antiquorum Patrum ſententiæ concinit. Lutherani duas ſubſtantias ponunt diverſis ſuppoſitis diſtinctas, unam panis, & unam corporis Chriſti vivi & animati. Nec panem ergo admittunt figuram eſſe corporis, ut inter antiquos convenit, cum & corpus ipſum ſubſtantialiter pani coëxiſtere cenſeant. Non eſt hæc συνουσία vel conſubſtantiatio, ut perperam inde eos συνουσιαστὰς vel *conſubſtantiatores* plerique nuncupant. Συνουσία eſſet, ſi ex duabus ſubſtantiis unam mixtam & temperatam facerent, aut ſi duas ſubſtantias in uno ſuppoſito ponerent. Sic συμψυχία eſt cum veluti una anima duo corpora reguntur, κατὰ χίον καὶ ἀγχίπλον. *Corporibus geminis*

ſpiritus

ſpiritus unus erat. Σύμψυχοι vocantur qui ſic ſe amant invicem ut unum velut cor habeant & unam animam. Ita & συναςρία dicitur duorum, qui unum habent nativitatis ſuæ horoſcopum, & ſub eadem conſtellatione geniti ſunt. Quod expreſſit his verſibus Perſius:

Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo
Conſentire dies, & ab uno ſidere duci.

Ita conſubſtantiatio, vel συνουσίωσις, eſt duarum ſubſtantiarum veluti in unum commixtio, non id vero eſt quod ſentiunt Lutheri ſectatores, qui duarum ſubſtantiarum duobus ſuppoſitis diſtinctarum coëxiſtentiam ſtatuunt. Quæ συνύπαρξις eſt potius duarum οὐσιῶν quam σύνουσία vel συνουσίωσις. Neutra igitur harum ſubſtantiarum ſimul exiſtentium figura eſt alterius, cum duas ſimul realiter & corporaliter exiſtere in duabus hypoſtaſibus diſtinctis credant. Neque figura eſt etiam in Tranſſubſtantiatione Pontificiorum, quæ relative ſumenda ſit & quæ ſic dicatur ratione corporis vel rei cujus figura eſt. Ipſam quippe panis ſubſtantiam quæ ſecundum veterum ſententiam figura & ſignum eſt & ſymbolum corporis Chriſti, in ipſum corpus Chriſti converſam ferunt, de qua nihil remanet quod figura rei abſentis eſſe poſſit, cum id quod eſt figura corporis veteribus, in corporis ipſius ſubſtantiam transformari cenſeant. Ita panis ipſis figura eſt panis quia nihil ex eo remanet, niſi ſpecies quædam, quę videtur eſſe panis cum

non

non ſit. Nihil enim panis habet niſi colorem. Immo etiam guſtanti panis ſaporem refert, tangenti panis eſt, odoranti quoque; ſed nihilominus phantaſma panis eſt, & ſpecies tantum, non res ipſa nec ſubſtantia. Ita pro ſimpliciſſima re ſicut inſtituta eſt à Chriſto, ſacramentum nempe corporis & ſanguinis ejus ſub ſymbolis panis & vini, nobis miraculorum catenam inextricabilem multiplicemque dederunt. Ecce panis in menſa eſt poſitus. Iam abſcedet, ſimul ac verba certa pronuntiaveris. Deus id eripiet, vis aliqua conficiet vel exedet. Erit ergo aliquid quod in nihilum ſubito occidat. Cur non etiam futurum eſt quod ex nihilo oriatur aliquid? Quis hoc Phyſicus dixit unquam? At Theologi dicunt. Minus certe mirum eſſet ex nihilo aliquid repente oriri quam ex re quæ eſt, quæ manet teſtibus omnibus ſenſibus, aliam fieri quæ non eſt, ſaltem quæ nec videtur eſſe nec ſentitur, quam ex re corruptibili & terreſtri fieri incorruptibilem & cœleſtem per interitum & ἀφανισμὸν prioris qui non percipitur, & per ſucceſſionem poſterioris quæ non poteſt concipi. Nihil eſt, inquiunt, quod Deus efficere non poſſit. Vtinam ſapientiores effeciſſet Pontificios, ut non tam prodigioſum & monſtrificum dogma de ſanctiſſimo ſacramento, & ſimpliciter intelligendo nobis conficerent. Supernaturale hoc myſterium eſt. Sane, ſed an magis quam myſte-

rium

rium incarnationis? Non dicent. At in iſto non converſa eſt humanitas in divinitatem. Cur in ſacramento corporis volunt converti panis ſubſtantiam terreſtrem, in divini corporis Chriſti eſſentiam & formam? Nonne æque poſſet ſubſiſtere cum pane divinitas Chriſti, vel divina ejus ſubſtantia, ut etiam præſens eſt per Spiritum Sanctum in aqua Baptiſmi? Nam de corpore ipſo Chriſti, quod uno loco eſſe oportet, nunquam efficient, ut ſub panis ſpecie eum includi nobis perſuadeant, ſive eo modo quo intelligunt Lutherani, ut *ſpecies* ſit ipſa ſubſtantia panis: ſive ut accipiunt Pontificii, ut *ſpecies* ea ſit exterior panis veluti cutis & color, ſuperficieſque inanis & vacua. Nec audiendus hic Grotius qui Scholaſticos non dicit audiendos. Plerique eorum profeſſi ſunt, niſi impedirentur determinatione Eccleſiæ, in aliam omnem ſe potius ituros eſſe ſententiam, quam quæ ab ea definita eſt, & ſtatuta pro articulo fidei. Dicunt ſaltem ſe magis eam probaturos quæ cum pane corporis præſentiam ſimul exiſtentis agnoſcit. Quam ignoratam tamen veteribus penitus liquet fuiſſe, credentibus ſolam divinitatem, non etiam humanitatem Chriſti cum corpore ejus per Spiritus Sancti operationem & fidem accipientis in hoc ſacramento adeſſe præſentem. Eam tamen præſentiam efficacem, & quaſi effectualem, ut ita dicam, tum demum fieri duntaxat volue-

volucre, cum is qui accipit, fidem adhibet veritatis, quæ cum ipſo ſacramento confertur capacem, id eſt, gratiæ ſpiritalis & ſalutaris. Hæc ſacramento non tam adnexa per ſe eſt, quam fidem comitatur ejus qui digne illud accipit, cum devotione & reverentia diſcernente cibum ſanctum à communi. Non enim crediddiſſe veteres vi conſecrationis divinitatem vel divinam ſubſtantiam adfixam inhæſiſſe panis & vini ſpeciebus, ſatis oſtendunt, quæ in hoc ſacramento conficiendo, adminiſtrando, diſtribuendo geſſerunt. Ex tali quippe opinione neceſſario id conſequebatur, ut cũ adoratione primæ notæ & qualis ſoli Deo debetur, præſenti ejus in pane numini ac majeſtati cultus deferretur. Quod nuſquam legimus à vetere Eccleſia fuiſſe factitatum, ut jam pluribus ſupra demonſtratum eſt. Hæc novitia autem de Tranſſubſtantiatione Romanæ Eccleſiæ definitio, ut omittam multiplicata per eam ſine cauſa miracula, plures difficultates peperit, & diſſentientes Doctorum in ea explicanda opiniones, quam verba Chriſti de quorum ſenſu hactenus diſputatum eſt. Tres numerantur præter eam quæ Tranſſubſtantiationem adſtruit. Et tamen hic numerus ad unum debet reduci. Nam quæ ſola ſigna ſine re ponit, vix ulla eſt. Quippe cum nec ſignum intelligatur, niſi res etiam ponatur cujus ſignum eſt. Signum enim in talibus relative accipitur, & non magis ſine eo cujus figu-

ra aut ſignum dicitur poteſt intelligi, quam patris nomen ſine filii intellectu. Hæc tertia eſt de tribus opinio. Primam ſtatuunt qua idem ſuppoſitum divinitatis & panis arguitur. Hæc veterum Patrum videtur eſſe ſententia, ſed male intellectorum. Non enim illi extra uſum ſacramenti admittunt panis, hoc eſt, ſacramenti viſibilis & gratiæ inviſibilis, ſive ea ſit divina, ut quidam vocarunt, ſubſtantia vel eſſentia, conjunctionem. Sola reſtat impanationis opinio ſive ἐναρτώσεως, ad quam infimo ſæculo confugerunt, qui recipere Tranſſubſtantiationem non poterant nec audebant recedere ab antiquorum Patrum ſcitis, panis & vini ſubſtantiam permanere etiam poſt conſecrationem, unanimiter conſentientium. Sic cinnum ex antiqua & nova opinione fecerunt cui etiam cauſam dedit Tranſſubſtantiatio, vel certe realis præſentiæ quoquomodo aſſertio. Eam alio modo Lutheranis expedire viſum eſt. Ita verum Chriſti corpus ſub pane & cum pane eſſe dictitant, ut aurei nummi vel argentei ſacculo incluſi tenentur. Qui dat alicui ſacculum illum, non dicit ſacculum vel marſupium ſe dare, ſed aurum vel argentum. Hic ſunt, dicet qui dabit hoc accipienti, centum aurei, accipe illos. Sic propinaturi alicui vinum, accipimus calicem vino plenum, & excepturi hoſpitem novum, dicimus, Accipe, hoc eſt vinum quod tibi in benevolentiæ, & amicitiæ ſignum propina-

pinamus. Figurata, inquiunt, hæc loquutio. Nôn enim calix eſt vinum, nec vinum manu tangitur. Itaque calix dicitur eſſe vinum, non quod ſolum vinum ſignificet, ſed quod hoc inſtrumento vinum hoſpiti propinatur & bibendum datur. Vt hæc figura conſtaret & cohærere poſſet, pro confeſſo & probato eſſe deberet, ita corpus Chriſti verum vivumque ſub panis involucro contineri, ut nucleus nucis putamine & cortice includitur. Item ſanguinem Chriſti calidum & fumantem ſic intra vinum latere, ut ipſum vinum in calice continetur. Hoc modo panem dando & dicendo, *hoc eſt corpus meum*, ita corpus ſuum incluſum pane intellexiſſet Chriſtus, ut aurum marſupio vel ſacculo cum alicui dari dicitur, nulla ſacculi vel marſupii facta à dante mentione, ſed auri duntaxat. At in calice tradendo duplici metonymiæ locum eſſe oportuit, non ſimplici, ut in panis datione. Cum dixit; *Hic calix teſtamentum eſt in meo ſanguine*, per calicem primo vinum intellexit quod calice continetur, pervulgata figura, qua continens pro contento uſurpatur. Deinde rurſus vinum calicis intelligendo alia opus eſſet metonymia qua ſanguis vino incluſus ſignificaretur, ut vinum ipſum calice continetur. Hoc argumento doctiſſimus Lutheranorum Doctor & Theologus adverſus Reformatos utebatur. Aut probet, inquiebat, doctrinam ſuam in Scriptura contineri, aut fateantur, ſi id

probare non poſſint, inventum eſſe ſui cerebri. Retorqueri melius & vividius id in illos telum poteſt. Aut probent nobis Scripturæ teſtimonio quod tradunt, aut concedant ſuum eſſe commentum quod credunt. Nam ſi ad litteram accipiantur verba Chriſti, ut debere accipi contendunt, longe magis doctrinæ Pontificiorum favent quam Lutheranæ. Dixit Chriſtus, *Hoc eſt corpus meum*, cum panem traderet. Ergo non amplius panis eſt, ſed corpus Chriſti, ut ille qui veritas eſt, affirmavit. Inde adſtruunt Scholaſtici falſa fore verba Domini niſi ſubſtantia panis eſſe deſinat. Cæterum, ut dixi, major oritur difficultas de hac Tranſſubſtantiatione qualem Eccleſia Romana ſibi finxit, quam in verbis Domini interpretandis ut ſimpliciſſime exponenda ſunt, more modoque ſacramentorum communi, in quibus aliud eſt quod videtur, aliud quod intelligitur: aliud quod exterius ſumitur, aliud quod interius percipitur: aliud quod manus accipit, aliud quod fides ſuſcipit: aliud denique quod in ore ponitur, aliud quod in corde inſinuatur. At converſio illa ſubſtantialis, ſive Tranſſubſtantiatio, ut eam vocare placitū fuit Eccleſiæ Romanæ, ut explicetur magna apud illius Doctores ſententiarum diverſitas orta eſt qua ſeſe implicant potius invicemque confodiunt, quam rem expediunt aut extricant. Et merito ſane æſtuant. Ideo illa diſputatrix, & tricarum artifex Sophiſtica,

quam

quam vulgo vocant Scholaſticam, inventa, ut quod credulitas plebis invexerat, monachorum ſuperſtitio foverat, clericorum ambitio evexerat, Eccleſiæ Romanæ error ſanxerat, ſubtilitate ſua firmaret. Tantæ molis erat profugam ex ſacris Chriſtianorum idololatriam reducere & pridem exulantem, immo extinctam, gentilitatem reſtituere & reſuſcitare. Quid enim aliud actum monſtrificæ iſtius de Tranſſubſtantiatione doctrinæ introductione? Sed quod cum primis ſtupendum eſt, quæſtionem fecerunt & quidem ineluctabilem, de eo quod dogma fidei eſſe voluerunt. Si tanta fiducia eos tenuit rei tam certæ & tam comprobatæ, ut pro hæreticis condemnent qui aſſentiri ei nolunt, cur adhuc de ea quærunt ac diſputant? Rem eſſe perquam difficilem ajunt. Immo cum ſint res in religione multæ per ſe difficiles, quas tamen faciles reddere explicatione conati ſunt antiqui Patres, ut eſt quæſtio de Trinitate, contrarium de iſta licet affirmare. Cum per ſe nimirum facillima ſit, inextricabilem eam omni modo & arte reddiderunt. Non contenti quippe uno aliquo miraculo perplexam & dubiam concinnaſſe, quaſi concatenationem prodigiorum in eam induxerunt nulla humani ingenii ope explicabilem. Qui fabulæ exitum non reperiebant auctores Comici vel Tragici, Deum è machina vocabant qui δέσιν illam quam implicaverant, diſſolveret. Iſti diſpari eventu præſentiam Dei

corporalem in corporis ſacramentum advocarunt, quæ omnia turbavit & inſolubiliter implicavit. Dum enim quærunt ac dubitant quomodo id fiat, etiam in ambiguo relinquunt an id fiat quod volunt. Vt enim fabula ipſis procedat ad extremum actum recto pede, miracula ex miraculis conſerta texunt, & in omni actu Deus eſt ipſis in machina. Accidentia panis in aëre fundantur, quia ſubjectum cui inhærebant, perdiderunt. Sub his accidentibus latitat corpus Chriſti ſine illis tamen quæ corpori ſolent accidere, cum perinde & ſanguinem habeat, & reliquos humores, ſed ſine vaſis quibus contineantur. Accidentibus panis dant, ut nutriant, ut corrumpantur, ut omne id habeant quod proprium eſt ſubſtantiæ quam amiſerunt. Eandem fortunam & caſum corpori Chriſti incurrendum aſſignant, quem perpeti coguntur illa accidentia. Si qui nolunt ita videri, per novum miraculum ei impietati occurrunt. Vbi enim corpus Chriſti in eo eſt ut à beſtia vorari debeat, ſtatim redire panis ſubſtantiam hariolantur, aut ſi non ipſam fas eſt reduci, alteram novam volunt denuo creari. Qui præſtigiis oculos ſpectantium effaſcinant cum calculos ſubinde de manu in manũ tranſferunt, non miros magis edunt ludos de re profana, quam iſti de negotio omnium ſanctiſſimo. Vt autem in plurimas & varias ſcinditur ſemitas mendacium; cum ſit una & ſimplex veritatis

ritatis via, ſic non poſſunt inter ſe convenire quomodo converſio illa portenſica fiat panis in corpus, quam appellant Tranſſubſtantiationem. Dominicani & Franciſcani ſuper eo animoſe & acriter rixati ſunt in concilio Tridentino. Ex quorum contentione nihil aliud boni verique elici potuiſſe video, niſi quod recte Franciſcani Dominicanorum opinionem ut improbam confutabant. Nec minori cum jure Dominicani Franciſcanorum ſententiam rejiciebant. Amborum ſane rationes optimæ videbantur in refutanda aliena, peſſimæ in aſſerenda ſua. Vtraque quippe falſiſſima. Nec enim minus falſum eſt quod Dominicani afferebant, Chriſtum ita dici eſſe in Euchariſtia, non quod ex alio loco ubi antea fuerat in Euchariſtiam veniat, ſed quod ſubſtantia panis convertatur in eo loco ubi panis erat abſque in eum locum migratione, quam quod à Franciſcanis proferebatur, Corpus per omnipotentiam Dei poſſe vere & ſubſtantialiter eſſe in pluribus locis, & quando novum aliquem occupat locum, in eo eſſe quod in eum veniat, ſed ſine mutatione ſucceſſiva, quaſi priorem relinquat ad alterum inſidendum, verum mutatione in continenti facta per quam ad ſecundum accedit, non relicto priore. Refellitur hæc opinio aſſertione omnium veterum Patrum, qui Chriſtum ubique eſſe Spiritu ſuo & Divinitate conſentiunt, corpore vero uno

in loco eſſe, nempe in cœlo. De ſubſtantia ipſa panis quid fiat, ita ſomniant: Deum nempe ſtatuiſſe, ut ubi corpus Chriſti eſt alterius rei ſubſtantia non permaneat, ſed ea eſſe deſinat. Concedatur hoc illis, ſi nobis probaverint Chriſti corpus eſſe in pane. Secundum hoc eorum axioma Chriſti corpus non eſt in Euchariſtia, quia veteres Patres affirmant, ſubſtantiam panis non deſinere eſſe. At eſſe deſineret ſecundum Franciſcanos, ſi corpus Chriſti eo adveniret. Non redigi eam in nihilum iidem aſſerunt, quia in eum locum Chriſti ſubſtantia ſuccedat. Quaſi vero corporis Chriſti in eum locum ſuccedentis præſentia prohibeat, ne panis ſubſtantia, quæ decedit Chriſto adveniente, reducatur ad nihilum. Quo igitur abit illa, cum Chriſti corpori dat locum? Nonne εἰς ἀνυπαρξίαν χωρεῖ, ut Græci dicunt? Si eſſe deſinit aut incipit non eſſe, non amplius certe eſt in rerum natura. An in præexiſtentem materiam reſolvitur, ut quidam perhibent, hoc eſt, in elementa? Non minus præſtigioſa hæc reſolutio, quam illa receſſio, aut eſſendi deſitio. Quod videmus, quod tangimus, quod guſtamus, quod alimentum corpori noſtro præbet, abiiſſe tamen, evolaſſe, in nihilum evaſiſſe, in aquam aut aërem reſolutum eſſe credendum. Qui hoc ita eſſe nobis perſuadere volunt, πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε; Dominicani cum ſua illa converſione ſubſtantiæ panis in corpus

Chri-

Chriſti, quæ fiat in illo loco ubi panis erat, quo locorum recedat ea panis ſubſtantia vix etiam poſſunt dicere. Dicunt quidem quod tota ſubſtantia panis convertatur in totam corporis ſubſtantiam, materia panis in materiam corporis, & forma in formam, & hoc proprie dici Tranſſubſtantiationem. Sed ſemper hoc dubitandum relinquunt, quid in ea converſione fiat de materia panis, de ſubſtantia, & de forma, & quomodo id quod erat materia panis exiſtat per tranſmutationē materia corporis, & ita de ſubſtantia & forma. Nulla quippe ſubſtantialis hic mutatio poteſt intervenire cum nullum ſit mutationis ſubjectum. Nam accidentia quæ remanent, ſubjecta non ſunt: neque panis poteſt eſſe ſubjectum corporis Chriſti ſuccedentis, quia nuſquam eſt: neque ipſum corpus Chriſti ſubjectum eſt accidentium panis, quia debent illa propriæ ſubſtantiæ inhærere. A pane quippe fit mutatio, qui eſſe deſinit. Sed quomodo? In eandem difficultatem revolvimur quam nunquam expedient. Nonnulli duo faciunt diverſa de Tranſſubſtantiationis modo placita, unum quod ſubſtantia panis antea fuit, & poſtea eſt corpus Chriſti: alterum quod ſubſtantia panis eſſe deſinit, & remanent accidentia tantum, & ſub illis incipit eſſe corpus Chriſti. Non video tamen qua in re differant iſtæ duæ opiniones. Si antea fuit ſubſtantia panis, certe deſi-

nit eſſe. Nam quod fuit non eſt amplius. Quærendum & hic reſtat quomodo eſſe deſinat. An recedat de uno loco in alium locum, an redigatur in materiam vel per ſe ſtantem vel recipentem aliam formam, & hoc ſive in eodem, ſive in alio loco, ſive ad nihilum redigatur, quod *purum nihil* appellant impuri iſti Doctores, ſive in elementa reſolvatur. Sed ego inſipientior quam illi ipſi qui ita tradunt, qui quidem contra eos tamdiu diſputem, & in hoc pelagus me immergam non ſolum ineptarum & inſulſarum, ſed etiam profanarum & impiarum argutiarum. Non poſſum tamen temperare, quin adhuc paucis eorum inſaniam exagitem. Quærunt an ſecundum ſe totam, an ſecundum partes, an ſecundum materiam, an ſecundum formam ea fiat tranſſubſtantiatio. Quidam auctores ſunt materiam non mutari, ſed tantum ſubſtantiam. Nonnulli nec ſubſtantiam, ſed tantum formam. Alii totam panis materiam converti in materiam corporis Chriſti, totam ſubſtantiam panis in totam ſubſtantiam, & totam formam ejuſdem panis in totam formam corporis. Iam quæramus quæ ſit panis materia, quæ ſubſtantia, quæ forma. Materia ipſa ſubſtantia eſt ſecundum Philoſophos, item forma. Sed & quod ex utroque compoſitum eſt, ex materia & forma, etiam ſubſtantia eſt. Sed quæri poteſt quomodo materia panis à ſubſtantia, ſic pro-

prie

prie dicta diſtingui poſſit, & quæ ſit proprie ejus forma ab utroque diſtinguenda. Primum quæ materia eſt panis? An non farina & aqua? Ex utraque igitur compoſita panis eſt ſubſtantia. Nondum tamen panis eſt, farina aqua conſperſa, manibus ſubacta, & in unum corpus coacta. Nec Græci ἄρτον hoc appellant, nec Latini *panem*, ſed illi φύραμα, iſti *conſperſionem*, barbari etiam *paſtam*, & ita Gallicum Italicumque idioma. Φύραμα Paulo dicitur. Hæc ipſa aquæ & farinæ commixtio in unam maſſam ſubactione collecta, *materia* etiam proprie vocabatur Latinis, ut ex Chryſippo Tyanenſi conſtat in lib. de panificio apud Athenæum, lib. III. qui & Latina hac voce uſus eſt δεῖ δὲ τὴν ματερίαν ἀνειμένην ποιεῖν, *Oportet vero materiam ſolutiorem facere.* Materia ibi eſt quam vulgo *paſtam* vocamus, & Græci φύραμα. Ea ergo eſt panis materia, farina aqua conſperſa & temperata, ſubactaque. Sed ea maſſa incondita eſt & informis, quæ panis nondum eſt, nec hoc nomine appellatur. Quid igitur addi opus eſt, ut nomen panis adoptet? Certe niſi coctus, panis non eſt. Ergo coctio panem facit? Forma eſt ſane quæ dat τὸ εἶναι rei. An igitur forma panis in coctione? Non in hac tantum, ſed etiam in formatione. Cato de pane faciendo: *Farinam in mortarium indito, aquæ paulatim addito, ſubigitoque pulcre. Vbi bene ſubegeris, defingito, coquitoque ſub teſta.* Farinæ & aquæ

aquæ mixtio & ſubactio *paſtam* efficit, & materiam panis, deſinctio & coctio panem. Ergo forma panis & quod ei eſſe dat, deſinctio ſive formatio, & coctio. Subſtantia vero ubi erit? Tam materia ipſa per ſe ſola ſubſtantia eſt, quam panis ipſe ubi formatio & coctio acceſſerit. Videamus jam quid mutetur in pane per tranſſubſtantiationem, totum an pars aliqua? Si totum, nihil amplius quærendum. Materia ipſa cum ſubſtantia & forma commutabitur in corpus Chriſti. Nihil horum mutari diſerte ſcripſit Theodoretus in Dialogo ſecundo, ubi de pane myſtico ſic loquitur, μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας ὐσίας, καὶ χήματος, καὶ εἴδους. *Manet enim in priore ſubſtantia, figura, & forma.* Per ſubſtantiam puto eum intellexiſſe materiam panis ex aqua & farina conflatam. Per χῆμα figuram, qua vel rotundus, vel quadratus, vel quacunque alia facie formatur ex rudi & informi paſtæ maſſa. Τὸ εἶδος vero appellat ipſam ſpeciẽ panis ſubſtantialem & corporalem, ex farina & aqua commixti, ſubacti, figurati & cocti. Nam *ſpecies* forma eſt, qua corpus id eſſe agnoſcitur quod eſt. Hinc *ſpecies panis* pro pane, *ſpecies vini* pro vino, *ſpecies tritici* pro tritico, & alia quæ ſupra notavimus. Quæro jam an aliqua pars panis converti poſſit cæteris non converſis? Non ſane credo. Nam ſi materia mutetur & recedat, id eſt, ſi farina & aqua ex quibus duabus ſubſtantiis panis conſtat,

ſtat, abeat, remanebit ſola figura panis coċti, τὸ χῆμα. Quod abſurdum eſt. Et profecto nemo fuit, qui materiam converti, cæteris permanentibus, dixerit. An eſt probabilius materia remanente, hoc eſt, farina & aqua, ſolam formam cum figura exteriore tranſmutari? Hoc etiam ridiculum quia impoſſibile. Quid dicent de ſubſtantia? An illa ſola in nihilum evadet converſione? Quænam illa eſt ſubſtantia ſeparatim ſumpta, & diſtincta à materia panis & à forma? Vides quam inepti ſint cum ſua Tranſſubſtantiatione, niſi fateantur totum panem converti ſecundum ſe & ſecundum quodlibet ſui, & ſic omnem ejus ſubſtantiam cum materia & forma evaneſcere, & in nihilum cedere. Et hoc ipſum etiam cum dicunt, miris modis ridiculi ſunt. Alio ſenſu Scholaſtici *formam* accipiunt in hoc ſacramento, quam interpretantur dictam, quaſi *foras manentem*, quia ſit aliqua ſimilitudo exterius repræſentans. Iam in hac Etymologia ſe produnt malos grammaticos. Nec meliores ſunt Theologi quando ita accipi volunt, cum dicitur ſacramentum, *inviſibilis gratiæ inviſibilis forma.* Patres enim non *formam* dicunt, ſed *ſignum* vel *figuram*. At illud quod ſignum dicitur, vel figura, inviſibilis gratiæ, per ſe ſubſtantia eſt corporalis, vel forma ſubſtantialis, ſed reſpectu rei quam ſignificat figura eſt ejus. Ita ſigna exteriora in ſacramentis, ſubſtantiæ ſunt, ſive formæ ſubſtantiales &

cor-

corporales, quæ rem ſpiritalem figurant & repræſentant. Sic intelligenda verba Auguſtini cum dixit, *Carnem Chriſti eſſe quam forma panis opertam in ſacramentis accipimus.* Nam forma ibi panis, non eſt figura panis, & ſuperficies, ſive σχῆμα, ſed eſſentialis forma quam & *ſpeciem* dixere, ut ſupra notavimus. Sane & eodem loco idem ait, *ſub ſpecie vini ſanguinem Chriſti potari.* Eſt igitur *forma*, & *ſpecies* in his loquutionibus ipſa rei perfectio, vel rei perfectæ ſubſtantialis & corporalis formatio. Quæ forma non poteſt à materia ſua abeſſe, aut ſubſtantia. Natura autem panis, naturalis eſt ejus proprietas & facultas, quam habet nutriendi, quæ nec ipſa à pane abeſt etiam tum cum ſacramẽtum factum eſt, & pro ſacramento ſumptum. Hæc de pane, in vino quid erit? Muſtum nondum eſt vinum, multo minus immaturæ uvæ ſuccus, quem vulgo *viride jus* appellant Galli. Acetum, non eſt amplius vinum. Certe ὀμφάκιος ille ſuccus non admitteretur ad calicem myſticum conficiendum, ſed nec acetum, quia vinum debet eſſe materia hujus ſacramenti. Atqui acetum vinum eſſe deſiit, ſuccus ὀμφακιος nondum eſt vinum. Ne muſtum quidem pro vino ſumi oportet. Nam & damnati ſunt olim à Patribus qui botrum exprimerent in calicem, ut ſacramentum eſſet calicis. Vt vinum fiat ex muſto, deferveat oportet, & ſordes ſuas ſpurcitiemque abjiciat, & muſteam illam dul-

dulcedinem decoquat. Hæc igitur forma vini qua vinum perfectionem accipit. Ejuſdem formæ corruptio eſt cum aceſcit & mucceſcit, aut in acetum arte convertitur. Materia vini quid eſt? Nonne ille ſuccus viridis & acerbæ uvæ? An aqua quæ è terra in vitem aſcendit, & in botrum tranſit attracta vi genitali, & poſtmodum calore ſolis excocta? Ita ſane videtur. Dixit Dominus de calice cum eum traderet eum eſſe teſtamentum novi fœderis in ſanguine ſuo. An calix ipſe tranſſubſtantiatur in ſanguinẽ Chriſti? Non inquient, ſed vinum. Figuram igitur hic agnoſcere debent. Sed eſto, quid in vino tranſſubſtantiatur, utrum materia an forma, an ſubſtantia, an omnia ſimul? Si partem tantum volunt, ut formam & ſubſtantiam materia manente, quomodo diſtinguent formam & ſubſtantiam vini ab ejus materia in hac imaginaria converſione? Hæc mihi explicent, dum ad panem revertimur. Qui cum Græcis diſputant pro azymo contra fermentatum, dicant nobis utrum fermentationem inter accidentia panis numerent, an inter ſubſtantias, aut eſſentiales qualitates? Si accidens eſt, quid opus contendere de accidentibus, quæ nihil ad rem faciunt? Si eſſentialis eſt qualitas in pane & ſubſtantiva, an etiam putant eam aboleri cum cæteris apud eos qui in fermentato ſacramenta conficiunt? Palam eſt ita credere. Ergo operoſior converſio apud iſtos

& mi-

& miraculoſior, quia etiam fermentatio debet abſcedere quam apud illos qui in azymo conſecrant. Sane fermentum extrinſecus additur ut & ſal, & oleum, quæ aliquando & pani ſolent addi. Eſt igitur nova ſubſtantia. Et in Chryſippi libro mentio fit σκληρᾶς ζύμης, ἀνειμένης, & ἀπαλωτέρας, durioris & mollioris, ſive remiſſioris, fermenti. Sic *durum fermentum* appellatur, quod eſt acrius, ut *durum acetum* quod eſt fortius. Remiſſum & lene levius eſt. Ait Paulus ad Corinthios capite quinto, Μικρὰν ζύμην ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ. Quid miri ſi fermentum fermentat? Vetuſtiſſima exemplaria Græca habent, δηλοῖ, id eſt, corrumpit. Atque ita etiam legiſſe videtur vetus interpres qui vertit, *corrumpit*. Inde δηλητήρια φάρμακα. Hic ſenſus magis convenit menti Pauli quæ in ſequentibus ſtatim expreſſa eſt, ἐκκαθάρατε οὖν τὴν παλαιὰν ζύμην, *Expurgate igitur vetus fermentum.* Fermentatio itaque non eſt accidens. Nam accidentia non corrumpunt ſuam ſubſtantiam. Etiamſi legatur ζυμοῖ, accidentia quæ inhærent ſuo ſubjecto, non illud afficiunt, ut fermentum afficit & alterat materiam & ſubſtantiam panis. De aqua quid dicturi ſunt quæ miſcebatur in calice cum vino in Eccleſia priore? Quænam ejus ſubſtantia, quæ materia, quæ forma? An & hæc ſecundum ſe totam, an ſecundum partes convertebatur in aquam quæ ex latere Chriſti fluxerat? Niſi auctoritas

Ec-

Eccleſiæ Romanæ obſtaret, plures Scholaſtici magis inclinarent ad eam probandam ſententiam quæ retinet ſubſtantiam panis, & Chriſti corpus ei coëxiſtere vult, ita ut prior ſubſtantia cum ſuis ſit accidentibus, non item ſecunda, ſed tantum coëxiſtat. Quæ nec ipſa ferri poteſt, & ab omni antiquitate Patrum damnatur, quibus placet non ipſam corporis Chriſti ſubſtantiam cum pane exiſtere, ſed ſpiritalem tantum gratiam ei adjunctam eſſe, ut ſupra oſtenſum eſt. Nunquam enim crediderunt Chriſti corpus ubique eſſe, ſed Spiritum tantum ejus. Præterea indignum eſt corpore Chriſti, ut panis ſubſtantiæ coëxiſtat integræ ipſum non integrum, id eſt, ſine accidentibus ſuis. Si viſibile non eſt, nec Chriſti corpus eſt verum. Inviſibile autem ſi ſtatuatur, non poterit eſſe, quicquid dixerint fecerint, niſi ſpiritale & ſpiritaliter exiſtens. Quæ eſt communis omnium Patrum ſententia. Omnes porro quas refellimus opiniones de ſacramenti hujus natura & forma, ut erroneas eſſe conſtat, ita verborum ipſorum Chriſti ſimpliciſſima & veriſſima expoſitione plane confutantur. Ea fini cōſentanea eſt quē Chriſtus ſibi propoſuit in hoc myſterio, inſtituendo. Non enim præſtigias, nec prodigia nec monſtra, nec ulla miracula aut portenta naturæ rerum tenorem excedentia & fidem exſuperantia oſtendere voluit, ſed ſacramenta corporis ſui immolati, & ſanguinis è corpore

 effuſi,

effuſi, id eſt, paſſionis ſuæ, ſub ſymbolis panis & vini celebranda relinquere ſuis fidelibus. Myſteria igitur tradidit ſuis veluti ſacratis & electis, & eorum myſteriorum duo ſymbola conſtituit, panem & calicem. Habuere & Gentiles ſua myſteria à quibus & nomen hoc mutuati ſunt Chriſtiani, ad rem ſignificandam non ritu & modo tam diſſimilem, quam virtute ac veritate diverſam. Nam gentium myſteria idololatria mera, ut primorum Chriſtianorum ſimplex veri Dei cultus. Pontificii nobis idololatricum eum rurſus reddiderunt. Quid eſt μυστήριον? Idem quod μυστικὸν ſacrum, vel μυστικὸν ſignum, rei nimirum ſacræ. Nam μυστήριος idem quod μυστικός, ut δεικτήριος, δηλητήριος, & σωζικτήριος. Vnde & abſolute τὸ μυστήριον, ut etiam δεικτήριον, *dicterium*, idem qui & δεικτικὸς vel δεικτήριος λόγος. Græci ideo ſic vocatum tradunt ἀπὸ τοῦ μυεῖν, quod eſt oculos claudere, quia viſibilia ſigna vel ſymbola oculis corporis non ſpectanda ſunt, ſed mente ſola contemplanda res quæ myſterio ſignificatur. Aliud enim in illis τὸ αἰσθητὸν, aliud τὸ νοητὸν eſſe iidem Græci ajunt. Hermias in Phædrum, Μύησις παρὰ τὸ μυεῖν ἐλέχθη τοὺς ὀφθαλμοὺς, τοῦτ᾽ ἐστὶ τὸ μηκέτι αἰσθητῶς λαβεῖν ἐκεῖνα τὰ μυστήρια, ἀλλ᾽ αὐτῇ ψυχῇ. Nulla Græcorum myſteria fuere ſine ſymbolis, ſuis in quibus aliud erat quod αἰσθητῶς perciperetur, aliud quod νοητῶς, id eſt mente conciperetur. In aliis ſerpens fuit ſymbolum, in aliis malum granatum, in Mithræ ſacris etiam panis & vinum. Myſteria veterum

purga-

purgationem animæ habere cenſebantur, κάθαρσιν τῆς ψυχῆς, ut Liberi Patris, Cereris, Matris Deum, Mithræ & aliorum. Chriſtianorum quoque myſteria remiſſionem peccatorum dabant, quæ purgationem animæ efficit. *Renaſci* & *regenerari* perceptione myſteriorum ſuorum Chriſtiani ſe credebant, itidem gentiles acceptis ſuis myſteriis. Hinc in veteri inſcriptione de Matris Deum & Attidis myſteriis: *Taurobolio criobolioque in æternum renatus aram ſacravit.* Ideo erant quædam ex his myſteriis quæ nunquam iterabantur, alia quæ repetebantur poſt vigeſimum annum, quia κάθαρσις animæ quam efficiebant non ultra hoc tempus durabat. Qui myſteria magna accepiſſent in Elyſios campos recta ire credebantur, illi vero qui ab hac vita exceſſiſſent ſine illa initiatione, ἐν βορβόρῳ κεῖσθαι apud inferos exiſtimabantur. Hoc etiam à gentibus imitati ſunt ac mutuati Chriſtiani Patres, taciturnitatem in myſteriorum arcanis celandis, qua coram his qui initiati non eſſent verebantur apertius de his loqui, & nominare ſymbola ipſa. Ita qui myſteria apud Gentiles acceperant, diligenter cavebant ea enuntiare aut eorum ſymbola proferre præſentibus ἀμυήτοις. At de myſteriis Chriſtianorum haud ita præſcriptum Chriſti ipſius inſtitutione, & Apoſtolorum traditione. Paulus in Epiſt. ad Corinthios priore, cap. x. aperte iis declarat quæ ſit vis & natura, quis uſus, quis finis magni illius

ſacramenti corporis & ſanguinis Dominici. *Nonne*, inquit, *panis quem frangimus, communio eſt corporis Chriſti?* Panem & calicem pluribus locis nominat ibidem. Vnum corpus eſſe dicit omnes qui de uno illo pane participant. Chriſtus porro inſtituere parans myſteria corporis & ſanguinis ſui, id eſt, paſſionis ſuæ quæ ſequenti die erat futura, cum ſymbola eorum myſteriorum eſſe vellet, panem & vinum quæ diſcipulis in ultima cœna ſua tradidit, in iis tradendis non aliter eloqui mentem ſuam potuit nec debuit, quam dicendo de pane, *Hoc eſt corpus meum*, de calice, *hic eſt ſanguis meus.* Qua eloquutione non aliud etiam intellexit, nec aliud intelligere potuit quam panem pro corpore ſuo ſe dare, vinum pro ſanguine, cum utraque ſymbola eſſe cuperet paſſionis ſuæ quæ per fractum corpus in cruce, & per ſanguinem in eadem effuſum peragenda erat. Omnium linguarum hæc communis & vulgaris loquendi ratio eſt, ut quod pro aliqua re datur, aut vice ejus futurum eſt, nomine rei ipſius cujus loco traditur, appelletur. Vrgent Lutherani verba clara eſſe debere ac manifeſta expreſſaque, non ambigua nec figurata, quæ præcipue in teſtamentis & ultimæ voluntatis declarationibus à quocunque ponuntur. An potuit clarius proloqui & explicare animi ſui ſententiam Chriſtus cum panē dans dixit eſſe corpus ſuum, & calicem propinans ſuum eſſe ſanguinem?

Digitized by Google

guinem? Quis aliter ea poterat accipere? An Apoſtoli cum ea verba pronuntiaret, difficultatem in iis aut ambiguitatem offenderunt? An Chriſtum interrogarunt quomodo id fieri poſſet ut panis quem ipſis dabat corpus ejus eſſet, & poculum ſanguis, cum vivus videnſque & in corpore ſuo integro & incolumi conſiſtens hæc illis dictaret? Quando in cruce pendens & jam jam animam efflaturus, adſtanti diſcipulo quem amabat dixit de matre ſua pariter adſiſtente, *Ecce hæc mater tua*, an aliter ille intellexit quam velle Ieſum & ſibi diſerte & expreſſe mandare, ut Mariam pro matre ſua haberet, id eſt, matris loco? Similiter cum matri ſuæ in eodem inſtanti dixit de diſcipulo illo, ἴδε ὁ υἱός σου, *Ecce hic filius tuus*, non aliter id accepit dictum mater Chriſti, quam diſcipulum illum ſibi commendari, ut pro filio haberet, ſive filii loco. Non ſane quod littera ſonat voluit dicere Chriſtus Iohannem filium, Mariæ Virginis fuiſſe, nec Mariam veram ipſius matrem. An aliter loqui conſueverunt auctores profani? Apud Virgilium libro IX. Aſcanius promittit Euryalo, matrem ejus ſi quid ei humanitus contigiſſet, ſibi pro matre futuram. Cum hoc vellet dicere, dixit ſibi matrem futuram:

Namque erit iſta mihi genitrix, ſolumq; Creüſa
Nomen defuerit.——

Id eſt, pro genitrice. Idem: *Et eris mihi magnus*

gnus Apollo, pro magno Apolline, & inſtar Apollinis. Idem: *Namque erit ille mihi ſemper Deus*, id eſt, pro Deo. De homine quippe mortali loquitur. Item: *Mens ſua cuique Deus*, pro Deo nimirum. Mezentius apud eundem Poëtam, *Dextra mihi Deus*, pro Deo. Græci ἀντιθέους vocant qui pro Deo ſunt vel inſtar Deorum, ac ſimiles Deis. Ἀντίθεος, ἰσόθεος. Manilius *Pæne Deos, & qui poſſint Dii jure videri*. Qui ſic pares Diis haberentur, & pro Diis colerentur, etiam αὐτοθέους eos vocabant, non ſolum ἀντιθέους. Nero cum Sabinam ſuam pro Venere colendam, & Veneris habitu ornatam dicato templo conſecraſſet, inſcripſit: Σαβίνῃ αὐτοθέᾳ Ἀφροδίτῃ αἱ γυναῖκες ἐποίησαν. *Sabinæ ipſiſſimæ Deæ Veneri mulieres fecerunt*. Sic enim apud Dionem in Excerptis ſcriptum exhibent vetuſtiſſimæ membranæ, non ut vulgo edidit vir Doctiſſimus, αὐτὴ θεᾷ. Αὐτοβορέας apud Lucianum in Timone de Borea à Zeuxide graphice picto, & αὐτοσίβυλλα in Epigrāmate. Nam imagines pictæ ſtatuæque ipſæ dicuntur eſſe perſonæ quas repræſentant. De ſtatua Alexandri IV. Epigrammatum: Αὐτὸν Ἀλέξανδρον τεκμαίρεο, *Ipſum Alexandrum contemplator*. In alio de Agatarchide picta, ἐς Ἀγαθαρχὶς ὅλα. *Saltare Niobem, Canacen, Paridem* dicebatur Pantominus, qui perſonam Niobes ſaltabat, Canaces, & Paridis, hoc eſt, ſimilitudinem ejus ſaltando exprimebat. Nihil vulgatius apud aucto-

auctores Græcos & Latinos. Nam & Græci ὀρχεῖσθαι Διονύσον, Σεμέλην, & ſimilia dicunt. Nec ſolum ſaltare Hectorem dicitur, qui Hectoris perſonam repræſentat hiſtrio, ſed etiam Hectorem cantare, qui canticum ſonat ad eam ſaltationem compoſitum. In Epigrammate Græco: Ἕκτορα μὲν τις ἄεισε, νέον μέλος. *Hectorem aliquis cantarit, novum canticum.* Simile eſt quod in *Amazone pictam* legimus aliquam, pro in Amazonis habitu, apud Lampridium in vita Commodi: *Amazonius autem vocatus eſt ex amore concubinæ ſuæ Martiæ, quam in Amazone diligebat.* Galli hoc etiam loquendi genus frequentant idiomate ſuo, *peinte en Amazone.* Ita apud Macrobium ni fallor, *in Hercule productus eſt*, pro in Herculis habitu. Nec de perſonis tantum, ſed & de rebus hæ loquutiones tralaticiæ erant, quibus rem ipſam nominabant pro rei ſimilitudine. Vnde *in pollinem conteri, in farinam*, apud Plinium, pro ad inſtar farinæ, in morem pollinis. Sic *in arcum* pro in arcus figuram, in arcus ſimilitudinem, ut exponit Servius apud Virgilium lib. III.

Portus ab eoo flatu curvatus in arcum.

Et lib. VI. *in antrum*, in antri formam:

Exciſum Euboicæ latus ingens rupis in antrum.

Vbi Servius exponit, *in antri ſimilitudinem*, Sic apud Iuſtinum in Tryphone εἰς κέρας, pro in ſimilitudinem cornu. Apud eundem Maronem lib. XI. *in plumam*, pro in plumæ ſimilitudinem:

 -- quem

——— quem pellis ahenis
In plumam ſquamis auro conſerta tegebat.

Laminas æneas dicit ſquamatim vel plumatim intextas, alteram in alteram ſe indere. *In plumam*, ad inſtar plumæ. Quid igitur mirum ſi *corpus* dicitur pro corporis figura? Dedit panem Chriſtus vice corporis, & ideo corpus eſſe ſuum dixit. Quid enim vulgarius quam cum dicimus, *tu mihi pater es, tu mihi mater*, pro patris & matris loco vel vice? Terentius: *Tu illi natura pater es, conſiliis ego.* Pater conſiliis, pro patre. Græci: Ἀντὶ πατρὸς σύ μοι ἐσσί. Ita *pro conſule* qui vice & loco conſulis, *pro præfectis*, vicem gerens præfectorum, & *locum tenens*, ut vulgo loquimur. Cum igitur dixit Chriſtus de pane, quod in ſacramentum dabat ſui corporis, *hoc corpus meum eſt*, pro corpore ſuo id eſſe intellexit, & vice corporis, & quaſi corpus, eodem prorſum modo quo Virgini matri ſuæ diſcipulum ſibi dilectum commendando, dixit ejus filium eſſe, id eſt, pro filio habendum, & viciſſim cum traderet matrem ſuam illi diſcipulo & matris loco coli eam ab ipſo vellet, hoc ſignificavit dicendo, *Ecce mater tua*. Victor Presbyter Antiochenus τὸ τοπικὸν ἐν τύπῳ αἵματος à Chriſto datum eſſe ſcripſit diſcipulis, vice & loco ſanguinis, pro ſanguine datum eſſe, in ſignum ſanguinis. Idem de corpore. Ita & Pſeudo-clemenis oleum Chriſmatis, ἀντὶ πνεύματος ἁγίου pro Sancto Spiritu,

ritu, quod figuram & τύπον Spiritus Sancti eſſe alii dixere. Alibi, ut ſupra notavimus, μετοχὴν ἁγίου πνεύματος appellat, participationem Spiritus Sancti, ut Paulus panem Euchariſtiæ communicationem eſſe corporis Chriſti docet, & calicem communicationem ejus ſanguinis. Panis igitur qui datur in communionem corporis, *corpus* appellatur, quia pro corpore eſt, vice & loco corporis, ſignum, figura, & ſimilitudo corporis. Quod loco corporis eſt & pro corpore, quaſi corpus eſt & quodammodo corpus. Ita Auguſtinus cum quodam loco dixiſſet abſolute, Chriſtum quando hoc ſacramentum inſtituit, ſemetipſum manibus tuliſſe & portaſſe, alio loco id explicavit & ſcripſit *quodammodo ipſum ſe portaſſe*. Primo ſcripſit in Pſalmum XXXI. *Ferebatur Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait, Hoc eſt corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis.* In ſequenti concione de eodem Pſalmo id exponit quod dixerat in priore, *Et ferebatur in manibus ſuis. Quomodo ferebatur in manibus ſuis? quia cum commendaret ipſum corpus ſuum & ſanguinem ſuum, accepit in manus ſuas quod norunt fideles, & ipſe ſe portabat quodammodo, cum diceret, Hoc eſt corpus ſuum.* Non ergo vere ferebat & re ipſa, ſed quodam modo, κατά τινα τρόπον. Explicavit & alibi quis ille eſſet modus quo Chriſtus in manibus ſuis portabat ſe, cum corpus ſuum cōmendavit ac tradidit diſcipulis.

Digitized by Google

Expoſitione in Pſalmum tertium dixit, cum commendaſſe corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis. De Iuda enim ibi loquitur, quem traditorem ſuum Dominus *adhibuit ad convivium, in quo corporis & ſanguinis figuram diſcipulis commendavit & tradidit.* Id dixit in Pſalmum XXXIII. *commendaſſe ipſum corpus ſuum diſcipulis.* Idem in libro contra Adimantum: *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc eſt corpus meum, cum daret ſignum corporis ſui.* Ergo quodammodo ferebat corpus ſuum, & quaſi corpus, cum figuram corporis ſui ferens in manibus ſuis eam commendaret & traderet diſcipulis pro corpore ſuo, vice & loco corporis ſui. Panem igitur notiſſima & vulgatiſſima loquendi in omnibus linguis figura appellavit corpus ſuum. Nec eſt quod reformident ne ſignum nudum ſive figuram nudam accipiamus, ſi dicamus nos ſignum corporis in pane, & ſignum ſanguinis in calice accipere, præcipue cum illud ſignum à Chriſto ipſius corporis appellatione donatum ſit. Signum ex his eſt quæ ſunt πρός τι. Nunquam dicitur ſine reſpectu rei cujus ſignum eſt. Res poteſt eſſe ſine ſigno ſuo, ut corpus ſine umbra, ſed ut umbra non eſt ſine corpore, ita ſignum non eſt ſine re. Signum quippe non eſſet, niſi rem ipſam ſimul à tergo quaſi traheret. Arra ſignum eſt emptionis. Numquid merum eſt ſignum? Neutiquam. Datur emptionis nomine, ut conſtare eo ſigno poſſit conveniſſe de emptione.

emptione. Teſſera frumentaria ſignum eſt & ſymbolum, non nudum utique, ſed ea oſtenſa frumentum de publico accipiebat is cui data fuerat. Cum eo ſymbolo quaſi frumentum accipere cenſebatur, quia virtute hujus teſſeræ id conſequebatur. Teſſera hoſpitalitatis non fuit etiam nudum ſignum. Nam hoſpes hoſpiti eam oſtendens jura hoſpitalitatis cum eo renovabat ac confirmabat. Per hæc externa ſigna & ſymbola Deus infirmitati humanæ ſe accommodans, cum genere etiam humano fœdera ſanxit, quibus nos ſibi conciliaret & conjungeret. Vetus fœdus per circumciſionem ſancitum fuit cum Iudæis. Vſitata autem loquendi formula non ſolum illa circumciſio ſignum fœderis vocata eſt, ſed etiam ipſum fœdus & pactum. Geneſ. XVII. *Circumcidetur ex vobis omne maſculinum & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos.* Paulo poſt ipſam circumciſionem pactum appellat: *Eritque pactum meum in carne veſtra in æternum.* In argumentum contractorum ſponſaliorum arræ quoque dabantur ſponſæ à ſponſo, ut annulus, aut monile. Inde & ipſæ arræ *ſponſalia* appellatæ, cum tantum eſſent ſponſaliorum veluti ſymbola & teſſeræ ſignaque. In Codice Iuſtiniano Titulus eſt de *arris ſponſalitiis*, quæ in Codice Theodoſii unde illa lex ſumpta eſt, *ſponſalia* vocantur. Quia teſtes ſunt ſponſaliorum arræ,
ideo

ideo & ſponſaliorum nomine etiam vocantur. Hinc & *ſubarrare* pro deſponſare, & ὁρμάζειν Græcis quia ὅρμος monile, ut plurimum dari ſolebat pro arra ſponſalitia. Quæ vox non intellecta eſt maximo illi aſino & nebuloni Lojolitæ, qui Epiphanium notis ſuis & verſione conſpurcatum dedit, apud quem ὁρμαστὸς ſponſus eſt, & ὁρμάζεσθαι *deſponſare*. In novo autem fœdere ſanciendo Chriſtus calicem vini in memoriam paſſionis ſuæ & immolationis, quaſi ſignum ſanguinis pro nobis in cruce effuſi eſſe voluit, & ſic pactum hoc nobiſcum fecit. Ita enim cum poculum traderet, Diſcipulis dixit, *Hic calix Novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*. Teſtamentum vocavit quod erat teſtamenti ſignum, ut circumciſio vocatur pactum & fœdus, quod fuit ſignum fœderis & pacti. In iſto fœdere & Teſtamento Novo calix ſive vinum quod erat in calice, datum fuit in ſignum ſanguinis, in quo fœdus illud ictum & ſancitum fuit. Idem de pane ſtatuendum quamvis de ſolo calice id dictum ſit. Non nudum itaque ſignum à Chriſto datum eſt, ſed res ipſa ſimul communicata, propter quam ſignum fuit inſtitutum & traditum. Quæ res illa? Nempe communio ſanguinis per calicem qui datus eſt in ſignum ſanguinis, & communio corporis per panem, qui datus eſt in ſignum corporis. Quod cum clariſſime Paulus interpretatus ſit, miror eſſe aliquos adhuc poſſe, qui

mentis

mentis oculos non aperiant ad tam evidenter expreſſam veritatem, à tam fido arcanorum Domini ſenſuum interprete. *Calix*, inquit, *benedictionis cui benedicimus nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis quem frangimus nonne communicatio corporis Domini eſt?* Ita panis communicatio eſt corporis, quia ſignum eſt communicationis. Sic circumciſio fœdus eſt, quia ſignum fœderis. Calicem quoque fœdus ac pactum in ſanguine ſuo Chriſtus ipſe eſſe dixit, quia pacti & fœderis in ejus ſanguine ſignum eſt. Sic arræ ſponſalitiæ, ſponſalia ſunt, quia ſponſaliorum ſunt ſigna. Ita de cæteris. Διαθήκη porro lingua Alexandrinorum, qua ſcripta ſunt Euangelia & Apoſtolicæ Epiſtolæ, idem eſt quod συνθήκη, pactum & fœdus. Hæc natura autem eſt ac vis fœderis, ut cōfœderatos invicem connexione charitatis, ac communicatione omnium rerum & commercio conſociet. Ita per hoc ſacramentum quo Chriſtus fœdus cum ſuis in ſanguine ſuo ſacravit, conſortes ejus divinitatis reddimur, & corpus ejus effecti capiti noſtro conjungimur. Eſtne alia loquutio qua Græci Latinique & omnes nationes, *Leonem* vocarunt virum fortem ab audaciæ ſimilitudine, *Aſinum* qui hebes & tardus eſſet, *Vulpem* qui aſtutus & ſubdolus, *Porcum* qui ventri deditus, *Simiam* qui ad inſtar hujus beſtiæ omnia imitari poſſet, ut aliquis auctor dictus eſt, *Simia ſui temporis? Muſcam* ita appellarunt hominem

importu-

Digitized by Google

importunum. Ex Philoſophis alius ξίφος, alius κοπὶς, alius κανὼν, alius λαβύρινθος cognominatus eſt. In plantis alia *barba hirci* dicitur, alia *auricula muris*, alia *umbilicus Veneris*, alia *bovis oculus* & *lingua*, alia *pes leporis* & *pulli*, & ſimilia. Res ſimiles ita ſemper appellatæ ſunt rerum earum quibus aſſimulantur, nominibus. An cum panis *corpus Domini* appellatur quia figura eſt ac ſimilitudo corporis, hæc loquutio magis proprie accipi debet, quam cum *Regeneratio* vocatur hominis in melius mutatio, ac renovatio per Spiritum Sanctum, per fidem in Chriſtum, & per ſacramenta fidei & corporis? Ex Spiritu & aqua *renaſci* idem dicitur. An proprie hoc accipiendum? Paulus μεταμόρφωσιν appellat, id eſt, tranſſubſtantiationem & transformationem quæ in homine fit per Domini Spiritum. Cur non proprie accipimus de myſterio incarnationis quod dixit Iohannes, *Verbum caro factum eſt?* Quia ſi proprie acciperetur rem impoſſibilem declararet, Verbi nempe divini in carnem converſionem. Non enim alium ſenſum recipiunt ea verba ſi ad litteram, ut ſonant, ſumantur. Atqui illud impoſſibile eſt, ut divinitas in humanitatem convertatur, ita ut ſubſtantia divina intereat, & aboleatur, & tota tranſeat in corruptibilem hominis naturam, utque Spiritus caro fiat. An magis poſſibile eſt ut panis per converſionem fiat corpus Chriſti, poſtquam

quam ſubſtantia panis ad nihilum redacta fuerit, aut eſſe deſierit? Nec ergo proprie poteſt accipi, quod dixit Chriſtus, cum panem tradidit diſcipulis, *Hoc eſt corpus meum.* Non magis ſane ſic debet ſumi, quam cum Mariæ Virgini matri ſuæ ſecundum carnem dixit, quod filius ejus eſſet Iohannes, aut quod dixit Iohanni, quod Virgo Maria mater ejus eſſet. Inſtar matris ſuæ eam haberi voluit à Iohanne, & hunc inſtar filii à matre ſua ut jam dictum eſt. Sic inſtar corporis panem dedit diſcipulis, & inſtar ſanguinis calicem vini, quem panem ideo ſuum corpus dixit, & vinum ſuum ſanguinem. Hoc enim ſolenne eſt Scripturæ Sacræ, figuras ipſas rerum quibus aſſimilantur nomine nuncupare. *Hoc eſt corpus meum*, δεικτικῶς ſic loquutus eſt, quæ figura etiam uſitata eſt apud prophanos ſcriptores Græcos & Latinos, ut & in Scriptura Sacra. Ita Chriſtus cum diceret, Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον καὶ ἐν τρίσιν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν, *Deſtruite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud.* Δεικτικῶς hæc loquutus eſt, & corpus ſuum tangens. Præterea figurate etiam corpus ſuum vocavit *templum.* An panis magis proprie corpus quam corpus templum? Iudæi in utroque pariter errarunt, cum & credidere vere eum de templo Hieroſolymitano loqui, & carnem ſuam vere intelligere cum ejus manducationem præcepit. Ita cum Petro idem Chriſtus dixit, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram*

quam

ædificabo Eccleſiam meam, figurate ſimul & δεικτικῶς loquutus eſt. Se tangebat cum ea pronuntiavit, *ſuper hanc petram*, & petram ſe appellavit, quia Iudæis Chriſtus in petra figuratus eſt, quæ eos in deſerto ſequebatur. Non magis certe per proprietatem petra Chriſtus, quam panis ejus corpus. Nulla igitur ſynecdoche locum habet in his verbis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, quales ſibi imaginantur Lutherani. Nulla etiam converſio ejuſmodi intelligenda qualem ſomniant Pontificii, quæ panis ſubſtantiam in corporis Chriſti ſubſtantiam tranſmutat. Figura ſimul & veritas eſt in hac profeſſione Chriſti. Nam & *virtus conſtat ſigno, & veritas ſacramento*, ut ait Cyprianus in libro de unctione Chriſmatis. Sed qualis veritas? Quæ nec quadra nec rotunda, nec longa, ſed quæ ubique diffuſa eſt, nempe Chriſti ſpiritus, ut ait Auguſtinus. Ex profeſſione denique Chriſti & fide noſtra panis vere eſt caro, & calix vere ſanguis, ut dixit Hilarius. Sic veritas eſt cum figura, corpus cum pane, res cum ſigno, virtus cum ſacramento, id eſt, gratia inviſibilis & ſpiritalis cum ſpecie viſibili & corporali. Cum duabus autem rebus ſecundum veterum Patrum ſententiam, conſtet & conficiatur Euchariſtia, terrena & cœleſti, utramque fanatica ſua opinione evertunt & deſtruunt Pontificii. Terrenam & corpoream evacuant, dum corpus & ſubſtantiam ei adimunt, & ſolam

lam inanitatem accidentium pani & vino relinquunt. Cœleſtem & ſpiritalem totam etiam perditum eunt, dum corporalem eam & carnalem faciunt. Ita intrinſeca ejus virtute, quæ gratia eſt divina ſacramenti, excidunt, dum carnem quæ nihil prodeſt, Domino teſte, in locum ſpiritus qui vita eſt ac ſalus, ſubſtituunt. Sic nec ſignum habent, nec rem ſignificatam: non ſacramentum, nec virtutem ſacramenti. Pro ſacramento panem non panem monſtrant. Species enim inanis eſt, quæ nec ſignum eſſe poteſt, cum eo quo ſolo res ſpiritalis poteſt ſignificari, careat, ſubſtantia nempe & natura panis. Pro virtute ſacramenti, corpus Chriſti verum ſub ſuperficie vana collocant cœlo detractum è quo non deſcendet, niſi conſummato ſæculo. Sic adorant tanquam præſentem ibi Chriſtum in corpore, qui non poteſt niſi in cœlo eſſe velut in loco ſuo. Ideo idololatræ ſunt. Nam quod non eſt, ſaltem quod ibi non eſt, eodem cultu latriæ proſequuntur, quo Chriſtum ipſum. Sic ex duabus rebus quibus conſtat hoc ſacrificium, neutram habent, nec vel unam vere habere ſe poſſunt oſtendere. Ex duabus præterea partibus hujus ſacramenti, quæ totidem ſunt quaſi ſacramenta, præcipuam ſuſtulerunt, & plebi fidelium ademerunt, nempe calicem. Nulla igitur nobis poteſt eſſe communio cum illis qui nullam habent cum Chriſto per ſacramenta corporis &

ſanguinis ejus cõmunionem: cum iſtis qui rem ſanctiſſimam, & Chriſtianę pietatis certiſſimum argumentum & monumentum in miſerandam & nefandam profanationem atque idololatriam converterunt: cum iſtis qui pro impiis & execrandis & cremandis hæreticis habent Chriſtianæ & Catholicæ doctrinæ aſſertores, & Patrum orthodoxæ ſententiæ & univerſæ veteris Eccleſiæ conſenſionis in ea obſervanda defenſores. Cum ad hanc recentem & novitiam depravationem dogmatum nos revocat Grotius ſub concordiæ & pacis obtentu, apparet nihil aliud eum molitum fuiſſe quam ut pedibus manibuſque quaſi quadrupedes conſtrictos ad hæreticæ & ſchiſmaticæ Eccleſiæ gremium reduceret, pœnitentiam ibi in pane & aqua toto vitæ reliquo tempore acturos. Altera manu panem quidem oſtentat, ut in ovile ſcabie infectum nos compellat, ſed altera lapidem intentat quo nos priuſquam eo veniamus, exterminet. Et qui tam aperte ſe hoſtem Reformatorum profitetur, conciliationem tamen fingit eorum ſe deſiderare? Hoc *pacem* vocat, hoc prætexit nomine *votum*, quo nos ex omni mundo extorres facit. Dicit pagina VII. *Se legati & conſiliarii Regii Suedici munere non male fungi cum Suediæ rectores monet, ne tam inquietum hominum genus in terras ſuas unquam admittant.* Qui Sueciæ legatus & conſiliarius monebat Rectores illius regni ne unquam ad-

admitterent in terras ſuas Reformatos, qui antea ibi non fuere, potuit auctor eſſe & miniſtris Galliæ regis ut è regno illo tales expellerent, ſi conſiliarius & legatus regius apud Gallos æque fuiſſet, ut fuit apud Suecos. Qui nuſquam nos eſſe volebat, & nullis terrarum oris conſiſtere, quid opus erat ut noſtram cum Romana Eccleſia redintegrationem tanto ambitu & conatu captare, affectare, expetere, vovere ſe ſimularet? Vno elogio, ſi potuiſſet, omnes duci juſſiſſet. Hæc breviſſima ſane conciliandi via eſt, ut non ſint qui nolunt reconciliari. Nemo unquam ex Pontificiis infenſior in nos inſurrexit, ut ex hoc ſcripto ejus conſtat poſtumo, exceptis Ieſuitis. Horum ad exemplar contra nos properabat grandi paſſu, quorum & arbitrio pacem Eccleſiæ inter diſſidentes ſarcire moliebatur, quia maxime ad hoc idoneos eos judicabat, ſcilicet. Non alio, ut res indicat, conſilio ac propoſito, quam ut ne quidem boni Catholici videremur futuri, niſi Ieſuitæ fieremus. Hoc ipſum ut ſtrueret Trojamque aperiret Achivis, Palladium prius noſtrum ante aliquot annos nobis eripere tentaverat. Vincti & addicti Papæ, quod facere ſatagebat, ne in manus Anti-chriſti traderemur, efficere voluit ne Papa Anti-chriſtus eſſet, & perſuadere orbi Chriſtiano conatus eſt, non Latinum Epiſcopum, ſed principem Romanum unum ex optimis qui fuere, eum eſſe filium perditionis qui ventu-

rus eſſet, & qui opponendus Meſſiæ. Is Trajanus eſt in quem ſrivolo & futili falſoque argumento tranſmovere hanc gloriam adniſus eſt. Quid fecit ille bonus Trajanus, ut hoc decus mereretur? Chriſtianos primo ad tribunalia ſuorum judicum vocavit, ſed mature deſtitit, ubi de eorum innocentia à præſidibus ſuis certior factus eſt. Sed nomen habuit ἰσόψηφον nomini beſtiæ. Quis numerus eſt nominis hujus? Sexcenta ſexaginta ſex. Vbi numerus hic in litteris nominis Trajani? Tametſi caſu id inveniretur, non propterea tamen pro Antichriſto quem Apocalypſis minatur, habendus eſſet, niſi res alias & notas ſimul haberet ab Apoſtolo deſcriptas. An ergo *Trajanus* numerum illum Anti-chriſti efficit? Non, ſed Vlpius, ſive οὔλπιος. Atqui nomen hoc Trajani non proprium fuit, ſed Gentilicium. Multæ aliæ familiæ hoc nomine in orbe Romano tum fuere. Omnes denique liberti libertæque Trajani hoc cognomen adoptarunt, ut mos tum fuit, apud Romanos. *Vlpius Antiochus*, Auguſti hujus libertus, *Vlpius Epaphroditus*, alii plurimi. Nam quoſcunque habuit libertos hoc nomen adſciverunt. *Vlpia Herois* liberti ejuſdem. Præterea Trajanus cum ad imperium venit *Vlpius* vocari deſiit, ſed pro eo nomen adoptivi Patris Nervæ Imperatoris ſumpſit, cujus adoptionis merito & imperium accepit. Exinde Cæſar Nerva Trajanus appellatus eſt, non Vlpius

pius

pius Trajanus, ut nummi & veteres inſcriptiones teſtantur. Sed eſto, *Vlpius* ſit nomen hujus principis proprium, hoc nomine etiam Imperator vocatus ſit, quid tum? An litteræ hujus nominis eum numerum colligunt, quem pro characteriſtica nota Beſtiæ ponit Iohannes? Certe, & rotunde quidem, ſi admittas ultimam litteram quæ eſt ſigma, & ducenta deſignat, caudamque trahit centum & nonaginta quattuor μονάδων ſupra numerum Apocalypſeos, pro epiſemo Vau acceperis. Quanta igitur vis facienda fuit rebus, nominibus, litteris, numeris, ut hoc commentum Grotio procederet? Epiſemon illud littera non eſt nec unquam locum habuit in ſtruendis vocibus, aut vinciendis ſyllabis. Numeri nota eſt, & ſex ſignat. Romani non agnoſcunt, at Vlpius Romanum nomen eſt. Ne Græci quidem pro littera recipiunt. Reperitur interdum in antiquis monumentis effigie litteræ Romanæ S. Non tamen litteræ illius vicem poteſt implere. Apud Atticos pingebatur ut ἦτα Ionicum, nunquam tamen pro eo uſurpatum eſt, nec eandem aut in numeris aut in litterarum elementis poteſtatem habuit. Centum valebat, cum ἦτα littera octo tantum valeret. Apud Æoles fingebatur facie F litteræ Romanæ. Apud Ægyptios Græcos, hoc eſt, Alexandrinos figuram habebat E. Nemo propterea dixerit pro hac littera poſſe ingredi. Sed hæc
 alias

alias. Anti-chriſtus imperium Romanum diſſolvet: Hoc fecit Papa. Supra omne nomen ſe extollet, & ſe Deum faciet. Hoc facit Papa. Epiſcopus eſt Latinus, ut Latina Eccleſia ſemper diſtincta fuit à Græca: Nomen λατεῖνος cum numerum dat quem ἀριθμὸν ἀνθρώπου Euangeliſta futurum revelavit. Solent autem Græci dum hęc nomina Romana ſcribunt penultimam per I longum habētia, per ει diphthongum ſcribere, ut ex antiquis libris & monumentis liquet. Sic Φαυστεῖνος, Ἀντωνεῖνος, Παυλεῖνος, Λατεῖνος ſcribunt. Sed & in aliis nominibus Latinis Iota longum fere ſemper cum hac diphtongo exprimunt, ut Ἀτείλιος pro *Atilius*, Μετείλιος, pro *Metilius*, Παπείριος pro *Papirius*, Οὐείβιος pro *Vibius*. Ita quod pulcre ſibi tenus intendiſſe viſus erat Grotius ad eum captandum, quem timere non poſſemus, Anti-chriſtum, ut ex filo nexum putrido, in manibus ejus diſruptum abiit retro. Mirum eſt tantam rem illum tam levi ac nihili ratione confici poſſe ſperaſſe. Poterat ut jam tum Pontificius, non fateri de Papa Antichriſto, ſed quid erat neceſſe immeritiſſimum Principem inter bonos ponendum, & inter optimos olim poſitum hac æterna probri & infamiæ nota cooperire, nulla ratione, ne nominis quidem, adſtipulante? Quos alios in Epiſtola Pauli procudit Anti-chriſtos, non meliore moneta percuſſi ſunt quam hic Trajanus. Omnes adulterini ſunt, & παρακεχαραγμένοι. Nam loci

loci Pauli de eodem Anti-chriſto intelligendi ſunt quē nobis revelavit nunc ſatis manifeſta in luce refulgens Apocalypſis. Non enim de alio poteſt accipi quam qui dictus eſt, ut alias pluribus demonſtrabitur, omnibus ſuis lineis & coloribus graphice depingendus. Nunc de Euchariſtia agimus, in cujus ſolius negotio totus jam hæret male feriatorum Henoticorum conatus ob eas, quas diximus, cauſſas. Niſi hæc obſtaret, τὸ κατέχον in Papa eſſet. Iam in utroque nodus ſtringitur nunquam ſolvendus, niſi illa ut à Chriſto inſtituta eſt, reſtituatur, aut hic tollatur de medio qui nobis Anti-chriſtus eſt, quia omnes ejus habet inſignitas notas. Sacrificium Miſſæ ad remoram eam etiam pertinet, qua per Euchariſtiam ſtat, ne in eandem cum Papa communionem iterum redigantur, qui ab ea ſemel ſeceſſerunt. Pro propitiatorio illud habent, nos non ἐξιλαστικὸν, ſed ἀναμνηστικὸν tantum & εὐχαριστικὸν eſſe credimus. Quod ſequentia volumina docebunt, & de ſatisfactione & pœnitentia quæ ſcire opus eſt, explicabunt. Hic enim liber jam molis nimius ultra legitimum protenditur.

FINIS.

INDEX
Rerum & verborum.

A.

ADoratio Euchariſtiæ veteribus ignota 447. *quomodo à veteribus accepta.* 464
Agapæ. 329, 473
Alcuini ſententia. 236
Alexius Angelus. 208
Amalarii ſententia. 372
Ambroſii ſententia. 77. *de Baptiſmo.* 188. *de Euchariſtia.* ibid. 189, 190, 199, 200, 364.
Ammonii ſententia. 149, 167
Ἀνάδειξις *quid.* 459
Ἀνακίρνασθαι *quid.* 148
Anaſtaſius Synaita alius ab Antiocheno. 339
Ἀνάστασις *Nicetæ.* 460
Antitypum quid ſignificet, 25. *quomodo à Patribus ſumatur,* 30. *idem quod typus,* ibid. *numquam ſumitur à veteribus quam de præteritis.* 37
Anti-chriſtus jam ſatis revelatus. 271
Apollinariſtarum ſententia. 96
Ἀπουσία *quid Græcis ſignificet.* 322
Ἀπουσιάζειν. ibid.
Aphtartiſtarum diſputatio. 209. *hæreſis.* 343
Ἀποτέλεσμα *opus operatum.* 438
Aqua in Baptiſmo dicitur μεταστοιχειοῦσθαι *non tranſſubſtantiari.* 53. *cur vino mixta in Euchariſtia.* 301
Ἄρτος ἐπιούσιος *in oratione dominica.* 176, 182
Aſcodropitæ hæretici. 236, 309
Auguſtini ſententia. 76, 106, 109, 114, 116, 125, 131, 136, 141, 163, 164, 171, 174, 219, 250, 410, 412. *ejus locus apud Gratianum correctus.* 220. *corpus Chriſti vocat ſpeciem.* 233. *ejus locus correctus.* 271. *ſententia.* 505, 508. *locus explicatus.* 526
Auctoris libelli de cœna ſententia. 187
Aurelianenſis Epiſcopus. 456

B. *Baptiſ-*

B.

Baptiſmus characterem imprimit indelebilem ex ſententia Pontific. 402. communicatio corporis & ſanguinis Chriſti. 410
Berno Augienſis Abbas. 247, 499
Bertrami ſententia. 16, 178, 179, 316.
Botrus expreſſus in calicem. 309

C.

Calix perperam præmittetur pani. 49. cur prius nominent Patres. 191
Canoniſtæ qui. 472
Caro Spiritalis. 201
Catechumenorum ordo unde in Eccleſia. 492
Chriſtus duobus modis ſe nobis dat percipiendum. 128
Chryſoſtomi ſententia. 171. locus male verſus. 322
Clementis conſtitutiones miſere interpolatæ 40. ejus ſententia ibid. & 41
Concatenatio prodigiorum. 517
Concomitantia refutata. 274
Confirmari dicuntur qui calicem accipiunt. 280, 281
Cõſecratio Ethnicorum. 436. Pontificiorum. 439
Conſecrare Latinis idem quod Deum facere. 437
Conſubſtantiatio Lutheri ſectatorum. 13
Corpus ſpiritale. 200
Corpus Chriſti & veritas & figura. 505, 506
Corporalis res non poteſt converti in ſpiritalem. 199
Corporalia Symbola. ibid.
Cœleſtis panis quomodo dicatur. 200
Cypriani locus reſtitutus. 78. illius ſententia 120, 303, 304, 250. alia explicata. 258
Cyrilli ſententia. 8, 9, 11, 75, 157, 172

D.

Damaſceni ſententia. 337, 338, 381, 382. locus correctus. 77, 179

Δεικτικῶς *dictum, hoc eſt corpus meum.* 268,543
Deus hominibus inſinuari non poteſt niſi per terrena Symbola. 43
Διαθήκη *lingua Alexandrinorum.* 267,541
Didymi ſententia. 173
Dionyſii Pſeudareopagitæ ſententia. 365. alia 42
Δῶρον *Baptiſmus.* 356
Δύναμις *ad Rom.* 1. *quomodo accipienda* 365. *dupliciter accipitur.* 430
Dominicanorum & Franciſcanorum rixa in Conc. Trident. 257,519

E.

Ἐγκρατῖται. 306
Εἶδος *ſpecies pro ſubſtantia.* 234. *Alcuinus formam dicit.* 236
Elevatio non ſemper uſurpata. 458. *ejus mentio.* 459. *quid ſignificet.* 461
Ἐνάρτωσις. 390,392
Ἐνέργεια. 367
Ἐνεργούμενοι *unde dicti.* ibid.
Ἕνωσις *noſtra cum Chriſto.* 157
Ephraimius Antiochiæ Patriarcha. 71. *ſententia ejus.* 195. 197.354.357.
Epiphanii ſententia. 361. *locus correctus.* ibid.
Epiſemum non eſt littera. 271
Euchariſtiam quomodo dicant ſacrificium Patres. 44. *memoria paſſionis Chriſti.* 193. *ſumenda duplex modus.* 204. *vox latius uſurpata ab Iræneo.* 257. *ſæpius ſumenda.* 404,408. *unde ſic dicta.* 405
Εὐλογίαι μυστικαί. 475
Euſebii Cæſarienſis ſententia. 83
Euſebii Emiſſeni ſententia. 92. *ſubdititius.* 312
Euſebius Epiſcop. Theſſalonic. 218
Eutychii locus apud Nicetam correctus. 212. *non eſt magnus ille Eutychius.* ibid.
Exemplum Latinis pro typo. 31

F. *Facun-*

F.

Facundi Hermianenſis ſententia. 101. quem locum Ieſuita male interpretatur. 103
Fermentum duplex. 528
Fides accipientis efficit ut ſit corpus Chriſti. 137
Figura & veritas in Euchariſtia ſimul. 250,505
Flabella in celebratione Cœna. 452

G.

Gelaſii Cyziceni ſententia. 74
Gelaſii ſententia. 80,314. locus reſtitutus. 85. expreſſiſſima ſententia. 378
Georgius Xiphilinus. 208
Græcorum recentiorum ſententia. 341

H.

Hæmonis Halberſtadenſis ſententia. 388
Hermias Philoſophus. 287
Heſychii Hieroſolymit. ſententia. 75,201,406
Hieracita. 367
Hilarius Diaconus ſub nomine Ambroſii. 406
Hilarii locus à Sirmondo male citatus. 122
Hilarii Pictavienſis ſententia. 140,175,193
Hieronymi ſententia. 201
Honorii inſtitutio. 461
Hugo de S. Victore. 417
Humbertus de Sylva candida. 296

I.

Identificatio ſuppoſitorum. 420
Iejunium ſolvi participatione Cœnæ. 222
Impanatio 390. à Pontificiis rejecta. 398
Incarnationis myſterium comparant Patres cum Euchariſtia. 164
Infantibus intrita data. 294
Incruentum ſacrificium. 300

Inconvertibiliter converti. 374

Intelligibile quid. 198. *intelligibilis ſanguis.* ibid.

Intinctio panis. 289

Ioannis Conſtantinopolitani ſentent. 76

Ioannes Camaterus Patriach. Conſtantinop. 208

Ioannes Scotus. 347. *non eſt idem cum præceptore Car. Magni.* 348

Irenæi locus male à Sirmondo allatus. 160. *alius contra Tranſſubſtatiationem.* ibid. *ſententia.* 242

Iudas Sacramento communicavit. 244

Iulii papæ ſententia. 305

Iuſtini Martyris ſententia. 137, 162

L.

LAicis uſus in Sacrament. 308, 491

Laici benedixerunt Panem & Calicem. 469

Latinorum Patrum teſtimonia. 78

Λατεῖνος *nomen. Antichriſt.* 270

Λατρεία & προσκύνησις *in quo differant* 448. λατρεύοντα προσκυνεῖν. 450

Lithurgia Baſil. & Chryſoſt. ſpuria. 459

Λογικὴ θυσία. 369. τράπεζα. ibid.

Λόγος *in myſterio incarnationis idem quod divina eſſentia.* 369

Lutheranorum ſententia refutatur. 94. *non recte appellari* συνουσιαστάς. 96. *opinio.* 375. *ſententia nova.* 421, 509

Lutheran. ſententia. 252

M.

MAnicheorum ſententia. 334, 441

Maſſaliani hæretici. 336

Melchiſedecianorum hæreſis. 367

Mellis & lactis præguſtatio. 492

Memoria Sacramentum. 123

Μεταμόρφωσις *quid ſit.* 67

Μεταποιεῖσθαι. 58

Μεταῤ-

Μιζαῤῥυθμίζειν. 57
Μιζαςοιχείωσις. 51.54.58
Μιζαςοιχειοῦν quid ſit. 55.56
Μιζατυπῶσαι τῇ διδαχῇ. 57
Μιζακίνησις. 421
Μετάνεξις. 324. Μετάνυγξις. 325
Micrologi ſententia. 295
Miraculorum inextricabilis multitudo. 511
Modrevii ſententia. 60
Μορφὴ Græcis eſſentialis forma. 67
Mutationis naturalis modi. 64.350. qualis in Sacramentis. ibid.
Μυςήριον quid. 35.530
Myſticum corpus. 203
Myſteria gentium. 262,530

N.

Natura & ſubſtantia eodem ſenſu ponitur. 73. natura elementorum non mutatur in ſacramentis. 82
Naturalis & ſupernaturalis diviſio. 218
Neſtorius diſſolvit myſterium Euchariſtiæ. 381
Nicetæ Choniatæ ſententia. 168
Nummi ſpecies vocantur. 231

O.

O In antiquis exemplarib. pro ω. 32
Ordo Romanus correctus. 134. non ita recens. 280. quando ſcriptus. 290
Origenis ſententia. 128
Οὔλπιος nomen gentilitium. 548

P.

Patrum poſteriorum ſententia falſa. 410
Panis materia & forma quæ ſit. 259,523
Panis in Euchariſt. corpus ſpiritale. 21. panis & vini ſubſtantiam manere docent Patres. 70. corruptibilis. 205. panis & Sacramentum panis idem. 253

Pauli

Pauli locus ad Corinth. 261,217. 1, *ad Corinth.* v. 528
Petra Similitudo. 111
Περιοσ δόγματα. 475
Περιχώρησις. 423
Petavius Grotii eximius. 479
Pontificii non habent Sacramentum. 165
Προσαγωγή, *oblatio.* 489
Προσκύνησις *quid.* 448,450
Pſeudo-Clementis ſententia. 38
Φρὴν ἱερή. 368
Φύσις & οὐσία *Græcis idem.* 71,74
Φύραμα *Paulo Apoſtolo.* 259,523

R.

Rationabile ſacrificium male dici. 369
Realitatem qualem ponunt Pontificii, qualem noſtri. 4
Reliquiis Sacramenti quid olim factum. 473,479. *pueris impuberibus data.* ibid. *etiam pauperibus.* 480. *igni tradita.* ibid.
Ritus ſumendæ Euchariſtiæ varii. 458
Ruperti Abbatis ſententia. 226,247,384. *explicata.* 317. *falſa opinio.* 319,386,397

S.

Sabbathi jejunium. 223
Sacramentum quid ſit. 42. *ſacramentum & res ſacramenti.* 163. *viſibile.* ibid. *veteris Legis tantum* αἰσθητά. 180. *viſibilia Patribus.* 256. *ſacramentum militare.* 262. *in Euchariſtia potius duo quam unum,* 263
Sacramentalis unitas. 260
Sacrati qui apud Ethnicos. 261
Sacrificium commemorativum. 48
Sanctum quid. 133
Scholaſticorum qui ante annos 300. *ſcripſerunt ſententia.* 420

Σέβασμα

Σίδαζμα. 463
Septima Synodi ſententia. 324
Severi ſententia. 153
Sergii Pap. ſententia. 292
Signum ſæpe tranſit in nomen rei ſignatæ. 21. *non eſt niſi per propriam ſubſtantiam.* 182
Sirmondus Facundi locum male interpretatur. 104
Species in ſacramentis, idem quod ſubſtantia. 228. *annonaria.* 229. *publica.* 230. *quomodo accepta ab Auguſtino.* 113.
Spiritus gratia apud Apoſt. 165. *& Clementem.* 166
Sponſalia. 266,539
Spiritale verbum. 369
Στοιχεῖα quid ſint. 55. *Στοιχεῖν quid.* 54
Stationes. 223
Stercoraniſtæ qui. 373
Σύμβολον quid. 34. *idem cum typo.* 35. *non ſumitur de re futura.* 38
Subſtantias male res æternas interpretatur Grotius. 370
Subſtantiam Latini non ſemper ponunt pro ὑσία. 89
Superſubſtantialis panis. 183
Synuſiaſtæ Apollinariſtæ. 96
Synecdoche non habet locum in verbis Chriſti. 268,543
Συμψυχία & σύμψυχοι. 252,509
Συνασπία. 252,510
Σχίσις quid ſit. 152

T.

Tatiani ſecta. 306
Τελείν μετέχειν. 289
Τελέσμα Græcis quæ. 438
Τελείωσις quid. 283. *Τελεῖν, πλστή.* 286
Tertulliani locus emendatus. 42. *ſententia.* 227
Theophylacti ſententia. 10,149
Theodoreti ſententia. 38,39
Theodotus, vel potius Clemens Alexandr. 313,353
Theophilus Alexandrinus. 478
Trajanus Anti-chriſtus Grotio. 270

Tranſclementatio. 51
Typi & antitypi differentia. 36

V.

Ὑδροπαραςταί. 306
Veneratio ἀπροσκύνησις. 448. *Veneratio Euchariſtiæ verſa in Idololatriam.* 468
Verbum Dei panis de cœlo deſcendens. 269. *ſpiritale.* 369
Victor Antiochenus. 359. *eius ſententia.* 74,138,148
*Vnitas noſtra cum Chriſto.*145.& ſeqq. *ſacramentalis.*399
Vnionem panis & ſpiritalis gratiæ quomodo intellexerunt Patres. 424
Vrbici mimi. 326. *urbici apud Auguſtin. ſententia.* 325
Ὑπέρθεσις *quid.* 224
Vuæ oblatæ. 309. *& traditæ.* 482

VV.

VValafridus Strabo. 247,498

X.

Χάρις *Baptiſmo adiuncta, Euchariſtiæ* θεότης. 411
Χίδρα. 490

Errata ſic corrigenda.

PAg. 8. *l.* 8. & in. *p.* 9. *l.* 12. Non eſt vinum, &c. *p.* 10. *l.* 2. ἐκεῖνοι. *p.* 15. *l.* 12. ſumi. *l. ult.* poſſe carnem Chriſti. *p.* 25. *l.* 6. ἀρχέτυπον. *p.* 31. *l.* 18. exemplaria verorum. *p.* 37. *l.* 14. quam de præterito. *p.* 44. *l.* 9. ſed acquirunt. *p.* 49. *l.* 2. panis excogitarunt. *p.* 50. *l. ult.* elementorum. *p.* 52. *l.* 9. qui regener. *p.* 55. *l.* 3. διδασκαλία. *p.* 56. *l.* 3. habitum. *penult.* vice. *p.* 58. *l.* 8. μεταποιεῖν. *p.* 108. *l. ult.* latens. *p.* 112. *l. antepenult.* ſpecie panis & vini. *p.* 128. *l.* 18. quem. *p.* 129. *l.* 15. contineri. *p.* 143. *l.* 2. ſanguinem. *p.* 152. *l.* 8 in Cathen. *p.* 160. *l.* 1. diverſus. *p.* 212. *l.* 23. ὕψωσιν. *p.* 224. *l.* 3. Dominico matutini. *l.* 5. Solis. *p.* 266. *l.* 24. omnino. *p.* 267. *l.* 18. ſit. *p.* 270. *l.* 10. ſanguine. *p.* 281. *l. penult.* maiorem. *p.* 296. *l.* 21. Humbertus. *p.* 315. *l.* 27. Patrum. *p.* 332. *l.* 19. Smyrnenſes. *p.* 343. *l.* 21. remiſſam. *p.* 379. *l.* 17. imagine. *p.* 385. *l. antepenult.* ἀνθρωπότητα. *p.* 399. *l.* 8. quæ. *p.* 412 *l.* 24. at.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5-3-6-2

Digitized by Google